PRUDENTIA EXIMIJ ASCETAE, VENERABILIS PATRIS LUDOVICI DE PONTE, È SOCIETATE JESU, IN...

Johannes Tanner, Vincenzo Marini

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu



PRUDENTIA
EXIMII ASCETÆ,
VENERABILIS PATRIS
LUDOVICI
DE
PONTE,
SOCIETATE JESU,
In Examinandis, ac approbandis
VENERABILIS VIRGINIS
MARINÆ DE ESCOBAR
Divinis Revelationibus
RELUCENS,
Et
VINDICATA,
Per
R. P. JOANNEM TANNER,
Ejusdem Societatis Theologum.

PRAGÆ,
Typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ, in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem. 1698.

PROTESTATIO AUTHORIS.

CUm S. D. N. Urbanus Papa VIII. die 13. Martij 1625. Decretum ediderit, idémque confirmârit die 5. Julij 1634. quo inhibuit imprimi libros, hominum qui sanctitatis seu martyrij famâ celebre sè vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia tanquam eorum intercessionibus à DEO accepta continentes, sinè recognitione atque approbatione Ordinarij; & quæ hactenus sinè ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata.

Idem autem Sanctissimus die 5. Junij 1641. ita explicuerit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, bene tamen ea, quæ cadunt super mores & opinionem, cum protestatione, quòd nulla eis adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes authorem.

Huic decreto ejúsque confirmationi & declarationi, observantiâ ac reverentiâ, quâ par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quidquid in hoc libro refero, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quô ea solent, quæ humanâ duntaxat authoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut S. Sedis Apostolicæ nituntur: ijs tantummodo exceptis, quos eadē S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.



INDEX
Tractatuum & Capitum in hoc Opere Contentorum.

Caput I.

Tracta-

Caput

Caput



INGRESSUS
IN LIBRUM SEQVENTEM,
&
OCCASIO SCRIBENDI.

Pater Rodericus de Arriaga Hiſpanus Lucronienſis, SS. Theologiæ Doctor, à Libris Theologicis Orbi notus, Anno 1623. Pragam venit, ubi poſt prælectam Theologiam, Cancellarium egit Academiæ Ferdinandeæ, ac dein poſt unionem utriuſque Academiæ Pragenſis, quando officium Cancellarij Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ eſt conſignatum in perpetuum Celſiſſimo Principi Archi-Epiſcopo Pragenſi, ipſe in eadem Univerſitate ad obitum uſque officium Decani Theologiæ ſuſtinuit, ſcholiſque Societatis JESU, præfuit Generalis Præfectus Studiorum.

Is in familiaribus Pragenſi in Collegio colloquijs plurima ſolebat narrare de admirabili Vita & Virtutibus Virginis Marinæ de Eſcobar, tunc adhuc Valliſoleti ſuperſtitis, tantâ æſtimationis & pietatis ſignificatione, ut oculos identidem elevaret in cœlum, & tanto ardore, ut quaſi ſui, omniúmque aliorum, quæ præ manibus tunc habebat, oblitus, totus in narratio-

nem illam indefatigabilis abriperetur unicè, ut appareret, eum sibi in admirandis à DEO Venerabili illi Virgini concessis donis deprædicandis, satisfacere planè non posse. Vehementer exultabat eam quondam sibi felicitatem obtigisse, quòd intra cubiculum proximum, ad quod ipsa per apertum parietem è lectulo suo perspicere poterat, Sacrum Missæ Sacrificium ipsi audienti sæpiùs celebraverit, Sacro-Sanctam Communionem porrexerit, atque ad ejusdem alloquium sit quandoque admissus, ità ut etiam An. 1622, à sancta Obedientia in Bohemiam destinatus, abiturus ei valedixerit; quæ promiserit, se iter ejus CHRISTO Domino in primo, quo eam dignatus fuerit visitare, congressu commendaturam. Narrabat de horrendis ejus à morbis, atque à Dæmone cruciatibus, déque stupenda ejus, & tam diurna tunc ultra 30. annos, postea adhuc ulteriùs protracta Patientia.

Et quia Pater Ludovicus de Ponte Societatis JESU, Virginis illius erat Confessarius, & Ductor Spiritualis, eâdem occasione attingebat Sanctitatem, & Virtutes hujus Servi DEI, quem ipse suum etiam dum Philosophiam doceret, Studiorum Præfectum, familiariter noverat, cujus quoque apud DEUM merita, ipse testis oculatus tanti faciebat, ut ejus paulò antè eodem Anno 1623. mortui, iconem haberet, in sui cubicelli privato altariolo, cujus etiam cœleste patrocinium, magna cum reverentia invocabat, mihíque (utpote præ alijs familiariori) sæpius specialibus pietatis signis declarabat, quantam de ejus Sanctitate æstimationem haberet. Quæ quidem cum ego toties non tantùm jam in Societate (quam An. 1641. ætatis 18. absoluto ingressùs sum) verùm etiam sæcularis adhuc studiosus, præsertim Poëta privatim in octiduanis mense Octobri Sacris (quæ tunc eo Directore & quotidiano non obiter Visitatore, quin & alioquin ordinario Confessario peregi) Exercitijs, ipsissimo post Bohemiam maximâ parte à bustuarijs Sve-

cis

cis Duce Panirio incineratam, Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo Societatis JESU sæculari audivissem; fieri non potuit, quin exardescerem in piam erga Ven. Virg. Marinam de Escobar inclinationem, omnisque de illa narratio esset mihi piè dulcis. Unde etiam, quidquid de illa rescire potui, tanquam gemmas pretiosas statim in adversaria mea referebam.

Quia autem eodem tempore libri Ascetici P. Ludovici de Ponte hic Pragæ à P. Melchiore Trevinnio Societatis JESU, ex Hispanico in Latinum circa Annum Domini 1610. translati, & Coloniæ Agripinæ An. 1612. typis vulgari cœpti terebantur manibus omnium, ità ut ego puer Grammatista in hoc, cui nunc præsum, Convictu S. Bartholomæi Pragæ, jussu mei in Congregatione Beatissimæ Virginis Instructoris cujusdam pijssimi Alumni Ecclesiastici Pontificij, debuerim Tiro pro pio meo usu describere quædam de Examine Conscientiæ, ex ejusdem P. Ludovici Tomis de Perfectione (quos quidem devotus ille Alumnus diu noctúque versare videbatur) ideo mirum non est, quòd nos omnes, qui R. P. Rodericum de Arriaga audiebamus, magno etiam devotionis sensu erga Venerabilem P. Ludovicum de Ponte accenderemur: prout & Compendiolum quoddam vitæ ejus inter nos Juniores volitabat, cujus exemplar & ego mihi tunc descripsi. Omnes autem latè Provinciæ adjacentes erant per annos hos in certa spe, & exspectatione ejus Canonizationis.

Interpositâ deinde tot annorum intercadine, ecce ad Annum 1671. improvisò manibus meis, tunc munus Cancellarij Academiæ Olomucensis in Moravia sustinentis, affertur manu scriptus Latinus grandis Tomus Mirabilis Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ, compositus à Venerabili P. Ludovico de Ponte. Involavi præ gaudio, statimque aviditate maximâ legendo, librum totum, ut sic loquar, devoravi. Et quidem authoritas P. Ludovici, ac summa Sanctitatis ejus, & sacræ Scien-

tiæ, totâ jam Christianitate vulgatæ æstimatio, omnia ità perruperat, ut nullibi hæsitarem, omnia sancta, omnia præstantia, omnia securissima ratus, quæ tantus in Ecclesia Vir probavisset. Relegi secundò ac iterum iterúmque plurima, inter quæ etiam bene advertebam, esse multa, quæ considerationem provocarent, nisì tantâ Viri tam incomparabilis authoritate fulcirentur, ut satis manifestum esset, Virum illum Divino sanè consilio fuisse Venerabili illi Virgini Marinæ à confessionibus datum, ut Revelationes hæ fidem invenirent. Interea vidi non deesse viros, qui adversùs Revelationes has commoverentur, adeò, ut vitam hanc, non eo, quem Author tantis titulis, tam eximius merebatur, habendam loco, putarent, ità ut Latinum Interpretem, tum ibi præsentem Patrem Melchiorem Hanel operæ suæ pœnitere, atque à labore ulteriori abhorrere viderem.

Quare pro meo erga Venerabilem P. Ludovicum, ùt & erga Venerabilem Marinam reverentissimo affectu, judicavi mearum esse partium, ut & P. Melchioris Hanel animos usque ad opus typis absolvendum confirmarem, & opus ipsum, quantum per tenuitatem valerem, fide esse dignum declararem. Quapropter arrepto calamo eam elaboravi Epistolam, quæ typo præfixa fuit operi Pragæ An. 1672. edito, & Augustissimo Imperatori LEOPOLDO I. dicato, cujus quidem eum fructum extitisse gaudeo, quòd, & aliorum narratione, & propriâ nonnullorum Virorum Religiosorum confessione intellexerim Epistolam illam, tanti apud eos fuisse, ut Vitam illam ac Revelationes, à quibus alioquin abhorruerant, inciperent venerari. Eam igitur necessariò hic proponendam judicavi.

IN MIRABILEM VITAM VENERABILIS VIRGINIS MARINÆ DE ESCOBAR,

à REVERENDO PATRE

LUDOVICO DE PONTE

SOCIETATIS JESU

Sex Libris Hispanicè comprehensam,

DISSERTATIO PARÆNETICO-APOLOGETICA,

Scripta

Ad Reverendum Patrem MELCHIOREM HANEL Societatis JESU, ejusdem Vitæ Latinum Interpretem,

à Reverendo Patre JOANNE TANNER, ejusdem Societatis Theologiæ Doctore.

Reverende in CHRISTO Pater.

I.

Quemadmodum liquidissimo perfusus sum gaudio, quamprimum à tot jam annis expectatam non minùs à sanctissimarum virtutum exemplis, quàm cœlestium Revelationum luce verè mirabilem Venerabilis Marinæ de Escobar, Vallisoletanæ Virginis, Sanctimonialium Ordinis S. Brigittæ in Hispania Fundatricis, Vitam latinè jam conscriptam, & typis destinatam vidi, totámque accuratissimè iterum iterúmque perlegi: ità profectò posteaquam Reverentiam Vestram (cujus diligenti, ac pio studio Opus hoc Romanâ donatum civitate habemus) intellexi nonnullorum obloquijs, quin & irrisionibus adeo commotam, ut laboris prope pœniteret, ac de ejus porrò ad plenam usque lucem promovendi cura abjicienda deliberaret, graviter sanè indolui, & mox de Reverentia Vestra in tam Sancto Opere confirmanda cæpi cogitare, nè thesaurus iste planè incomparabilis, publico bono subtraheretur. Et hoc quidem non putavi me facturum aptiùs, quàm si brevitate, quantâ per materiæ amplitudinem fieri posset maximâ, discursum quempiam Theologico-Asceticum conscriberem, in quo non solùm solatium Reverentia Vestra inveniret, verùm & in promptu haberet, quæ adversùs ejusmodi cavillos opponere, & quibus ea, quæ objiciuntur retundere valeret: cùm nimis clarum sit non paucis Catholicis etiam doctis ac Religiosis Viris, multa circa Revelationes in novo Testamento à DEO varijs hominibus, præsertim mulieribus concessas, nec libris Sacræ Scripturæ insertas, difficilia videri: adeò ut nec desint, qui eousque eas vilipendant, ut nec legere ipsi velint, nec ab alijs audire sustineant. Hoc autem fieri non potest sinè detrimento Animarum & Gloriæ DEI manifesto: dum enim Animæ devotæ & ad viam spiritûs unitivam utcunque dispositæ, vi-

vident quempiam ejusmodi gravem virum, ad omnia, quæ in talibus Revelationibus proponuntur, stupentem, & quasi nihil horum sibi persvadeat, attonitum, quin & modesta quadam subsannatione tanquam ridicula explodentem; fieri vix potest, quin & ipsæ ab his avertantur. Cùm autem mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar, sit præ alijs obnoxia ejusmodi difficultatibus, ut quæ plenissima est talibus, quæ hominibus illis maximè displicent: quid mirum est, si apud aliquos vilipendatur? Neque dubito me Divinæ Majestati in hoc aliquod facturum obsequiolum, cùm iste sit etiam scopus studij Theologici, ut ea quæ ad Sanctitatem Christiani populi conducunt, declaret, protegat, confirmet. Qua ipsa de re memorabile est illud, quod ipsius hujus Vitæ lib. 2. cap. 12. §. 1. habetur, quomodo videlicet CHRISTUS Dominus postquam Venerabili Virgini Marinæ in specie pueri duodennis apparuisset, eique narrâsset, quomodo in ea ætate cæperit coram Scribis & Legisperitis Sapientiam suam in templo manifestare: & Messiæ adventum annunciare, subjecerit verba sequentia: *Et ecce quàm parùm idipsis profuit! vellem non ità etiamnum contingeret, sed ut veritates & mysteria, quæ ego manifesto, ac declaro, Patribus Spiritualibus, & Ministris, quorum officium est illa explicare, ijdem stabilirent, & credibilia redderent, quantum possunt, pro mea gloria & honore, ac bono Animarum, neque ea occultarent, & silendo infirmarent.* Sufficere equidem potuisset, & debuisset omnibus hanc Vitam lecturis sola auctoritas Ven. P. Ludovici de Ponte, tantæ sanctitatis, tantæ doctrinæ, tantæque prudentiæ Viri, à quo hæc, quæ sex prioribus libris continentur, sunt conscripta, præsertim cum præfixa introductione fundamenta certitudinis horum explicuerit: sed volunt aliqui dubitationibus suis presso pede responderi: id quod quidem aggrediar, non tamen eâ spe, ut neminem ampliùs vel protervum superfuturum arbitrer, qui adhuc cœlestes has Revelationes infe-ctetur,

ctetur, cùm sciam veritatem tanti non esse roboris, ut omnibus, etiam sinè ulla ratione reclamare volentibus, os occludere, aut eos ad confessionem convictæ suæ falsitatis & proterviæ, invitos cogere possit: nam & in hoc ipso aliqui suam laudem reponunt.

§. I. *An in novo Testamento dentur aliquæ fide dignæ Revelationes Divinæ extra Sacram Scripturam.*

II.

SI in veteri Testamento inter signa credibilitatis non postremum fuit donum Prophetiæ, & Divinarum Revelationum: quantò magis debet in novo Testamento signum hoc veræ fidei eminere: prout reliqua omnia signa credibilitatis eminent, adeò, ut uni decadi Martyrum antiqui Testamenti, respondeant milliones Martyrum in novo Testamento, unúsque Sanctus Christianus plura miracula fecerit, quàm in tota veteri Lege reperiantur. Jam ergo, quemadmodum non defecerunt homines spiritu prophetico ac dono revelationum prædiri, quàm diu Lex vetus duravit; ità multò minùs debent deficere in Lege Gratiæ, usq; ad diem extremum. Bene Theophilus Raynaudus in Heterol. spirit. sect. 2. pun. 5. n. 26. Dubium, inquit, esse non potest, quin sint in omni ætate ac sæculo revelationes in Ecclesia DEI. Alioqui, ùt sapienter admonuit Gerson, Tract. de Discretione revelationum, revocari possent in dubium revelationes antiquæ, quæ æquè paterent calumnijs, ac illæ quæ posterioribus temporibus, & ijs ipsis, in quibus vivimus, accidere comperiuntur. Ac proinde Gerson ingenia quædam libera, quæ ad nomen revelationis, subitò altè tollunt cachinnos, valdè insectatur in prædicto opusculo sub initium. Nec ijs parcit sub finem, qui ex eo, quòd unum aliquem delusum in revelationibus audierint, diffundunt ejus deceptionem ad omnes revelationibus donatos. Et verò nónne vel obiter rem inspi-

inspicienti statim apparet, debere etiam in hoc apparere excessum Gratiæ præ veteri Testamento, ut plurimi non minùs frequenter ac familiariter DEO colloquantur, quàm collocutus sit Moyses, aut ullus Prophetarum veterum?

III. Neque tamen Libris Canonicis Sacræ Scripturæ sunt inserendæ omnes particulares Revelationes: nam & in veteri Lege dubium non est, multò plura fuisse Sanctis revelata, quàm in Sacram Scripturam fuerit insertum, cum etiam nominentur aliquot utriusque sexûs Prophetæ, ex quorum prophetijs nec litera in sacris paginis legitur. Sic quoque in primitiva statim Ecclesia habemus ex Actis Apostolorum, fuisse Prophetas & Prophetissas, quorum revelationes non sunt annotatæ. Et verò quis credat DEUM nulli Sanctorum fuisse locutum, nisi qui in Sacra Scriptura referuntur? Immò potiùs cuivis facilè occurret, nullum futurum fuisse finem augendi libros Canonicos, si omne verbum DEI, cuicunque revelatum, eis fuisset adjiciendum.

IV. Sed tamen dicet adhuc aliquis: cur ergo Ecclesia saltèm non determinat, quænam certæ vel incertæ sint fidei? Planè ac si quærerem: cur Ecclesia non determinet semper, quisnam verus sit Martyr, dum quispiam videtur pro virtute occidi? quodnam semper sit verum miraculum? quibus Doctorum libris sit, quibus non sit acquiescendum? nempe copia eam obruit. Itá profusa est erga eam Sponsi ejus CHRISTI Domini liberalitas. Qui enim sufficiat his omnibus, tantâ, quantâ opus est, diligentiâ examinandis? Unius Sancti Canonizatio quot annorum studia fatigat? ad unius libri suspecti condignam trutinam Concilia congregantur. Quid ergo si singulas in novo Testamento, tam copiosas revelationes simili studio excutere vellet? sufficit ergo quemadmodum in alijs libris præstantissimis, quòd viri in Theologia tam mystica, quàm speculativa & morali præclarè versati, nihil in eis inveniant dissonum & dis-

B cre-

crepans ab eis, quæ Ecclesia tanto adhibito apparatu, vera esse pronuntiavit, utpote ad quæ, tanquam ad Lydium lapidem, reliqua quæ subinde nova emergunt, sunt examinanda: prout factum est cum multis lucubrationibus in Tomos SS. Patrum insertis, quibus tamen alia ab Ecclesiæ calculo authoritas non accessit.

V. Quanquam etiam Revelationes hujusmodi aliquas sumpsit sibi Ecclesia quandoque solenniter examinandas, ac approbandas, prout contigit Revelationibus S. Brigittæ Viduæ à Concilijs Constantiensi & Basileensi, nec non ab Urbano VI. Bonifacio IX. & Martino V. Romanis Pontificibus collaudatis, & commendatis: id quod videre quisque potest in ipso vestibulo harum revelationum, ubi hæ approbationes, unà cum magnorum aliorum Virorum doctorum elogijs solent apponi.

VI. Nec majori opus erat approbatione ad eum, quem Divina Majestas in eis spectat, finem: nempe ut nobis auxilio essent ad salutem æternam: prout ad eandem nobis inserviunt scripta ac dicta à SS. PP. sapientiæ ac sanctitatis plenissima: ut & variæ historiæ fide planè dignæ, etsi non tantâ quantâ libri Regum, aut Apostolorum. Planè enim inepti esset hominis, nihil penitus, præsertim si rarum & admirabile appareat, velle pro vero agnoscere, nisi necessitas Divinæ Fidei ei imponatur. Ridemus sic delirantes hæreticos, qui dum per nimiam cautelam nihil, quod Sacrâ Scripturâ non contineatur, volunt recipere: ipsammet Sacram Scripturam sibi eripiunt: imò sic nec sciunt se ritè baptizari, cùm nullibi in Sacra Scriptura exstet, hanc, quæ eis superfunditur, esse veram aquam &c.

VII. Quanta autem etiam apud quosdam Catholicos sit hoc in genere morositas, patet: quia nec approbatio Ecclesiæ eis sufficit, siquidem & Revelationes S Brigittæ aliqui nauseant: id quod etiam provenire potest ab aspera indole, aut prava

va

va consvetudine, vel denique etiam ex pœna DEI, cujus justo judicio non datur eis gratia, ut tantos thesauros possint ac sciant in occasiones cœlestium meritorum adhibere: planè prout videmus fieri cum Indulgentijs, quas quidem aliquas in Ecclesia dari non dubitant, sed in particulari de singulis Indulgentijs sunt, qui dubitent: nunc quidem: an Pontifex sufficientem causam habuerit? nunc, an sufficiant opera præscripta? nunc alia, & alia examinando, sempérque certitudinem majorem requirendo, donec vita elabatur, & ipsi nullius Indulgentiæ fiant compotes.

VIII. Longè aliter ipsimet Summi Pontifices: apud quos quanta fuerit authoritas Revelationum S. Brigittæ, & S. Catharinæ Senensis, etiamnum in carne viventium, patebit legere volenti historiam Ecclesiasticam, ubi inveniet, earum præcipuè intuitu Sedem Apostolicam Avenione Romam rediisse. Inveniet etiam inter reliquas rationes, quibus Urbanus Romæ residens, verus fuisse Pontifex, adversarius verò ejus Clemens, schismaticus, probatur adferri à maximis Viris eam, quòd Sancta Catharina Senensis ità constanter asseruisset.

§. II. *Quænam sint in Ecclesia illæ Revelationes: & an in his etiam Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar.*

IX.

ETsi Revelationes à DEO privatim hominibus sanctis in novo Testamento factæ sint innumerabiles, cùm pauculi sint ex celebrioribus Sanctis, quibus non legatur Divina Majestas fuisse locuta: quædam tamen sunt prolixiùs annotatæ, quin & in speciales libros redactæ: de quibus ut generatim feratur judicium, eæ solæ videntur admittendæ, quæ à doctissimis, sapientissimisque simul ac sanctissimis Viris diu probatæ,

multùm excussæ, demū plurimùm collaudatæ: ab Episcopis permissæ, ab Ascetis admissæ, ab Ecclesia DEI non reprobatæ sunt.

X. Antiquissimus ejusmodi Libellus est in Bibliotheca Sanctorum Patrum, cui titulus: *Hortus Pastorum*, continens Revelationes factas cuidam sancto Viro, nomine Hermeti, cujus libelli tanta jam olim fuit in Ecclesia æstimatio, ut ejus auctoritate ad tempus Paschati celebrando statuendum uteretur. Exstat & Libellus Revelationum cujusdam Fratris Raimundi, aliorúmque Virorum: sed longè celebriores, quia ad sanctitatem, & tenerrimam erga DEUM pietatem inflammandam longè opportuniores sunt, Revelationes Sanctarum Mulierum, quas inter authoritate eminet, grande volumen Sanctæ Brigittæ. Has videntur proximè sequi Dialogi cum DEO S. Catharinæ Senensis. Celeberrimæ præterea, atque à Ludovico Blosio, Joanne Lanspergio, aliisque sanctis æquè ac eruditissimis Viris laudatissimæ sunt Revelationes Beatarum Gertrudis atque Mechtildis, quas etiam Pater Ludovicus de Ponte unà cum prædictis, ac cum Revelationibus S. Theresiæ, tanquam primarias, & notissimas, ac indubitatas, in sua Introductione commemorat. His accedunt Revelationes S. Elisabeth; præterea Vita B. Angelæ de Fulginio, Viduæ: Vita S. Magdalenæ de Pazzis: Vita B. Margaritæ de Orlona: Vita S. Franciscæ Romanæ, Viduæ: nec non B. Mariæ Oegniacensis itidem Viduæ: ac Vitæ Sanctarum Virginum Ludgardis & Lidwinæ: aliæque apud Bollandum.

XI. Post has omnes voluit Divina Majestas Sponsæ suæ Ecclesiæ veluti pro novo cimelio in ornatum mittere & has, de quibus agimus, admirabiles Revelationes Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar, idque ob eas, quas P. Ludovicus de Ponte in sua Introductione refert, rationes: quæ etsi nondum ab Ecclesia eam certitudinem, quam Sanctæ Brigittæ, aut Sanctæ Catharinæ Senensis, vel Sanctæ Teresiæ acceperint, ob quasdam

dam tamen circumstantias peculiares, majorem etiam præ multis alijs merentur fidem.

XII. Et imprimis ob peculiarem Divinæ Providentiæ dispositionem, quòd tales ac tantos huic suæ famulæ dederit spiritûs Directores, ac Revelationum harum Examinatores ac Conscriptores, ídque ex duobus doctrinæ laude in Ecclesia præcipuis Ordinibus, nempe Prædicatorum, & Societatis JESU, ex qua post quatuor pios & graves Viros, fuit quintus ejus Confessarius P. Petrus de Leon, Vir doctissimus & pijssimus: qui non contentus omnem adhibere diligentiam in Revelationibus, quæ tunc huic Venerabili Virgini accidebant, excutiendis: insuper consulebat alios Patres in domo Professorum Societatis JESU Vallisoleti, eisque ad plures dies trutinanda dabat, quæ jussu ejus ipsamet Venerabilis Virgo conscripserat: huic successit incomparabilis ille Vir à sanctitate, & doctrinæ Asceticæ excellentia Orbi notus, P. Ludovicus de Ponte, Theologiæ Doctor, ejusdemque per aliquot annos Professor, ac deinde supremus Vallisoleti Studiorum Præses, qui ob suos libros tenerrimâ pietate simul, ac exquisitâ Theologiæ Mysticæ, cognitione plenos, sæculi sui Bernardus à Viris præclaris appellatur. Hic ergo Vir à Spiritu Sancto tam illustratus, totos ferè 30. annos Vener. huic Virgini à Confessionibus, ac ultra 30. annos ejusdem Director, & in spiritu Magister, toto eo tempore in examen eorum, quæ divinitus tunc cum illa fiebant, intentus! non solùm ea tanquam verissima, & nulli illusioni aut fraudi permixta agnovit, nec solùm ea magno labore conscripsit, ac digessit: verùm etiam egregiam partem futuræ suæ in cœlis gloriæ ob hunc librum speravit, adeò ut cùm divinitus horam mortis suæ præscivisset, perrexerit usque ad pauculas ante mortem horas, nempe ad ipsum quodammodo lethalem agonem, ac ultimarum virium defectum, hæc ipsa Venerabilis Virginis Marinæ, tunc adhuc viventis, gesta, ac narrata ordinare, & ano-

notare: quasi nullam aliam putaret se posse pro felici morte obeunda præparationem DEO acceptiorem adhibere. Et verò quàm vir ille fuerit sibi ipse de sufficienti quoad hæc dignoscenda peritia conscius, patet ex admirabili illo casu, quem ipsemet refert in Vita Ven. Virg. Marinæ, L. 1. c. 19. §. 2. Quòd cum existente Aulâ Regis Hispaniarum Vallisoleti, fuissent Venerabilem Virginem aliqui Angeli allocuti, ut quandam Personam faceret ad quoddam publicum officium promoveri, eò quòd id esset è gloria Divina futurum: ipsáque id P. Ludovico Confessario suo exposuisset: noluerit ipse consentire ob certas & graves rationes. Cúmque iterum ijdem Angeli apud Virginem pro eodem negotio instarent, asserentes nihil eorum, quæ P. Ludovicus metueret, eventurum, nihilominus ipse in sententia perstiterit, asserens, *se juxta regulas Christianas non posse assentiri, nisi DEUS declararet id sibi placere, eò quòd diversæ consueverint esse Angelorum Custodum sententiæ.* Et tamen hic tantus Vir, quantopere suspexerit Venerabilem Virginem Marinam, patere potest ex lib. 2. c. 25. ubi sic loquitur: *Revelationes ac visiones recensebimus de modo, quo re ipsâ & verè CHRISTUS Dominus existit in Sacramento, quas mihi enarravit, deditque scriptas, dum docerem Theologiam An. 1595. in nostro Collegio Vallisoletano. Docebam autem tunc materiam de Eucharistia, atque hoc punctum de transubstantiatione. Referebat mihi id talibus verbis, & cordis affectibus, ut obstupescens conferendo meas tenebras cum tanta luce, dicerem: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelâsti ea parvulis. Ità Pater quoniam sic placitum fuit ante te.*

XIII. Hujus tanti viri vices quandoque Frater ejus germanus P. Andreas de Ponte Ordinis Prædicatorum, Vir itidem virtutis ac doctrinæ eximiæ, supplebat, in Confessionibus ac Revelationibus excipiendis: qui & ipse maximi has revelationes faciebat, prout de eo narrat P. Ludovicus; ac deinde

inde pluribus refertur in Parte II. à P. Andrea Pinto Ramirez. Sed & alijs quibusdam præclaris ex S. Dominici familia Viris nonnunquam confitebatur, ac cœlestia hæc secreta manifestabat, prout videre est Lib. 1. c. 32.

Alterum argumentum certissimæ harum Revelationum veritatis est Vita ipsa Ven. Virginis Marinæ sanctitate, & omnis generis virtutibus heroicis fulgentissima: de quo cùm P. Ludovicus de Ponte in sua Introductione præclarè disserat, non est, cur hic ampliùs exaggeretur.

XIV. Tertium argumentum itidem à P. Ludovico inductum, est ipsa excellentia harum Revelationum undique Divinum quid spirantium. Tanta profectò tamque sublimia in eis traduntur ad virtutes altissimas, ad discretionem spirituum, ad gubernationem animarum pertinentia lumina, & documenta, ut omnes mundi Doctores, sinè speciali ac extraordinariè sublimi Spiritûs Sancti illuminatione, nullo modo, solo lumine naturali scientiarum, tale quid excogitare, multóque minùs omnes hæretici aut quicunque impostores, quocunque etiam malignorum spirituum auxilio confingere possint. Videatur vel solus liber 5. à cap. 22. ubi ex professo tractat doctrinam altissimarum virtutum, & gubernationis Animarum.

XV. Quartum Argumentum est à valde specialibus circumstantijs, temporis & loci, alijsque, in quibus hæ Revelationes acciderunt. Sciendum namque est Virginem hanc in ea tempora incidisse, in quibus universa Hispania fuit gravissimè adversùs mulierum Revelationes exulcerata, eò quòd paulò antè non modò populus, verùm & Viri ex omni statu summi, ipsique scientiarum, & Academiarum, quin & Ecclesiæ pariter ac Aulæ Regiæ togâ sagóque Principes, à muliercula quadam dæmoni devota Ulyssipone, pudendam planè passi fuissent imposturam, tam acerbo sensu doloris, ut is etiam putetur Viro cuidam Magno vitam extorsisse, qui tam propudiosæ suæ illusio-

nis

nis verecundiam non potuerit sustinere. Cùm ergo ad ea ipsa tempora Ven. Virg. Marinæ Revelationes cœperint propalari, necesse est omnem odiorum & acerbissimarum lingvarum procellam in eam fuisse conversam, ut omnia ejus gesta dictave, ac omnes visiones essent omnibus suspectissimæ, atque in earum omnium reprobationem, quin & detestationem, propenderent universi. Et tamen postquam & in conspectu tribunalium & Inquisitionis, & in præsentia ipsorummet sapientissimorum Regum, totiúsque Aulæ Regalis, & in oculis Universitatum: verbo, in luce totius Hispaniæ Revelationes hæ fuissent facilè 40. annis, continuatæ, multùm divulgatæ, trutinatæ, atque haud dubiè exagitatæ, uno quodammodo ore omnium tam sæcularium quàm Religiosorum Doctorum, Inquisitorum, Episcoporum, Universitatum, sunt pro sanctis & cœlestibus agnitæ, collaudatæ, proclamatæ: adeò ut in quadam post ejus mortem Concione nonnemo Ecclesiastes, vel hinc eam verè sanctam, verè à DEO Divinis Revelationibus honoratam, cum plausu Auditorum probaverit, *eò quòd in hoc asserendo specialibus convenerint affectibus Patres Dominicani, & Patres Societatis JESU, cùm, etiamsi in alijs, adeò sint differentes eorum sententiæ, non tamen discrepaverint, imò summè fuerint uniti, & concordes in perhibendo vero Testimonio, quòd fuerit Spiritus DEI, qui in illa tam admiranda est operatus.*

XVI. Quintum argumentum est ab ingenti hujus etiamnum viventis Virginis apud summos Viros æstimatione & authoritate. Societatis nostræ Præpositus Generalis P. Claudius Aquaviva, Vir inter suæ ætatis sapientissimos meritò recensendus, ejus apud DEUM precibus statum Societatis universæ commendavit. Patres Hispaniæ Visitatores ex eadem Societate in rebus difficilibus ad ejus apud DEUM opem, quin & ad ejus consilia, & divinitus reddenda responsa recurrebant. Ipsa Regi Hispaniarum Philippo III. binas DEI jussu misit epistolas, de

de negotio Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis DEIparæ: ut & ad P. Dominicum Pimentellum Provincialem Hispaniæ Ordinis Prædicatorum. Quin ex eodem Divino jussu scripsit hac de re ad ipsummet Reverendissimum ejus Ordinis Generalem, bono, prout ipsa divinitus intellexit, successu. Ejus præcipuè intuitu imposita est Concionatoribus per Hispanias Lex, nè sermonem ad populum incipiant, nisi priùs laudem Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ pronuntient. Ipsa instruebat suos propriosConfessarios, ipsumque P. Ludovicum de Ponte, quomodo regendæ essent Animæ, & spiritus discernendi. Instruebat etiam Præsides & Superiores Religiosorum de modo suos subditos ad DEI beneplacitum gubernandi, prout videre est Lib. 5. ac specialiter in Epistola ad Provincialem Hispaniæ Ordinis Prædicatorum Anno 1599. ibidem cap. 31. relata. Denique apud ipsum Supremum Ecclesiæ Caput, operâ ejus effectum est, ut in Ecclesiasticos fastos referretur solemnis memoria S. Joachimi Patris Sanctissimæ Virginis: ob quam ab ea navatam operam S. Anna gratias ei coràm spectabilis retulit, & in universam Ecclesiam ingentia pacis bona sunt consecuta divinitus prout habetur l. 4. c. 8.

XVII. Non erit etiam superfluum apponere sensum P. Roderici de Arriaga, Viri à Theologicis suis Tomis per Orbem clari, quem sæpissimè ipsemet audivi magnificè de Venerabili Virgine Marina ità loquentem, ut Pragensi in Collegio nostrō passim diceretur, quamprimum fieret mentio Venerabilis Marinæ, mox P. Arriagam fieri tam eloquentem, ut nullum finem eam laudandi inveniret. Dicebat ipse inter cætera se coram illa Sacrum sæpiùs celebrâsse in ejus cubiculo, eique Venerabile Sacramentum porrexisse, quo sumpto ipsa singulis vicibus per dimidiam horam formosissimæ puellæ vultu apparuisset, tametsi alioquin reliquo tempore esset rugosa jam vetula. In illo etiam cubiculo, tametsi omnes fenestræ essent occlusæ &

obmuratæ (eò quòd ob oculorum vitium lucem non posset sustinere) adeóque valde tenebricoso, semper tamen ajebat auram fuisse similem illi, quæ in vere sentiri solet in quopiam amœno prato.

XVIII. Sextum argumentum est ab eximijs fructibus, quos hæc Venerabilis Virgo ad Gloriam DEI protulit, quos quidem infrà seorsim recensebo, unicum nunc commemorare contentus, quòd ipsa sit Fundatrix Ordinis Virginum S. Brigittæ, quem in Regna Hispaniæ induxit, novásque ei regulas, DEI monitu, nationi Hispanicæ accomodatas præscripsit, prout legere est lib. 5. c. 20. id quod fieri non poterat sinè ingenti ipsius æstimatione apud Regem Catholicum, aliósque Monasteriorum novorum Fundatores.

§. III. *Quare DEUS in his Revelationibus utatur tantis erga suos blanditijs.*

XIX.

QUemadmodum reliqua sua omnia Attributa vult Divina Majestas suis creaturis innotescere, ità vult quoque eis innotescere, sui Amoris omni in genere perfectionem infinitam. Cùm ergo ea, quæ in Amore Gubernatoris erga suos Subditos, in Amore Parentis erga Filios, in Amore Pastoris erga suas Oves, in Amore Fratris erga suum Fratrem, in Amore Magistri erga suos Discipulos, in Amore Domini erga suos Servos, quin & in Amore Filij erga suum Patrem & Matrem; cùm, inquam, omnem eam, quæ in his Amoribus relucet Perfectionem, in vario suo erga creaturas Amore, longè eminentissimo modo contineri, diversis ac multis jam ab Orbe condito modis manifestâsset, necesse etiam erat, ut aliquando ostenderet Bonum illud, quod in Amore blando, qualis præcipuè est inter Matrem ac proles parvulas, inter Gerulam vel Nu-

Nutricem ac ejus lactentem, inter Sponſum & Sponſam invenitur, Amori ſuo non deeſſe: cùm ipſe re verâ non ſolùm noſter Dominus ſit & Magiſter, ſed etiam Pater & Mater, & Nutrix, & Gerula, & Sponſus Animarum noſtrarum, nec in Attributo Amoris blandi minor, quàm in ullo alio Attributo.

XX. Manifeſtum eſt ergo debuiſſe in mundo non exſtare minora, nec minùs omnem noſtrum captum excedentia miracula blanditiarum DEI erga Creaturas, quàm exſtent miracula Sapientiæ, Omnipotentiæ, Juſtitiæ, Miſericordiæ. Manifeſtum præterea eſt, longè magis novo, quàm veteri Teſtamento has blanditias convenire, utpotè cùm vetus Lex timoris fuerit & ſeveritatis, nova verò ſit Lex gratiæ. Imò verò hæ tantæ à DEO blanditiæ ſunt unum ex præcipuis ſignis veræ Eccleſiæ longè ſuperveterem Synagogam elevatæ, adeò, ut niſi cœleſtes hæ blanditiæ nunc invenirentur, videretur DEUS Prophetas ſuos fefelliſſe, per quos pridem prædixerat, & ſpecialiſſimè in Libro Canticorum explicuerat, quantis erga Sponſam ſuam Eccleſiam eſſet quondam blanditijs uſurus, quas quidem qui ibi legit, non poteſt quin obſtupeſcat illum exceſſum, qualem in nullo terreno Sponſo ulla unquam ætas vidit: quia videlicet DEUS, prout in omni genere Entis, ità & in ratione blandi Amoris omnem poſſibilem creaturam in infinitum excedit. Indè eſt quòd in illo Divino Epithalamio tam exoticæ ac planè obſtupeſcendæ inveniantur ſimilitudines & comparationes: ad eummodum, quo nimis ardentibus amaſijs, dum in ſuo æſtu amoris hærent, nulla metaphora, nulla hyperbole ſatis eſt, ad declarandum ſuum erga dilectam tenerrimum Amorem. Cùm ergo harum omnium in veteri Teſtamento prænunciatarum blanditiarum copia debeat in Eccleſia DEI apparere, juxta illud Eſaiæ 66. v. 12. *Ad ubera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis, quomodo ſi cui Mater blandiatur, ità ego conſolabor vos;* planè neceſſe eſt, ut eas aliquibus in novo Teſtamento exhiberi pa-

làm innotescat. Quod profectò quisquis consideraverit, mirari desinet quascunque in Revelationibus Sanctarum legerit cœlestes blanditias, cùm & omnes non excedant eas, quæ in Canticis sunt prædictæ. Quodsi quibus blanditiæ hæ adhuc displicent, quantò magis displiceret, si legerent D. DEUM ità Virginem quampiam Sanctam adamavisse, ità ei blanditum esse, ut diceret: *O quàm pulchra es Amica mea! tota pulchra es! oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, nasus tuus sicut turris Libani, guttur tuum sicut vinum optimum*, & his similia, quibus se Sponsus cœlestis quodammodo defatigat, ut blandissimum suum erga animas nostras affectum satis declaret. Nimirum hæc sunt, de quibus diceret S. Augustinus: *Da amantem, & intelliget quid dico;* quia quæ ex corde frigido prolata, essent inepta, ea suum habent decus, quando ex corde affectibus inflammato procedunt. Neque enim ille magnopere amat, qui adhuc vulgaria & consveta loquitur, ità ut appareat eum omnia verba præmeditari: in tali enim necdum affectus dominatur: at qui amore totus incenditur, ille ea loquitur, quæ non debent ad rigorem ordinarium prudentiæ, & ad libellam omnia cautissimè perpendentis rationis examinari: alioquin nunquam dixisset S. Augustinus (quod passim dixisse fertur) *O DEUS! si ego essem DEUS, & tu esses Augustinus, mallem ego esse Augustinus, ut tu esses DEUS!* nunquam Sancti se dæmonibus omnibus pejores reputarent: nunquam ad tam mira obsequia cæcæ obedientiæ intellectum submitterent: quæ quisquis frigidus ipse consideraverit, aut solum Intellectum, non verò Affectum respexerit, nunquam ut approbet inducetur. Sapiens est illud effatum: Amorem ad ea quæ facere non potest aspirare: Amorem excessibus vivere: Amorem esse cæcum: ut nolit ab oculis Intellectûs terminos sibi statui, sed eò evolat, quò Intellectus sibi relictus non præiret: ità ut extra impetum Amoris facta, notam imprudentiæ non evaderent, quæ tamen in æstu decori ac honesti Amoris facta, decent ac placent:

cent: imò nisì fierent, Amor non esset vehemens, nec dilecto innotesceret. Huc pertinuit illud Agesilai Regis cum suis Filiolis in arundine equitantis, responsum: *Nescitis, quid sit esse Patrem.* Quin & hinc ortum habuit ipsa CHRISTI Domini pro nobis Mors & Passio, verè Excessus Amoris. Unde Beatus Jacoponus cùm ei sese amore CHRISTI Domini in cloaca voluntanti CHRISTUS Dominus conspicuus, utrùm stultizaret exprobrâsset, opportunè respondit: Tu potiùs, ô Domine, tu magìs stultizasti, quando Amore mei, tam miseri hominis, patibulum inter duos latrones ascendisti. Et propterea ipsemet CHRISTUS Dominus Ven. Virgini Marinæ ad tantos favores attonitæ Anno 1617. 20. Maji prout scribitur Lib. 2. c. 21. §. 4. dixit: *Noli obstupescere, me hoc facere, propter unicam Animam. Scis enim, ac fide credis majora, quæ pro omnium salute feci: & si opus esset, facerem pro una earum.* Aliàs, prout habetur Lib. 1. c. 3. §. 3. dicenti, quòd tanta vix legantur contigisse Sanctis, respondit: *Ergóne mea Potentia est alligata solùm ad id, quod feci?* Iterum aliàs objicienti: *Domine quis unquam credet tantas ac tam mirabiles gratias?* reposuit: *Quare non crederentur? nónne fuit magis mirum, quòd sim factus homo propter homines, & tantùm illorum causâ passus, quódque vobiscum manserim in Sacramento Altaris?* Item cùm eam in lecto decumbentem vellet proprijs manibus sublevare, ipsáque huic dignationi valde reluctaretur, dixit: *Adverte, quid est plus, an quòd hoc tibi faciam, quòd me juvante consurgas, an verò quòd maneam in Sanctissimo Sacramento, ut me sumant ij, quos ego amo, propter quos etiam sumor à tot malis Sacerdotibus & sæcularibus?*

XXI. Et re verâ si Evangelium perpendamus, & in eo CHRISTUM Dominum ad pedes Judæ prostratum, à dæmone ad montem deportatum, à Judæis consputum, colaphizatum, denudatum, irrisum, flagellatum, in patibulo suspensum consideremus: evanescet omnis illa nostra opinio, quâ digna-

C 3 tio-



tiones Sanctis in Ecclesia exhibitas, DEUM dedecere arbitramur, aut nè pariant contemptum, veremur. Cessabit & illa nimia admiratio, quòd in his Sancti se reciprocè erga DEUM tam blande gerunt, & tam mira mutuæ confidentiæ exhibeant specimina: neque enim sinè his satisfieret blandi Amoris perfectioni. Quanquam etiam extra similes Revelationes, multi Sancti blandissimè cum DEO egerunt, ùt patet in meditationibus SS. Augustini & Anselmi, in jubilo S. Bernardi, & vel maximè in illis cantilenis ac ritibus quos Ecclesia in Festis Natalitijs erga CHRISTUM Dominum adhibet, ubi CHRISTUM Dominum in cunis agitari, Angelos ad infantilia quædam obsequia damnari planè non ferrent, aut cachinnis exciperent illi, quibus blanditiæ illæ in Revelationibus Sanctarum tam vicinæ fabulis anilibus, aut comœdijs videntur.

XXII. Specimina nimirum quædam & præludia hæc sunt futuræ quondam in cœlis cum DEO familiaritatis, ubi CHRISTUS Dominus *transiens ministrabit* suis, cujus etiamnum *deliciæ* sunt *esse cum filijs hominum.* Qui si amore nostri victus, nostra non est dedignatus assumere tædia, & tristitias, cur & nostras blanditias dedignaretur? qui nos redemit sangvine, dedignabitur suas electas Animas sibi annulis desponsare, torquibus, floribus, monilibus exornare, varijs vestimentis condecorare? Satis id profectò testantur ea, quæ in Breviario Romano S. Agnes ab hoc suo cœlesti Sponso deliciosè sibi, hauddubiè in aliqua visione contigisse enarrat: *Mel & lac ex ejus ore suscepi, & sanguis ejus ornavit genas meas. Dextram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Ejus mihi organa modulatis vocibus cantant. Annulo fidei subarrhavit me: Induit me cyclade auro textâ, & tanquam Sponsam decoravit me coronâ. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum repromisit.* Quibus quidem simillima in

Vi-

Vita Venerabilis Virginis Marinæ passim reperiuntur.

XXIII. Denique si dæmon ipse tam promptus quandoq; suis adest, eísque se exhibet familiarem, dubitarine potest, quin infinities propensior sit, ac paratior ad omnem DEUS nobiscũ familiaritatem? Neque enim dæmon idipsum ullo nostri Amore, sed solùm quâdam affectatione imitationis DEI facere putandus est, prout in rebus omnibus simiam Divinitatis agere affectat.

§. IV. *Quare ejusmodi Revelationes Mulieribus potiùs præstentur quàm Viris.*

XXIV.

NEgo imprimis certò constare pluráne DEUS Mulieribus quàm Viris revelet, præsertim cùm Revelationes non sint unius generis, prout habemus ex Divo Thoma 2.2. q. 174. a. 2. & 3. ubi docet excellentissimum modum prophetiæ ac revelationum, quíque à solo DEO (q. 172. a. 3. ad 2.) non verò à dæmone præstari possit, esse eum per quem aliqua supernaturalis veritas conspicitur secundùm intellectualem veritatem, non per similitudinem corporalium rerum secundùm imaginariam visionem, adeóque non per phantasiam: atqui ea quæ nullo modo subsunt phantasiæ, non sunt enarrabilia, aut certè non possunt proprijs verbis explicari: sed solùm per quasdam planè ineptas, improportionatas, & insufficientes similitudines: prout videre est in Revelationibus B. Angelæ de Fulginio lib. 1. ubi frustrà laborat, quin & ejus Confessarius, in explicando debitè quidnam viderit, quando quâdam vice certo quodam modo DEUM se vidisse narrat. Patet hoc in Apocalypsi S. Joannis, ubi plurima sunt ideo obscurissima, quia per similitudines imaginarias, seu tales, quales phantasia nostra potest capere, explicantur, & indicantur profunda mysteria, non ima-

imaginabilia, sed solùm intelligibilia. Ità in vita Ven. Virginis Marinæ L. 3. c. 1. §. 1. valdè est admirabilis visio, ubi post alia dicit Ven. Virgo: *Quale sit hoc secretum admirabile, nec suppetunt verba, neque reperitur ullus creatus Intellectus, qui possit sufficienter declarare. DEUS det cui voluerit, ut id experiatur, & agnoscet ità esse.* Cùm autem sæpiùs ibi Ven. Virgo utatur similitudine maris & littoris, subdit: *Voco autem littus, egressum ex hac immensitate: non quòd ibi viderim mare vel littus, aut aliam speciem corpoream.* Deinde §. 4. jussit eam DEUS conscribere, quomodo Anima in Divinam caliginem absorpta se habeat, & quòd tunc loquatur eà phrasi, ac sensu, quo illic agitur. Ex quibus apparet, quòd illa non sint nobis satis exprimibilia. Et propterea tales ità ad solum Intellectum pertinentes Revelationes, sunt alijs hominibus, præter eos, quibus fiunt, ferè inutiles, eò quòd non possint enarrari, ita ut etiamsi in libros referantur, vix ab ullo intelligantur. Sunt tamen eatenus utiles, quatenus videndo tanta & tam imperceptibilia dona à DEO Sanctis præstari, excitemur ad sincerum ejus Majestati præstandum obsequium. Insuper Sanctus ille, qui Revelationibus illis Intellectum habet tam illuminatum, redditur valdè aptus ad præclarissima tradenda documenta, quibus in sanctitate, & omni spirituali necessitate diriguntur. Cùm ergo Viri sancti præ sanctis Mulieribus excelluerint in gubernanda Ecclesia, atque in omnigena dirigendi spiritûs doctrina, facilè credi potest, eos quàm plurimas merè intellectuales habuisse Revelationes, quas tamen ideo literis non tradiderint, quia nec satis exprimere potuerunt, nec sperârunt se satis ab alijs intellectum iri.

XXV. Sed quod Revelationes phantasiæ operâ peractas attinet, videntur sanctis Mulieribus frequentiores accidisse, cùm longè plures sint conscriptæ. Quod quidem mirum non est, cùm Philosophi nôrint, fœminas in imaginatrice vi præcellere. Sciunt autem Theologi, quòd Gratia Divina naturæ se

acco-

accomodet, itâ ut in Angelis operetur ad quandam correspondentiam, quasi proportionem naturæ Angelicæ: in hominibus verò accomodet se naturæ humanæ. Deinde in Viris sit modo quodam virili, in fœminis fœmineo: sicut in Amos Propheta pastoritium quid apparet: quando è contrario Danielis prophetia undique Aulam & quiddam regale spirat. Hinc fœminis non datur Spiritus Apostolicus ad percurrendas Gentium provincias, nec ad concionandum, aut hierarchiam Ecclesiæ gubernandam: ut proinde mirum non sit, quòd vicissim detur eis, præ Viris, abundantia spiritûs precum, & orationis, ac tenerrimæ devotionis.

XXVI. Jam ergo clara est ratio, cur erga sanctas Mulieres tantis Divina Majestas dignetur uti blanditijs, quia videlicet, cùm juxta sanctissimam voluntatem (quod in Canticis Canticorum prænuntiare dignatus est) statuerit omnino Ecclesiæ manifestare infinitatem sui tenerrimi Amoris, & Attributi Divinarum blanditiarum, ubi, quæso, aptiùs blanditias exeret, quàm erga sexum planè ad blanditias natum? aut erga quem aptiùs assumet personam Sponsi, quàm erga sanctas Virgines? Ipsamet hoc agnoscit Ecclesia, dum Sanctimoniales specialiter ornat titulo Sponsarum CHRISTI.

XXVII. Et verò in hac vita satisfaciendum est etiam phantasiæ, cui nunquam persvadebitur, blanditias inter duos graves Viros, aptè adhiberi, itâ ut alter alterum compellet: *Columba mea: aurora mea: ecce tu pulchra es.* Cùm ergo sciamus CHRISTUM Dominum esse Virum, DEUM verò ipsum semper etiam sub sexu virili, imò sub figura Viri grandævi concipiamus, planè phantasiæ nostræ non satisfieret, si inter eum & Virum quempiam sanctum tenerrimas illas Canticorum blanditias mutuò in quapiam visione intercessisse audiremus: siquidem hos verba potiùs gravitatis plena & authoritatem spirantia decere arbitramur. Non diffitemur tamen posse à Viro quo-

cunque etiam gravissimo blanditias & verba teneritudinem redolentia non ineptè adhiberi erga suam Sponsam, aut etiam erga tenerum quempiam suum Filiolum, vel quemvis alium puellum.

XXVIII. Et propterea ut nobis se Divina Majestas etiam in hoc accomodet, si quando ejusmodi blanditijs vult sanctos Viros dignari, tunc eis se CHRISTUS Dominus in specie Infantis aut pueruli exhibet, ut detur reciprocæ teneritudini locus. Quin & illud animadversum est, quòd ipsa Sanctissima DEipara potiùs soleat cœlitus cum Viris conversari, eò quòd sic in persona vel Matris, vel Sponsæ, possit cùm eis agere blandissimè. Hinc quoque ortum est, ut CHRISTUS Dominus nunquam legatur sibi annulo desponsâsse in sponsum vel sponsam ullum sanctum Virum; sed bene permultas Virgines: quando è contra Sanctissima Virgo Mater DEI, nullam sibi desponsavit Sanctam, sed Sanctos, ùt S. Edmundum. Quod si quando DEUS velit sibi Virum desponsare, assumit personam fœmineam Misericordiæ, vel Sapientiæ &c. prout factum est erga S. Joannem Eleemosynarium, B. Laurentium Justinianũ, Henricum Amandum Susonem, &c. aut personam infantis vel pueri, ut erga S. Antonium de Padua, B. Hermannum Joseph, &c.

XXIX. His sic stabilitis nihilominus ipsamet Divina Majestas adhuc aliam causam assignare dignata est, dum S. Theresiæ, cur sibi miserculæ fœminæ, & non potiùs primarijs Academiarum Doctoribus, tam familiariter colloqueretur, interroganti, respondit: Doctoribus non vacare, propter tot quos perlegendos assumunt libros. Ex quo Divino responso profectò apparet ipsosmet Viros sibi obstare, utpote alijs nimis intentos: quando interea sexus fœmineus præcipuâ curâ soli DEO attendit. Accedit quòd ex Divinis habeamus literis, cum simplicibus esse DEI sermocinationem. Mirum ergo non est, quòd non

non solùm mulieribus præ Viris, sed etiam idiotis præ eruditis talia mysteria innotescant: adeò ut etiam voluerit DEUS quandoque per fœminas innotescere quædam, quæ universam Ecclesiam concernebant, quale fuit & illud, quod per S. Luciam Virginem Martyrem Syracusanam revelaverit, finem imminere immanissimæ illius à Diocletiano excitatæ persecutionis. Sic S. Franciscus Xaverius ex studijs, quibus in Parisiensi Academia vacabat, fuisset avocatus, & consequenter Indiæ hoc Apostolo caruissent, nisi sorori ejus, quantus esset in vinea Domini operarius futurus, fuisset divinitus indicatum. Sic Societas JESU per S. Ignatium tanto fructu in Ecclesia DEI erigenda, fuit prius ab aliquot sanctis Mulieribus prævisa, & ab eis prænunciata.

§. V. *Quomodo fiant cœlestes hæ Revelationes?*

XXX.

TRiplex est à S. Thoma 2.2. q. 173. a. 3. modus descriptus. Primus quando ipsis sensibus exterioribus aliquid percipitur: prout Danieli apparuit manus scribens in pariete, & sæpius voces variæ sunt auditæ. Secundus, quando solà imaginatione aliquid percipitur: prout fit per somnia, & prout sunt pleræque omnes, quas descriptas habemus Revelationes, plenæ corporeis, quas phantasia percipit, similitudinibus. Tertius, quando per solas species intelligibiles soli Menti & Intellectui aliquid imprimitur, prout factum est Salomoni & Apostolis, de quo jam diximus §. præcedenti. Primus autem modus est facilis & cognitioni obvius. Medius ille habet difficultatem. Fit ergo ille, prout docet S. Thomas 2.2. q. 172. a. 2. vel per novas species imaginarias phantasiæ impressas (prout fieret, si alicui cæco nato, divinitus imprimerentur in imaginatione species colorum) vel per hoc, quòd species jam antea per sensus acceptæ divinitus ordinentur, & transmutentur diversi-

 mo-

modè in ordine ad id, quod est ab Anima illa intelligendum. Sicut enim ex diversa ordinatione earundem litterarum, accipiuntur diversi intellectus; ità etiam secundùm diversam dispositionem phantasmatum resultant diversæ species intelligibiles. Hoc autem potest utrumque fieri tam in vigilia, quàm in somno.

XXXI. Hinc jam facilè solvitur, ea, quam quidam objiciunt, difficultas quòd videlicet hæ Sanctorum Revelationes videantur sòmnijs simillimæ, atque ideo appareant ridiculæ: nam re ipsâ verè aliquando fiunt in somno, prout contigit Sanctis Patriarchis Jacobo, & Josepho: & aliàs semper modo somnijs non dissimili, prout loco citato insinuat Princeps Theologorum. Unde etiam iste modus est obnoxius illusionibus dæmonum, potéstque etiam ex morbis contingere: adeóque indiget accurato examine, ut Spiritus Divinus à spurio discernatur.

XXXII. Est tamen modus iste in hoc præ alijs utilis, quòd talis Revelatio possit facilè per modum historiæ litteris tradi, prout in seipsa gesta est: tametsi sæpe lateant profundiora mysteria, prout patet in Apocalypsi S. Joannis, quæ quidem videtur magna parte facta in imaginatione, & modo quodam somnijs non planè absimili.

XXXIII. Neque tamen dubitandum est, quin sæpe interveniat modus ille primus, quo re verâ sensibus externis ea, ex quibus constat Revelatio, percipiantur: prout cum Ven. Virgine Marina sæpius contigisse certum est.

XXXIV. Sed præcipua restat difficultas, nùm Sancti re ipsâ verè corpore adsint ibi, ubi aliqua percipiunt: ùt quando Ven. Marina toties narrat se fuisse in cœlo, atque in diversis terrarum Provincijs, aut Templis, vel domicilijs, &c. Habet hanc difficultatem S. Doctor 2.2. q. 175. a. 6. ubi tractat locum S. Pauli 2. ad Cor. 12. *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio,*

nescio, DEUS scit. Et respondet non posse hanc quæstionem satis determinari, cùm ipsemet S. Paulus hæc ignoraverit. Unde meritò nec à me, nec ab ullo in carne, peti debet, ut quæstionem hanc planè decidamus.

XXXV. Quod tamen Ven. Virginem Marinam specialiter attinet, fuit ipsa sæpissimè unà cum corpore ad diversa loca translata, cùm ipsamet id expresse sæpius asserat: & intrà ipsum cubiculum ordinariè, etiam spectantibus hominibus, solita sit Angelorum ministerio levari ex lecto, prout ejus necessitas corporalis exigebat. Sed an etiam in cœlum fuerit aliquando cum corpore translata, nec ipsa satis exprimere mihi videtur, nec aliunde colligere potui, cùm nullibi declaretur an corpus ejus tunc, & quidem quandoque per plures dies, à lecto abesse fuerit animadversum.

XXXVI. Qui plura de modo Revelationum & Raptuum scire volet, legat S. Thomam 2.2. q.171. usque ad 175. inclusivè.

XXXVII. Neque tamen dissimulare volo in hac Venerabilis Virginis Marinæ Vita esse quid hoc in puncto præ alijs Revelationibus admirabile, prout præter loca alia, habetur etiam L. 3. c. 13. & 14. ubi CHRISTUS Dominus Animam ejus ex Cœlo ad eam detulit, tanquam quid ab ea distinctum, dixitque eam esse partem superiorem Animæ. Sed planè stupendum est, quod habetur c. 14. §. 3. quomodo superior pars Animæ habitans in cœlis, salutaverit advenientem ad cœlum partem inferiorem ejusdem Animæ. Et §. 4. cùm pars inferior rediret in terras, pars superior remansit in cœlo. Deinde §. 5. putat ipsamet Ven. Marina fuisse in cœlis conjunctas, suam Animam, & suam Naturam, seu suam partem superiorem & inferiorem. Quæ omnia puto esse emblematicè intelligenda, ut exprimatur, quomodo cogitationibus & corde possimus per Divinam Potentiam ità DEO inhærere, ut tamen his inferioribus naturæ

operationibus tunc etiam adhuc sufficiamus: sed tamen facilè admiserim me non esse sufficientem ad tantas DEI gratias explanandas, cùm hæc sit Gloria DEI, ut omnem nostram capacitatem opera ejus excedant.

§. VI. *Qui sint apti ad legendum cum fructu tales Revelationes.*

XXXVIII.

UT suus his cœlestibus Revelationibus fructus constet, advertendum est eas non pro omnibus vulgari, cùm non desint quidam ità dispositi, ut noxiæ potiùs eis essent futuræ, quàm salutares: prout nec Sacræ Scripturæ promiscua lectio omnibus expedit, adeò ut nec in Religiosorum triclinijs super mensam omnia, quæ in ea continentur, prælegantur.

XXXIX. Inprimis ergo non porrigendæ hæ Revelationes hæreticis, juxta Divinum CHRISTI Domini monitum: *Nolite Sanctum dare canibus.* Ipsi enim hæc pretiosissima Catholicæ Ecclesiæ cimelia fœdissimè discerperent, conculcarent, & scurrilibus suis dicterijs ac sannis (prout à Patriarcha suo Martino exemplum acceperunt) defœdarent, cùm nec ipsi Sacræ Scripturæ, ac inprimis sacratissimo illi cœlestis Sponsæ in Canticis epithalamio parcant: sed illud in profanis suis nuptijs carnalibus suis delicijs adaptent, ac pro incitamento suæ libidinis adhibeant. Nihil eis occurrere potest quàm caro, quàm cœnum, quàm fœtor; quem in colloquijs, in picturis, in libris exhalant. Lutheri fuit spiritus omnia negare: ut hodieque Lutheranismus præcipuè fundetur super hanc maximam: *Plus potest unus stultus negare, quàm centum sapientes probare.* Et propterea Lutherani post quantamcunque demum disputationem, evidentem probationem, & clarissimam demonstrationem, semper adhuc obstinatè, planè quasi ad tantam lucem cæci, clamant & ingeminant, sibi denique non videri. Mirabile autem

est

est, quòd cùm eò sint imprudentiæ progressi, ut in rebus ad salutem æternam spectantibus eis persvadendis, nulla eis testimonia, nulla signa credibilitatis sufficiant, adeò ut pro libidine sua quem volunt librum pro Canonico suscipiant, quem nolunt repudient, & ex Sacra Scriptura expungant: fabulis tamen & anilibus nugis facillimè credant, prout & Kalendaria eorum perpetuò sunt plena futilibus quibusdam narrationibus, de novis prodigijs & portentis, quæ etiam, quasi ad terrorem populi, per compita decantant, typis evulgant, nec de his sine nota imprudentiæ putant licitum dubitare, justo DEI supplicio in eos, qui sui Martini sordes ausi sunt Ecclesiæ & omnibus SS. Patribus anteferre.

XL. Sed dicet quis: potiùs ergo tales Revelationes non essent typis vulgandæ, nè in scurriles hæreticorum manus incidant. At, sic etiam omnes Monachorum Ordines, eorúmq; vestes, omnes item cæremoniæ ac libri rituales, plurimorum item Sanctorum Vitæ, aliáque innumera essent abroganda, quia hæretici suæ sibi inde faciunt materiam scurrilitatis.

XLI. Secundò non sunt ad harum Revelationum lectionem admittendi homines sceleribus, præsertim carnalibus, penitus immersi, nè *margaritæ projiciantur ante porcos*. Siquidem & his non minùs, quàm Lutheranis, mox se ingerit caro, & omnia hæc cœlestium blanditiarum specimina eis obnubilat exhalatio libidinosa.

XLII. Tertiò nec sunt Revelationes hæ lectu utiles hominibus penitus idiotis, aut quibus nihil penitus de via Perfectionis innotuit: hi enim ad omnia hæc planè hærerent attoniti, nec adverterent sub corporalibus his symbolis latere mysteria cœlestia, adeóque ex omnibus nimis ruditer acceptis, tanquam DEO indignis, non nisi offensionem & confusionem referrent. Hinc etiam non expedit in quavis lingva vernacula eas edi.

XLIII. Quartò non sunt etiam his Revelationibus legendis

dis apti, quorum aut indoles, aut prava consvetudo est omnibus contradicere, semper aliena carpere, nec quidquam admittere, quod ipsimet experti non sunt. Multóque minùs illi qui à spiritualibus abhorrent, ità ut nonnisi profana eos delectent, & nova militaria, historiæque non sacræ. Huc etiam pertinere possunt illi, qui ad primum nomen fœmineæ revelationis commoventur, & mox, ut ità dicam, aures obturant. Ad quos respexerit Blosius, dum in fine Appendicis ad monile spirituale, postquam locutus est, de Revelationibus factis S. Brigittæ, S. Catharinæ Senensi, S. Mechtildi, & S. Gertrudi, hæc verba subjungit: *Liquet, quàm longè adhuc à Spiritu DEI sint, qui prædictas Revelationes tanquam somnia mulicrcularum rejiciunt, & irrident. DEUS illis ignoscat.*

XLIV. Quintò non proficient etiam ex his revelationibus, quicunque etiam docti, ac Religiosis Ordinibus adscripti, qui nihil antea de sublimi ac delicata vita unitivi cum DEO Amoris in Libris Asceticis, aut Vitis extraordinariorum Sanctorum legerunt. Hinc non in quovis cœnobio expedit eas publicè legere, cùm pronum sit invenire aliquos, qui quidquid non intelligunt, contemnant, quorum authoritate permoti alij, etiam ipsi ab eis avertantur, eas vilipendant, ac planè explodant. Sic quoque non sunt proponendæ osoribus omnis teneræ devotionis, solitis se appellare solidos, id est exsuccos, nihil nisi essentialia æstimantibus. Ex quibus omnibus patet, nec pro concionibus temerè quidlibet ex eis esse populo proponendū, sed cum delectu, ac promissâ ferè declaratione ac explicatione, ad mentem Auditorum præmuniendam, nè pro sperato fructu risus vel offensio sequatur. Quòd autem contingat etiam in Doctoribus quandoque hæc non intelligi, mirum non est, cùm non omnes Doctores Theologiæ intelligant etiam Theologiam mysticam, aut ecstases & raptus, quin quandoque nec ordinarium modum contemplationis. Huc pertinet illud, quod Ven.

Ven. Virgini Marinæ contigisse refertur L. 1. c. 23. ubi Sancto Dominico agente jussa est ex sua solitudine egredi ad monasterium Prædicatorum pro ipsorum aliquo spirituali auxilio: quod tandem fecit successu felici, de quo ipsa §. 2. sic subdit: *Aliquot diebus continuabam, quod mihi DEUS inspirabat, erátque ut exponerem Religiosis, quibus cum agebam, quædam puncta rerum spiritualium: siquidem hoc magni Theologi non bene intelligunt, nisi eorum habeant usum, sintque DEO familiares. Dicebam illis exempli causâ, quid sit unio Animæ cum DEO, & quos in ea motus & affectus operetur hoc tantum bonum: aliàs autem quid sit cognitio sui ipsius, quando illam DEUS per speciale lumen infundit Animæ, non absque vehementia, & efficacia, & quos adeò admirandos ac utiles producat effectus, in Anima: aliàs quid sit spiritus, quid agere & conversari cum DEO, qualisve modus, quo Divina Majestas aperit Animæ, cui se eâ ratione communicat, suam voluntatem non rebus duntaxat ordinariis, verùm etiam in extraordinariis.*

XLV. Aptissimæ ergo ad hasce tam singulares gratias legendas sunt illæ Animæ, quæ puritate conscientiæ, & virtutum studio enituntur per orationis mentalis viam ad familiaritatem cum DEO, & ad quasdam pietatis teneritudines. Denique omnes quicunque magni faciunt eos cœlestes gustus, quos Divina Misericordia suis dilectis communicare, quósque magis ordinariè ferventes Religiosorum Novitii solent experiri.

XLVI. Legendæ etiam à Patribus spiritualibus, seu aliorum in viâ spirituali Ducibus, ut variorum DEI ductuum acquirant notitiam, & intelligant, quàm mirabilis sit DEUS in Sanctis suis, & quàm non sint Animæ omnes ad eandem viam spiritûs adstringendæ.

XLVII. Denique legendæ etiam sunt à Theologis, ut videant, quomodo hæc sint armis Theologicis protegenda, & quomodo aut rudibus, aut malevolis respondendum, occurrendum, & satisfaciendum: atq; ut mysticæ Theologiæ cum scho-

lasticæ cognitione conjunctâ, sciant & possint tantò magis & meliùs Ecclesiæ quacunque in occasione inservire, nôrintque aptum & prudens de talibus ferre judicium, ubi opus est, nè fortè in occasionibus oblatis appareant talium penitus ignari cum exiguo Ecclesiæ Catholicæ & Academiarum honore.

§. VII. *Quanti fructus ex Sanctarum Mulierum Revelationibus in Ecclesiam redundent.*

XLVIII.

UNica S. Theresia sufficeret ad ostendendum, quanta hinc enascantur emolumenta, quando ab illa unica cœlestibus visionibus illustrata, tot & tanta sunt in universam Ecclesiam bona consecuta. Verùm fructus aliquos ex innumeris enumeremus. Primus sit, quem adducit P. Ludovicus de Ponte in Vita Ven. Virginis Marinæ, L. 2. c. 13. dicens: *Donum orationis est fructus gloriosissimus, qui colligitur ex hujusmodi visionibus.* Nempe per has Anima, quasi manuducitur ad intimam cum DEO familiaritatem. Et inprimis ex eis facillimè hauritur modus ille contemplandi, qui à S. P. N. Ignatio vocatur Applicatio sensuum. Item Instructio, qui circa quodlibet mysterium affectus sint eliciendi. Præterea magnum hinc accipitur adjumentum ad Sacro-sanctam Communionem quàm pijssimè obeundam.

XLIX. Secundus est, egregium signum Credibilitatis Ecclesiæ Catholicæ ex tanta abundantia spiritus devotionis & doctrinæ Asceticæ, atque ex tam sublimi, etiam in sexu fragili sanctitate & cum DEO familiaritate: quando nostri temporis hæretici, non dico Sanctas Virgines, sed vix habent Virgines: siquidem, ùt ajunt, mandata DEI ac Virginitas servatu ijs sunt impossibilia. Doctrinæ verò Asceticæ nec vestigium apud eos exstat, ut ipsum etiam nomen ignoretur, totáque teneræ devotionis

tionis substantia demum in quibusdam exquisitis constet epithetis, quibus, exempli gratiâ, CHRISTI Domini vulnera appellant rubino-rosea, aut purpureo-rubicunda. Et verò quàm grandis est iste honor Ecclesiæ, quòd in unius Catholicæ mulieris libello plus exstet sublimis & excellentis doctrinæ sacræ, quàm in toto Alcorano, in toto Thalmud, in omnibus Græcorum, Ægyptiorum, Arabum, Sinarum, & reliquarum gentium profanis Philosophis, in omnibus hæreticorum & prædicantium Tomis.

L. Tertius est, quòd Ecclesia DEI hinc habeat pro eis, qui in gradu eminentiori DEO serviunt, etiam quædam eminentiora lumina, incitamenta, documenta, præsertim pro contemplativis. Neque enim decorum fuisset, si homines magis devotioni addicti, nihil speciale præ alijs quibuscunque justis habuissent. Et verò quidnam potest esse efficacius ad extorquendum à corde nostro erga DEUM amorem, quàm si nos ab eo tantopere amari videamus? quin etiam hinc desumitur robustum in omnibus hujus vitæ difficultatibus solatium, dum videmus tanta nobis à DEO in cœlis præparari.

LI. Quartus Fructus est, Discretio spirituum, & Prudentia pro agnoscendis DEI ductibus, & varijs unionis gradibus necessaria. Certè à S. Theresia didicere Viri doctissimi, totaque Religio Carmeli. Magnus ille spiritûs Magister in Societate nostra P. Achilles Gagliardi, sapientissimum illum suum libellum ornavit eis, quæ à B. Aloysio Gonzaga adolescente intellexit. Ità Ludovicus Blosius multus est in allegandis pro librorum suorum firmamento Sanctarum Mulierum visionibus & doctrinis: id quod etiam videre est in Tomis P. Nicolai Lancicij Societatis nostræ.

LII. Quintus Fructus est, quòd per eas plurimorum Fidei nostræ Mysteriorum pleniorem accipiamus cognitionem, præsertim eorum, quæ circa CHRISTUM Dominum nostrum à

Sanctis Evangelistis sunt prætermissa. Sic Lib. 2. c. 25. §. 1. CHRISTUS Dominus in Ven. Virgini Marinæ miranti, cur sibi tanta de Venerabili Sacramento ostenderet, dixit: *Ego volo, ut mei Amici hic aliquantùm degustent & cognoscant mysteria, quæ pro illis & pro ipsorum bono, ac remedio sum operatus in mundo.* Plurima etiam nobis innotescunt de statu vitæ futuræ tam in Cœlo, quàm in Inferno, atque ut sciamus nos in cœlesti Patria non futuros instar immobilium truncorum, nihilque operaturos. Certè in Revelationibus Vener. Marinæ quasi specimen quoddam cœlestis Vitæ voluit DEUS exstare. Quanquam & pleraque veteris Testamenti mysteria mirabiliter in ea renovavit; ùt scalam Jacob & luctam cum DEO, L. 3. c. 4. §. 2. & 3. Moysen, qui vidit posteriora DEI, L. 3. c. 1. §. 1.: Et Raptum S. Pauli, L. 3. c. 2. §. 4.: Abraham, qui tres vidit, & unum adoravit, L. 3. c. 8. §. 1.: Rubum ardentem, L. 3. c. 4. §. 1.: Eliam, cui DEUS in sibilo venti appàruit. Illud Davidis: *Si ascendero in Cœlum, tu illic es*, L. 2. c. 16. §. 7.: Serpentem æneum, L. 2. c. 16. §. 7.: *Sub umbra ejus, quem desideraveram, sedi*, L. 2. c. 6. §. 5.: Miphiboseth in mensa Davidis, L. 2. c. 18. §. 4.: Currum Ezechielis, L. 2. c. 20. §. 2.: Manna, L. 2. c. 21. §. 2. Mysteria item plurima novi Testamenti, qualia sunt: Incarnatio, L. 2. c. 3. prout in Indice invenitur. Item, quomodo S. Dionysius dixerit se crediturum fuisse, Sanctissimam Virginem esse DEAM. Quomodo CHRISTUS Dominus Magdalenam coram Martha excusaverit, L. 2. c. 7. §. 4.: S. Magdalena ad sepulchrum, L. 2. c. 16. §. 6.: *Noli me tangere*, L. 2. c. 18. §. 2.: Quomodo CHRISTUS Dominus sit in Venerabili Sacramento, L. 2. c. 8. §. 3. Plurima item ei aperta sunt de Divinis Attributis, de dignitate Angelorum, aliisque prout Lector abunde inveniet. Quod si quando movemur ad pietatem spectaculo quopiam in theatro comico de Vita CHRISTI Domini, aut Sanctorum exhibito: quantò magis id sperandum est, dum mysteria illa ità reno-

renovari legimus, ut quodammodo eis interesse videamur? Æstimamus piorum Virorum contemplativorum de gestis CHRISTI Domini probabiles conjecturas, cur ergo cœlestia de his responsa, repudiamus, aut dum ipsemet CHRISTUS Dominus ea iterum exhibet, legere & spectare dedignamur? certè quantopere ei hæ repræsentationes placeant, patet vel ex eo, quòd per eas voluerit totam Missam celebrari.

LIII. Sextus Fructus Revelationum Ven. Virginis Marinæ peculiaris est, Exemplum, quàm cautè sit in talibus extraordinarijs divinis favoribus procedendum: siquidem Vener. Virgo Marina tantas hoc in genere adhibuit cautelas, ut P. Ludovicus de Ponte non dubitaverit asserere, sicut S. Franciscum Seraphicum in paupertatis Evangelicæ, aliósque Sanctos in virtutum aliarum; ità in exemplum cautelæ & circumspectionis esse à DEO Ecclesiæ datam. Unde & CHRISTUS Dominus L. 2. c. 26. §. 4. ad eam dixit: *Marina magnopere times; verùm ità perge, & esto certa, quòd si taliter timerent Animæ, non circumvenirentur tot illusionibus, uti fit.*

LIV. His addi possunt peculiares illi Fructus, qui ex Ven. Virginis Marinæ visionibus in totum mundum, ac in Hispaniam præsertim, provenerant, prout sparsim in ejus Vita inveniuntur: quos inter est ille ad immaculatam Sanctissimæ Virginis Deiparæ Conceptionem, initio concionis collaudandam pertinens, de qua dictum suprà. Item quòd festum S. Joachimi in Breviarium Romanum à Summo Pontifice imponi procuraverit. Quòd Ordinem Monialium S. Brigittæ in Hispaniam induxerit. Quòd Canonizationem S. IGNATII de Lojola à DEO tempore vitæ suæ impetraverit, & pridem prædixerit. Quòd plurimis hominibus subsidijs temporalibus & spiritualibus succurrerit, directa Divinis his Revelationibus. Deniq; quòd plura adhuc futuris temporibus ventura à DEO exoraverit, inter quæ est futura conversio Angliæ, & alia quæ lecturi in ejus Vita deprehendent.

LV. Denique tanta, ut sic loquar, Divinæ Majestatis sollicitudo, ut hæ Revelationes conscriberentur, & tanta P. Ludovico de Ponte in cœlis pro labore eas combinandi promissa præmia, manifestant, quanta DEUS bona lectoribus pijs & sinceris communicare disponat. Sic jussit DEUS Sanctam Brigittam sua conscribere ad movenda corda, quæ lectione Sacræ Scripturæ tunc temporis non movebantur. Sic lecturis revelationes S. Gertrudis grandes cœlestes favores pollicitus est.

LVI. Roganda est ergo Divina Majestas, ut nobis & affectum ad eas diligenter ac piè volvendas, & lumen ad debitè intelligendas elargiatur, ut sic defectum, qui sæpe in nostris orationibus mentalibus contingit, compensemus.

§. VIII. *Objectiones quædam diluuntur.*

LVII.

INprimis adverti graves etiam Viros à fide Revelationibus ejusmodi præstanda retineri, eò quòd videantur sibi contradicere: id quod præcipuè notatur circa vulnera CHRISTI Domini, quorum non tot millia computantur in Revelatione una, quot in altera: ut proinde necessariò alterutra Revelatio falsa, & consequenter fictitia, aut illusoria sit habenda. Quod si jam semel deprehendantur falsæ, nullam ampliùs in toto fidem merentur. Sed ad quæstionis hujus solutionem advertendum est, rebus divinis & propheticis frequens esse, ut sint profundæ & obscuræ. Grandis certè Sanctos Patres habuit labor, ut Evangeliorum concordiam demonstrarent. Quantùm Sanctus Augustinus circa totam Sacram Scripturam hoc in genere desudârit, apparet ex ejus de Civitate DEI libris. Et quidem quod vulnera CHRISTI Domini attinet, poterat ipse ea, diversis vicibus diverso modo computare, nunc vulnera seorsim sinè ictibus & vibicibus, nunc ictus simul & vibices & vulnera, nunc vulnera solius flagellationis, nunc totius corporis: nunc sola pau-

paulò majora, nunc omnia etiam minutissima: nunc quædam ob vicinitatem, aut quia eodem ictu inflicta, conjungendo, nunc singula minutim separando. Ut taceam, quòd in numeris ac cifris facilis sit lapsus typi & descriptoris: qui etsi quandoq; irrepsisset, ità ut demum manifestus error deprehenderetur, nunquid propterea Revelationes omnes abjiciendæ? planè sicut si omnes Indulgentias, omnésque sanctas Reliquias, omnes item Sanctorum Patrum libros abjiciamus, quia & in his non solùm errores, sed & fraudes & imposturæ contigerunt. Corrigenda ergo benevolè sunt, quæ clarum errorem habent: quæ verò nimis obscura, ea tantisper relinquenda, ac interim alijs clarioribus ad salutem Animarum nostrarum utendum est.

LVIII. Adde quod & à Sanctis, quandoque Revelationibus interspersæ narrentur eorum piæ Contemplationes, ad quod si minùs attentus Lector non advertat, perplexus redditur. Sic L. 2. c. 2. §. 1. Ven. Marina refert, quomodo contemplata sit Sanctos Parentes Deiparæ Virginis, in die ejusdem Præsentationis: nec tamen dicit sic sibi esse revelatum. Deinde contingit, ut narrent quædam se sic in Revelatione vidisse, nec tamen asserant sibi revelatum, sic reipsâ quondam contigisse. Sic Ven. Marina L. 2. c. 6. narrat se parvulum CHRISTUM Dominum natum vidisse pendentem in aëre, & non vidisse an tetigerit terram: nec tamen dicit eum terram non attigisse, multóque minùs asserit sibi revelatum, quòd revera tempore suæ nativitatis non attigerit terram: ut propterea nihil hinc habeamus determinatum.

LIX. Dicunt alij multas fœminas esse deceptas, adeóque se nihil velle negotij habere cum fœminis. Dico ego: multi Religiosi apostatârunt, diruamus ergo omnia monasteria. Sensus iste est hominum primos statim impetus sequi assvetorum. At vir sapiens videt, solummodo sequi, quòd necessaria sit diligens cautela, etiam circa pias Mulieres; qualem profectò & ego su-

prà

prà svasi, nec nisi eas Revelationes, quas commune doctissimorum sapientissimorúmque simul ac Sanctorum Virorum judicium comprobavit, dixi securè & sinè ulteriore cura admittendas. Decepit fœmina Tertullianum: at abstitit & reprobavit Summus Pontifex; obstitêre tunc statim & reclamavêre magno numero Viri sapientes. Neque verò mulieres imposturam, aut facientes, aut patientes, unquam ea possunt tradere sublimissima spiritualia lumina, & documenta, qualia in Revelationibus suprà §. 2. relatis admiramur: sed substantia gloriæ earum solet consistere in quibusdam miraculi speciem præferentibus, ut quòd vulneribus Christi Domini putentur insignitæ, quòd sublimes à terra in flammis pendeant, quòd multùm jejunent. Alia profectò sunt argumenta veritatis Revelationum à sæculis celebrium sanctarum fœminarum: prout inter alias fuisse certum est in sancta illa Ancilla Christiana, quæ totam Iberorum Gentem in Asia ad fidem Christi Domini convertit, prout annotatur in Martyrologio Romano ad 15. Decembris.

LX. Quod si hoc solùm, quòd sit fœmina, quòd sit vetula, quòd sit puella, sufficit, ut extra dubitationem, & attonitam quandam admirationem eluctari non possimus, miremur ergo similiter, quinam fieri potuerit, ut unam puellam Judæam Deus super omnes Sanctos & Angelos evexerit, in supremam cœlorum Reginam.

LXI. Objiciunt alij: Revelationes has etiam à Viris doctis irrideri, aut saltèm non commendari. His jam suprà respondi. Hanc nempe Deus à suis creaturis inter cæteras patitur etiam calumniam, ut pretiosissima & rariora ejus dona contemnantur: consveta sola laudentur. Incarnatio & Passio *Judæis* erat *scandalum, Gentibus stultitia.* Valde dolendum est, quòd quandoque propter ejusmodi non exiguæ authoritatis Viros, multi etiam sæculares & Magnates fructum harum Revelationum perdant, qui si eas viderent ab eis commendari, ad earum lectio-

lectionem excitarentur, ad vitam sanctam aspirarent. Multi etiam hinc doctrinam Asceticam, & discretionem spirituum haurirent, necessariam pro aliorum in via spirituali directione. Nunc autem quandoque verum hîc illud est CHRISTI Domini: *Tulerunt clavem scientiarum, ipsi non introierunt, nec alios introire permiserunt.* Luc. c. 11. ℣. 52. Si quem ejusmodi irrisorem DEUS Ven. Marinæ in Confessarium dedisset, quantùm is sanctam illam Animam impedivisset & excruciâsset.

LXII. Præterea mirantur aliqui, quòd Sanctæ illæ tempore harum visionum tam mirabilia, & quasi ridicula faciant: immemores quàm mirabilia legamus in Apocalypsi, quin & de S. Petro in monte Thabor. Nónne & in quovis alio gaudij excessu videmus accidere, ut planè faciamus ea, quæ alioquin inepta judicaremus? & propterea non opus est, ut omnia imitatione exprimamus, cùm quædam Sanctorum gesta sint solummodo admiranda.

LX. Adhuc opponunt alij, se denique ad tales Revelationes non habere piam affectionem. At respondeo, fortè nec eam cupiunt, nec à DEO unquam postulârunt. Nónne & vitam Sanctorum, & statum Religiosorum, & perfectionem, multi nauseant? propterea dixi suprà, non omnibus has Revelationes prodesse.

LXIV. Sed tamen dicunt in his non consistere substantiam vitæ Christianæ aut Religiosæ. Omninò, nec in aromatibus consistit substantia ciborum: repudiemus ergo omnia condimenta. Solida & præcisè necessaria vestis, est quodpiam linteum & pellis, quibus obvolvamur, ergo sartores, elegantiæ & commoditatis sectatores amandemus.

LXV. Reponunt nihilominus malle se talia legere in Viris contemplativis. At re verà vix fidem invenient. Nam qui orationem mentalem verè adamant, solent magnopere desiderare, ut subsidia sanctarum cogitationum undeunde accipiant, quali-

bus profectò Revelationes Sanctarum planè abundant, ità ut etsi non veræ Revelationes, sed meræ essent piæ Contemplationes, valde adhuc prodessent. Quin & longè securiùs leguntur, quam Rusbrochius, Thaulerus, Suso, Harphius, aliiq; Contemplationis Magistri, quorum scripta per se intellectu ardua, & imitatu censentur esse periculosa, præterquam quod quibusdam in locis à rudibus sciolis sint corrupta.

EPILOGUS.

LXVI. Habet Reverentia Vestra pro mea tenuitate expositum, quod pro commendatione & auxilio sancti hujus Operis mihi occurrit. Non quidem, prout initio monueram, quod hæc omnibus sint ità satisfactura, ut nemo ampliùs reclamet, sed tamen ità, ut cordatis hominibus sint sufficiens præbitura fundamentum, nè mirabilem hanc Vitam Venerabilis Virginis Marinæ mordeant, nisi priùs aliquod admodum grave & certum adversùs eam momentum deprehendant. Cæterùm Reverentiæ Vestræ ex animo gratulor, quam Deus elegit ad opus tantæ suæ gloriæ: nec possum quin ominer, specialem quandam Reverentiæ Vestræ in cœlis coronam parari, siquidem & R. P. Ludovico de Ponte ob hanc vitam prima vice digestam, & Hispanicè conscriptam, Divina Majestas magnum in cœlis præmium promisit, prout ipsemet P. Ludovicus refert Lib. 6. c. 21. §. 6.

DEUS Optimus Maximus faxit, ut Animæ quàm plurimæ ex hoc Reverentiæ Vestræ labore, ad quam maximam sanctitatem proficiant, ejúsque Majestati sinceré, ex toto corde serviant, ad quàm maximum ejus beneplacitum, cujus ineffabilis & omnia merita ac demerita vincens Bonitas, precibus & meritis Sanctorum suorum faciat nos quoque ex Sanctis.

Hactenus Epistola.

Post-

Postquam Epistola hæc typis cum Prima Parte vitæ Venerabilis Virginis Marinæ vulgata est, & P. Melchior Hanel, Latinus Interpres Celsissimi Principis Caroli Episcopi Olomucensis Confessarius, Secundam jam Partem Vitæ ejusdē Latinitate doaret (quā eidē Celsissimo Principi dicatā, typis postea edidit An. 1688.) rumor certus Româ Pragam allatus est, Partē hujus Vitæ primā à Vēerabili Patre Ludovico de Pōte editā apud multos & doctos in tātas difficultates incidisse, ut opinio de sāctitate Patris. Ludovici plurimū imminueretur.

Quantum me tanto affectu utrique Venerabili Personæ nempe & P. Ludovico & Virg. Marinæ addictum, rumor ille pupugerit, facilè est conjicere: proinde statim implorata Divinâ Ope, me Operi sancto accinxi, ut ea quæ intricata apparerent, enodarem, & quibusquibus demum difficultatibus, pro mea tenuitate cum gratia DEI, & ope Sanctissimæ Virginis Matris ad Gloriam DEI, & Animarum salutem facerem satis: id quod sequentibus Tractatibus præstare conabor.



TRACTATUS PRIMUS.

Modus examinandi Revelationes, & Documenta alia, quæ ad Diſcretionem ſpirituum pertinent.

CAPUT I.

Dantur in Eccleſia DEI Regulæ Diſcretionis ſpirituum & Revelationum.

I.

Vitio vertitur Venerabili Patri Ludovico de Ponte, quòd Revelationes, Apparitiones, Viſiones omnes Venerabilis Virginis Marinæ Eſcobar, quas ipſe Tomo uno complexns eſt, univerſaliter approbaverit: qua de re, cùm judicium certum ferri non poſſit, niſi inſpiciantur Regulæ, quas in Eccleſia Catholica habemus, de Diſcretione Spirituum, & modo examinandi, ac deprehendendi, quænam ſint Revelationes cœleſtes, veræ ac genuinæ, quæ ſubreptitiæ, ſuppoſitiæ, illuſivæ, diabolicæ, aut ex propria phantaſia, vel perturbato cerebro, vehementi apprehenſione, vel ſomnijs ſubortæ, ideo Re-

Regulæ illæ ſunt neceſſariò ante omnia hic adducendæ, ut manifeſtum fiat, P. Ludovicum nil egiſſe temerè, ſed habuiſſe fundamentum ſolidum ac ſufficiens Revelationes illas omnes prudenter agnoſcendi pro veris, verè cœleſtibus, ac omnino genuinis.

II. Tales Regulas, talémque Doctrinam de Diſcretione Spirituum in Eccleſia Sancta exſtare, certum ac de fide eſt, ex Epiſtolæ primæ ad Corinth: c. 12. ubi S. Paulus inter diviſiones Gratiarum enumerat etiam *Diſcretionem Spirituum*, datam per Spiritum Sanctum Chriſtianis: adeóque neceſſe eſt, ut in Eccleſia Catholica exſtent præſcripta à Viris gratiâ Diſcretionis Spirituum præditis, ac Sanctis Patribus Documenta certa de explorandis Spiritibus, nè in errorem inducamur: alioquin fruſtra nos hortaretur S. Joannes Apoſtolus in Epiſtola ſua prima cap. 1. *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex DEO ſint.* Certum præterea neceſſariò eſt dari in Eccleſia Sancta Viros tantæ ſanctitatis, tantæque eruditionis, & ſcientiæ ſpiritualis, qui Regulas & doctrinam illam de Diſcretione ſpirituum, nobis à Spiritu Sancto relictas intelligant, noverintque applicare ad uſum, & praxim, ità ut Documenta & Regulas illas cautè, ſincerè, conſtanter, fideliter coram DEO, accuratè ſequendo nullo modo poſſint incurrere notam imprudentiæ, aut temeritatis, nullúmque mereantur vituperium; quin potiùs omnino prudens, certum, & *quantum hujus vitæ conſtitutio patitur*, infallibile humanum judicium, de Spiritibus & Revelationibus ferant quocunque inter Chriſtianos caſu occurrente.

III. Tales autem Viros neceſſe eſt à CHRISTO Domino Eccleſiæ ſuæ uſibus, & neceſſitatibus eſſe proviſos tot, ut in omnibus Provincijs poſſibile ſit eos reperire, qui pro directione Fidelium, ante & extra deciſionem de Fide (quæ ad Sedem Apoſtolicam pertinet) in ſimilibus caſibus ſufficiant, nè alioquin Spiritûs Sancti Gratia *Diſcretionis ſpirituum* ſit inutilis, & vi-

videatur Ecclesiæ de necessarijs, contra insidias & laqueos Dæmonum, non satis provisum.

CAPUT II.

Fides, quâ talibus Revelationibus creditur, non est ea Fides Theologica principalis, quæ est Fundamentum Virtutum supernaturalium: ad eam tamen reducitur.

I.

SEd jam Quæstio oritur, si juxta gratiam Discretionis spirituum, Vir & Doctor quispiam sanctus, omni exceptione major, ferat tale prudens, certum, atque, ùt dictum est, humano modo, & *quantum conditio, & constitutio nostra hujus vitæ patitur*, infallibile judicium, de quapiam Revelatione, declarando, & determinando eam esse à DEO, adeóque ea verba esse verba DEI; nunquid postea, si Revelationem illam admittam, & agnoscam esse loquelam DEI, eique credam, nunquid, inquam, credam DEO loquenti? adeóque nónne tunc Revelationi illi credam Fide Divinâ Theologicâ, & actus ille erit actus fidei supernaturalis? præsertim si etiam accedat consensus, & approbatio talis per Summum Pontificem vel Concilium, qualis habetur pro Revelationibus S. Brigittæ.

II. Ad hoc respondetur negativè. Cujus ratio est, quia talis actus fidei sequitur, qualis præcessit actus prudentiæ & judicij de credibilitate. Si ergo Revelatio quæpiam ab ullo homine, aut etiàm ab ipsa Ecclesia proponatur, non tanquam certissimè (juxta ea signa credibilitatis, quæ ad actum fidei requiruntur) infallibiliter Divina, & à DEO data, sed proponatur solùm tanquam piè & probabiliter sinè periculo Devotionis, Virtutis, ac Fidei Christianæ prudenter credibilis, & acceptabilis, etiamsi absolutè nondum habeat hanc firmitatem, & eviden-

dentiam, quâ obligantur fideles ad ea acceptanda, & credenda, quæ sunt Fidei Catholicæ; tunc Judicium credibilitatis solum dictat eamRevelationem, prudenter, & sinè periculo temeritatis posse eâ firmitate acceptari, quam meretur authoritas tantorum Virorum, qui suâ humanâ prudentiâ, & non per specialem Spiritûs Sancti assistentiam directâ infallibilitate judicant, esse dignum, prudens ac honestum, ut eis Revelationibus, tanquam utilibus, atque ad augmentum pietatis Christianæ, quin & ad dilucidationem, vel explicationem & ornamentum Fidei facientibus, & magnis argumentis Veritatis suffultis, ab omnibus fidelibus credatur.

III. Sic quoque nec S. Brigittæ Revelationes sunt fidelibus propositæ, tanquam omnino Fide Theologicâ acceptandæ pro Verbis DEI, quibus sub æternæ damnationis reatu credere obligemur: sed solùm commendatæ sunt, ut humano prudentissimo judicio fide ità dignæ, ut qui eas repudiaret, videretur incurrere notam proterviæ, temeritatis, ac imprudentiæ, cùm tantopere faciant ad omnigenum incrementum Christianæ Devotionis, ad ingentem profectum salutis Animarum, adeò, ut suspectus de fide censeri quodammodo posset, qui eas pertinaciter reprobaret.

IV. Quòd autem non omnia, quæ Ecclesia approbat, semper eo sensu approbet, ut ea velit esse de Fide, patet vel ex sola quæstione de Immaculata Sanctissimæ Virginis Deiparæ Conceptione, cujus partem affirmativam Ecclesia eousque approbat, ut etiam Festo publico honoret, nec tamen statuit esse de Fide. Verba Bonifacij IX. Pontificis Maximi in Bulla Canonizationis S. Brigittæ sunt: *Hæc generosa Vidua, per gratiam Spiritûs Sancti promeruit multis, eorum cogitationes, & affectiones intimas, & gesta secretissima propalare, & Visiones, ac Revelationes varias videre ac audire: ac Spiritu Prophetico multa prædicere, quorum nonnulla effectu completa fuêre, prout hæc & alia in*

in ejus Revelationum volumine plenissimè describuntur. Hanc autem Bullam, quoad omnia, Martinus V. confirmavit. Creditur ergo ibi DEO, ac verbis DEI fide humanâ, in quantum scilicet illa verba esse DEI persvadetur authoritate fide dignâ humanâ; ut actus ille, in quantum credit DEO, accedat ad actum Theologicum, sed in quantum præsupponit solum judicium credibilitatis non firmum, deficiat à fide Theologica, quia solùm inducitur credibilitatis absolutè fallibilis assensu.

V. Pertinet quidem actus ille etiam ad Virtutem Fidei principalis, quæ est Fundamentum omnium Virtutum supernaturalium, sed solummodo reductivè: quia re verâ per illum actum credimus DEO loquenti, etiamsi non satis firmiter, cùm ipsam Revelationem, seu ipsam loquelam DEI, non firmissimè, sed solùm probabiliter ità admittamus, ut tamen absolutè posse esse aliter non negemus, prout articulum de Immaculata DEIparæ Conceptione, etiam sub voto & juramento tenemus, sed tamen cum reservatione *nisi aliter à Sancta Ecclesia fuerit definitum;* & sic eatenus hi actus fidei, à natura Fidei Christianæ deficiunt. Meritorij tamen sunt, & supernaturales, quia diriguntur prudentiâ supernaturali, & ad ultimum finem supernaturalem, hoc dictamine: *Honestum est has Revelationes pias, utiles, tantâ authoritate propositas, in ordine ad faciliùs obtinendam Vitam æternam admittere, etiamsi absolutè loquendo, essent falsæ:* sicut Misericordia supernaturalis dicit: *honestum est huic mihi prudenter apparenti pauperi dare, in ordine ad regnum cœleste, eleemosynam etiamsi fortè in re ipsa non sit pauper.*

VI. Qui autem tantam authoritatem, etiamsi solùm humanam contemneret, esset imprudens, superbus, ac præsumptuosus, aliisque vituperijs dignus. Cæterùm Prophetæ, & omnes illi, quibus DEUS immediatè loquitur, possunt habere actum Fidei Theologicæ privatæ (non Catholicæ, seu Universalis, & propositæ ab Ecclesia) quia ibi Dominus DEUS suâ luce supplet

Pro-

Propositionem Ecclesiæ, & ipsemet immediatè Revelationem tam evidenter proponit, ac ingerit, ut impossibile sit Prophetæ dubitare de veritate ipsius Revelationis, quin sit re verà locutio DEI. Unde ibi adest omnis certitudo, & firmitas, quæ alioquin per piam affectionem adhæsivè habetur.

CAPUT III.

Regulæ discernendarum Revelationum, Extasum, Visionum, Raptuum collectæ ab Alphonso Episcopo Giennensi.

I.

QUia nimis longum esset colligere ex Sanctorum Patrum voluminibus, aliorúmque summorum Virorum scriptis, quæ de discernendis spiritibus, ac Revelationibus sparsim, aut solummodo sæpe carptim de his annotata reliquerunt; ideò, ut compendium laboris facerem, selegi Authores exceptione omni majores, apud quos regulas istas, pro quibuscunque, quantumvis extraordinarijs casibus in unum collectas habemus.

Cùm autem Revelationes S. Brigittæ sint in Ecclesia notæ præcipuæ, ac præ omnibus alijs solennitate majori approbatæ, adeò, ut etiam in Sanctissimo Missæ Sacrificio earum mentionem Ecclesia die ejusdem Sanctæ faciat: Ideo necesse est Viros, quorum Examini eæ fuère publicâ Authoritate subjectæ, fuisse accuratissimos, illuminatissimos, & rerum hujusmodi peritissimos; ut propterea dubitare prudenter non possimus, quin dictamina, & regulæ, quas isti secuti, nobis etiam sequendas, & observandas tradiderunt, sint solidæ, & optimè fundatæ, ac numeris omnibus absolutæ, ut ad quodcunque de Revelationibus instituendum Examen, ferendúmque Judicium sufficiant.

II. Talis Vir inprimis occurrit Alphonſus Epiſcopus Giennenſis poſtea (ùt loquitur Codex Revelationum S. Brigittæ) *Eremita probatiſſimus*, qui S. Brigittam familiariter ipſe diu noverat: cui ipſa inter cæteros Theologos, & Viros ſpirituales ſuas Revelationes examinandas exponebat: cui ipſemet Summus Pontifex, Gregorius XI, poſt mortem S. Brigittæ, tanquam *circumſpectiſſimo* (prout loquitur Cardinalis de Turrecremata in prologi ſui capitulo primo) *& peritiſſimo Viro*: ac dein iterum Urbanus VI, *tanquam uni ex valentiſſimis Viris, & mundi luminaribus*, eaſdem Revelationes examinandas commiſére.

Hic ergo Vir tantus, ante octavum Librum Revelationum S. Brigittæ, præfixit prolixam ad omnes Chriſtianos Reges Epiſtolam, capitibus octo diſtinctam, in qua valde exactè agit de Revelationibus veris diſcernendis à falſis.

III. Capite 1. deſcribit, qualem oporteat eſſe Virum, cui Examen hoc, & Judicium deferri poſſit, his verbis.

Primò: Dico, quòd qui ſpecies Viſionum ſeu Revelationum juſtè, & diſcretè examinare, & diſcutere, ac diſcernere, & juſtè judicare vult, oportet ut habeat duo: ſcilicet Theoricam ſcientiæ Sacræ Scripturæ in materia Viſionum, quam Sancti Patres, & Doctores, ſubtiliter & lucidè deſcripſerunt: & Practicam Experientiæ vitæ ſpiritualis, & ſentimentorum, conſolationum, & viſionum mentalium ſpiritualiter, ac intellectualiter ſibi divinitus *infuſorum*.

IV. Capite 2. tradit modum Examinis de ipſa Perſona, cui fiunt Viſiones.

Secundò. An Perſona illa ſit ſpiritualis, an mundana & ſæcularis?

An vivat ſub diſciplina, & obedientia ſpeciali, continua, ſpirituali, alicujus Senioris diſcreti, virtuoſi, maturi, Catholici, & experti Patris ſpiritualis; an in proprio arbitrio, & voluntate?

An

An tentationes suas, & illas tales Visiones, quas habet, statim supposuerit examini, & judicio sui Patris spiritualis, vel aliorum discretorum Seniorum Patrum spiritualium, cum humilitate, timens illudi; vel an eas occultaverit, nulliúsque examini vel judicio eas supposuerit, aut ex illis de se præsumpserit, & jactaverit, vel se reputando alios despexerit?

Item examinari debet, an ab ista Persona vidente Visiones, resultent veri actus, & virtutes Obedientiæ, Humilitatis, Charitatis, & intentæ Orationis, vel an procedant ab ea actus reputationis, jactantiæ, aut superbiæ, seu ostentationis, & elationis, vel appetitûs laudis humanæ, aut negligentia orationis, sive ambitio honoris vel dignitatis?

An ista Persona apud Viros spirituales reputetur verè Catholica, & fidelis, & obediens Prælatis, & Rectoribus Ecclesiæ; vel an sit suspecta de fide, vel de obedientia Prælatorum, & Rectorum Ecclesiæ?

An in Vita spirituali virtuosè, & in Pœnitentia, & in habendo frequentes Visiones, humiliter, & diu perseveraverit, vel an in hoc sit recens & novitia?

An ista Persona Visiones videns habeat bonum intellectum naturalem, & spiritualem, & verum, ac discretum judicium rationis, & spiritûs; vel an sit levis intellectu, vel subita, aut phantastica? Dicit enim Gregorius in Dialogis, quòd Sancti Viri inter illusiones, atque Revelationes, ipsas Visionum voces, aut imagines, quodam intimo sapore discernunt, ut sciant, vel quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur?

An ista Persona fuerit aliàs examinata de materia, & modo Visionum per Viros litteratos, & spirituales; & approbata; vel an non?

V. Post hoc tradit Alphonsus regulas examinandi ipsum modum, quo Revelationes illæ & Visiones fiunt.

Tertiò. An eas videat vigilando, an dormiendo, & somniando?

An in Visione corporali, an in Visione imaginaria, & spirituali? An fortè in Visione intellectuali supernaturali? An in illo raptu mentali, qui Extasis vocatur, scilicet quando talia videns senserit aliquam veritatem supernaturalem dulcedinem Divini Amoris; vel an non?

An tunc videat, & audiat aliquem sibi aliqua mysteria loquentem, aut divinas doctrinas & spirituales demonstrantem: vel an non?

In qua specie tales Personas videat?

An tunc sentiat illuminationem, seu quandam illustrationem supernaturalis luminis, intelligentiæ, manifestationis, veritatis divinæ, illius materiæ, illorum visorum, vel an non?

VI. His subjungit Alphonsus Regulas, & Modum examinandi Qualitatem, & Materiam Visionum hoc modo:

Quartò. An Visiones illæ concordent cum Divina Scriptura, vel an discrepent ab ea?

An Visio illa sit ad humanorum actuum virtuosam directionem, & salutem Animarum, vel an inducat in errorem Catholicæ Fidei; vel an inducat aliquid monstrosum & novum, vel aliquid, quòd à ratione discordet, aut à bonis, virtuosis, & humilibus moribus nos avertat?

An istæ Visiones semper sint veræ, an aliquando mendaces & falsæ, scilicet quòd illa, quæ prædicunt, aliquando sint vera, & aliquando non?

An prædicant nobis futuros honores, aut divitias, aut laudes humanas; an humilitatem in omnibus?

An inducant nos ut extollamur, præsumamus, & confidamus de aliquibus virtutibus nostris: an ut humiliemur:

An nos moveant ad obediendum, etiam puris ac simplicibus virtuosis Personis spiritualibus, & Præpositis nostris; an ad contrarium? In reliquo remittit Lectores ad ea, quæ S. Brigittæ de his sunt cœlitus revelata.

CAPUT

CAPUT IV.

Septem signa Visionis à bono Spiritu proficiscentis, ab eodem Episcopo Alphonso annotata.

I.

POst has regulas adducit idem Vir præstantissimus Alphonsus, capite 6. signa septem, quibus Visio à bono Spiritu profecta discernatur ab illusione diabolica; & sunt sequentia, quasi quoddam compendium reliquarum Regularum.

Primum Signum certissimum est, quòd Visio sit divina, quando scilicet illa Persona Visiones videns, est realiter humilis, & vivit sub obedientia, & disciplina continua, alicujus Patris spiritualis discreti, senioris, virtuosi, & experti in vita spirituali: & quando non præsumit de se ista Persona videns, nec extollitur, nec se jactat, nec appetit laudes humanas, nec occultat Visiones; sed cum humilitate vera vivens, omnes Visiones & tentationes suas statim detegit, & exponit humiliter examini & judicio sui Patris spiritualis, aut aliorum seniorum Patrum spiritualium; & tunc ut approbatum recipit, quod ille, vel illi approbant: & ut reprobata, repudiat illa, quæ illi reprobanda definiunt. Talis Anima, dico, quòd non possit illudi.

II. Secundum Signum est, quando Anima, tempore, quo videt Visiones, sentit se totam tunc repleri, & quodammodo dulciter inebriari, & inflammari igne infusionis, dulcedinis Charitatis Divinæ, & quodam sapore internæ dulcedinis, amoris DEI. Dico: quod istam internam charitatem, & dulcedinem Amoris Divini, quam diabolus non habet, nullo modo potest illam infundere in Animam alicujus, quia nullus dat, quod non habet. Et ideo concluditur, quòd, qui talia operatur in Anima, est DEUS: præsertim si tunc illa Anima tota robora-

 tur,

tur, & repletur illuminatione quadam firmæ credulitatis, & obedientiæ, & reverentiæ Fidei Catholicæ, & Sanctæ Matris Ecclesiæ.

III. Tertium signum est, quando Anima existens in Visione, sive corporali, sive imaginaria, & spirituali sentit influxum intellectualis, supernaturalis luminis intelligibilis veritatis, & comprehendit tunc significationes veras illorum visorum, & verborum: & aperitur clarè tunc Intellectus ejus, ac ostenditur, seu manifestatur ei veritas illius materiæ. Iste enim influxus intellectualis supernaturalis luminis seu visionis, sive præcedat visio corporalis, aut imaginaria, sive non, nunquam à diabolo potest infundi in animam, sed solùm à Deo, ùt ait Thomas de Aquino 2. 2. titulo de Prophetia.

IV. Quartum Signum, quando ille Propheta, seu videns, semper vera prædicit, & Catholica mysteria & documenta loquitur, & honestos ac virtuosos mores indicat. Et hæc sunt signa, quòd talia à Deo sint, quia Diabolus in illusionibus suis interdum dicit vera, ut decipiat, & aliquando falsa; sed Spiritus Sanctus semper vera, & nunquam falsa prædicit.

V. Quintum Signum est fructus ille, & opera, quæ procedunt ab illis Visionibus, seu Revelationibus, quia secundùm Evangelium, *non potest arbor mala fructus bonos ferre, à fructibus enim eorum cognoscetis eos.* Et ideo quando videmus, quòd ex talibus Visionibus, seu verbis revelatis, mens illuminatur, intellectus & conscientiæ videntis illustratur, vita ejus corrigitur, & emendatur, convertuntur homines vitiosi ad virtuosam, & religiosam vitam, & de gverra & odio ad pacem, de superbia ad humilitatem & obedientiam, & de malo ad bonum; & hoc in multis personis, & diu perseverat; tunc certissimum signum est, quòd tales Visiones & Revelationes, quæ talem fructum germinaverunt, & produxerunt, non à Diabolo, sed à Spiritu Sancto potiùs processêre; quæ facere Diabolo impossibile est,

imò

imò totum contrarium procedit, à visionibus, seu potiùs illusionibus suis.

VI. Sextum Signum est mors, seu finis laudabilis & virtuosus Personæ videntis visiones.

Septimum Signum est clarificatio miraculorum post mortem videntis visiones. Hactenus Venerabilis Vir Alphonsus Episcopus, qui capite 2. Documenta sua clauserat his verbis:

Causâ brevitatis finaliter dico: quod ad perfectam examinationem faciendam in ista materia, tam de qualitate Personæ videntis visiones, quàm de qualitate & modo videndi, quàm etiam de qualitate materiæ visionum, & de modo discernendi spiritûs, qui illas ostendunt, infundunt, seu ministrant, utrum boni spiritus, an mali sint, vide plenissimè in libris cœlestium Revelationum ad Beatam Brigittam de Svecia.

Quapropter ad pleniorem negotij hujus cognitionem, doctrinæque integritatem, videtur pertinere, ut etiam ea, quæ apud S. Brigittam habentur inspiciamus, & huc adducamus.

CAPUT V.

Doctrinæ cœlitus S. Brigittæ revelatæ circa Spirituum Discretionem.

I.

LIbro 1. Revelationum capite 4. hæc habentur. Ego sum Creator tuus, Redemptor: quare timuisti de verbis meis? & cur cogitâsti, de quo spiritu essent, de bono, an de malo? Dic mihi, quid invenisti in verbis meis, quod conscientia tua non dictabat tibi faciendum? aut nunquid aliquid præcepi tibi contra rationem? Ad quæ Sponsa respondit: Nequaquam, sed omnia illa sunt vera, & ego malè erravi. Respondit Spiritus seu Sponsus: Ego præcepi tibi tria, ex quibus tu posses cogno-

gnoſcere ſpiritum bonum. Præcepi tibi honorare DEUM tuum, qui te fecit, & omnia, quæ habes, dedit tibi. Hoc tibi dicit ratio tua eum honorare præ omnibus. Ego præcepi tibi fidem tenere rectam, credere ſcilicet ſinè DEO nihil eſſe factum, ſinè DEO nihil poſſe fieri. Præcepi etiam tibi diligere continentiam rationabilem omnium rerum; quia mundus propter hominem factus eſt, ut homo eo ad neceſſitatem uteretur.

Sic etiam per tria iſtis contraria potes cognoſcere ſpiritum immundum. Ipſe ſvadet tibi laudem propriam quærere, & de datis tibi ſuperbire. Ipſe ſvadet etiam tibi perfidiam. Ipſe ſvadet etiam tibi incontinentiam omnium membrorum, & omnium rerum, & ad hæc inflammat cor. Ipſe quoque quandoque decipit ſub ſpecie boni. Propterea præcepi tibi ſemper diſcutere conſcientiam tuam, & Sapientibus ſpiritualibus aperire eam. Propterea non dubites tunc Spiritum DEI bonum eſſe tecum, cùm nihil aliud deſideraveris niſi DEUM, & de eo tota inflammaris. Hoc ego ſolus poſſum facere, & impoſſibile eſt Diabolo appropinquare tibi.

II. Et capite 54. Angelus loquebatur ad Sponſam dicens: Duo Spiritus ſunt, unus increatus, alter creatus. Increatus habet tria: primò eſt calidus, ſecundò dulcis, tertiò mundus. Primò *calefacit*, non de aliquibus rebus creatis, ſed à ſeipſo, quia ipſe cum Patre & Filio eſt omnium Creator, & omnia potens; calefacit autem, quando Anima tota ardet ad amorem DEI. Secundò eſt *dulcis* quando Animæ nihil placet, nihil dulceſcit, niſi DEUS, & recordatio operum ejus. Tertiò eſt *mundus*, ut nullum peccatum in eo inveniri poſſit, nihil deforme, nihil corruptibile, & mutabile. *Calefacit* autem, non ſicut ignis materialis, nec ſicut Sol viſibilis, aliquid liquefaciens, ſed calor ejus, internus Animæ amor eſt, & deſiderium, replens, & abſorbens Animam in DEUM. *Dulceſcit* etiam Animæ, non ſicut vinum deſiderabile, aut voluptas, vel aliquid aliud mundanum; ſed dul-

dulcedo illa Spiritûs, incomparabilis est omnibus dulcoribus temporalibus, & inexcogitabilis non sapientibus illam. Tertiò est Spiritus ille tam *mundus*, quemadmodum radij Solis, in quibus nulla macula inveniri potest.

III. Secundus spiritus qui est creatus, similiter habet tria: Est enim *ardens*, est *amarus*, est *immundus*. Primò est *ardens* & consumens, quasi ignis, quia Animam, quam possidet, totam incendit luxuriæ igne, & pravæ cupiditatis, ut Anima præter ejus expletionem, nihil aliud cogitare, nihil desiderare possit, in tantùm, quòd quandoque per illam amittitur vita temporalis, & omnis honor & consolatio. Secundò est *amarus*, quasi fel, quia animam sic suà delectatione inflammat, quòd gaudia futura videntur ei esse nulla, & bona æterna fatuitas. Omnia quoque, quæ à DEO sunt, & quæ tenetur ei facere, amarescunt ei, & abominabilia sunt ei, quasi vomitus, & quasi fel. Tertiò est *immundus*, quia Animam sic vilem facit, & pronam ad peccatum, ut de nullo peccato erubesceret, & à nullo peccato desisteret, si non plùs hominum timeret verecundiam, quàm DEI. Ideo est spiritus ille *ardens* quasi ignis, quia ipse ardet ad iniquitatem, & alios secum accendit. Ideò verò *amarus*, quia omne bonum est amarum ei, & alijs secum amarescere vult. Ideò autem est *immundus*, quia ipse delectatur in immunditia, & alios secum similes quærit habere.

Nullus est, qui in conscientia sua non intelligat, utrùm suggestio diaboli ducat ad deformitatem peccati, an ad bonum, si diligenter cogitare & examinare voluerit. Ideò tu Sponsa Domini mei non habes dubitare de Spiritu cogitationum tuarum, utrùm bonus sit an malus: conscientia enim tua dicit tibi, quæ omittenda sint, quæ eligenda.

IV. Libro 3. c. 10. loquitur Mater (DEI): Nè timeas ea, quæ nunc videbis, à spiritu malo esse existimans, quemadmodum enim, cum solis appropinquatione duo veniunt, lux vi-

videlicet, & calor, qui caliginosam umbram non sequuntur: sic cum Spiritûs Sancti adventu in corde tuo veniunt, ardor scilicet Divinæ Charitatis, & Fidei sanctæ perfecta illuminatio. Hæc autem duo nunc sentis; hæc quoque duo diabolum, qui caliginosæ umbræ comparatur, non sequuntur.

V. Libro 4. c. 23. Beatissima Virgo sic ad S. Brigittam est locuta: Filia ex septem poteris cognoscere Spiritum Sanctum, & spiritum immundum. Primò enim Spiritus DEI facit vilescere homini Mundum, cujus honor reputatur in corde, quasi aër. Secundò facit DEUM charum Animæ, & omnis delectatio carnis refrigescit. Tertiò inspirat patientiam, & in DEO solo gloriationem. Quartò incitat mentem ad proximi dilectionem & compassionem, imò etiam inimicorum. Quintò inspirat ad castitatem omnimodam, imò etiam rerum licitarum. Sextò facit confidere in DEO in omnibus tribulationibus, & in eis gloriari. Septimò donat desiderium velle dissolvi, & esse cum CHRISTO magis, quàm in mundo prosperari, & inquinari.

Ità è contra spiritus malus facit alia septem: Primò facit Mundum esse svavem, & cœlestia fastidire. Secundò facit appetere honores, & sui ipsius oblivisci. Tertiò excitat in corde odium & impatientiam. Quartò facit contra DEUM audacem, & in conceptibus animi sui pertinacem. Quintò facit levigare peccata sua, & ea excusare. Sextò inspirat levitatem animi, omnemque carnis impuritatem. Septimò inspirat spem diu vivendi, verecundiámque confitendi. Ideò sollicita esto circa cogitationes tuas, nè à spiritu isto decipiaris.

VI. Libro 4. capite 110. CHRISTUS Dominus loquitur: Quomodo intelligendus est Spiritus meus, cùm duo sint Spiritus, bonus scilicet & malus? Ego dicam tibi, Spiritus meus est calidus, & facit duo bona. Primò facit nihil desiderare nisi DEUM; secundò dat summam humilitatem & Mundi contemptum. Spiritus verò malus, est frigidus & calidus. Frigidus, quia omnia,

omnia, quæ Dei sunt, facit amara. Calidus ideò est, quia hominem ad carnis inclinat voluptatem, & ad Mundi superbiam, & ad laudem propriam instigat affectum; ipse quippe blandus venit, quasi amicus, sed est quasi canis mordens; venit quoque quasi dulcis consolator, sed est pessimus illaqueator. Ideò cum venerit dicito ei: *Nolo te, quia finis tuus est malus:* cùm verò Spiritus bonus venerit, dicito: *Veni Domine, quasi ignis & incende cor meum, nam licèt ego indigna sim habere te, tamen ego ex mea parte indigeo te, quia tu non eris melior propter me, nec indiges mei, sed ego ero melior per te, & sinè te sum nihil.*

CAPUT VI.

Regulæ discernendarum Revelationum traditæ à Cardinali Joanne de Turrecremata.

I.

ISte est alter Vir incomparabilis, ex sapientissimo, doctissimóque Prædicatorum Ordine, quondam Sacræ Theologiæ Professor, Sacri Palatij Apostolici Magister, ad Revelationes S. Brigittæ lustrandas, examinandásque à Concilio Basileensi selectus, postea S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Joannes de Turrecremata. Is in eo, quem Revelationibus S. Brigittæ præfixit Prologo, quinque dicit esse Notanda, quibus arguatur, & verisimiliter ostendatur, Revelationes illas à Spiritu Sancto promanâsse: *Per quæ, tanquam per signa, cognosci & discerni solitæ sint Revelationes, quæ Spiritu Veritatis inspirantur, & divino superfunduntur lumine, à Revelationibus, quæ à spiritu mendaci, & diabolica illusione administrantur & suggeruntur.*

II. Primum signum est: quando graves & experti sapientes Viri ità judicant.

Secundum signum est ex parte effectus, qui ex Revelationibus

bus in animo ejus Personæ, cui fit revelatio, relinquitur, quando scilicet in ea devotionis & humilitatis præcipuè & Gloriæ DEI, ex hujusmodi Revelationibus profectus augetur, quia Revelatio Divina hominem efficit humilem, flexibilem, & disciplinatum; spiritus verò diabolicus superbum reddit animum, tumidum, præsumptuosum, & pertinacem.

Tertium signum est ex parte materiæ, quando in omnibus ejus dictis invenitur veritas.

Quartum signum est ex parte formæ, est conformitas ad Sacram Scripturam.

Quintum signum est ex parte Personæ visiones habentis, quando est approbata ejus Sanctitas.

III. Hæc sunt documenta Cardinalis Turrecremata, de quorum primo signo tractavi in mea Epistola Apologetica, §. 2. in argumento primo. Huc pertinent, quæ habentur vitæ Venerabilis Virginis Marinæ, Part. 2. lib. 3. cap. 2. 3. 4. & cap. 16. ac 17.

De secundo signo egi in eadem Epistola, §. 2. argum. 2. ex Introductione Ven. P. Ludovici §. 1., atque ex vita Ven. Marinæ, Part. 1. c. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 15. Agitur etiam plurimùm in Parte 2. prout suo loco diductiùs ostendetur.

Te tertio signo egi in eadem Epistola §. 2. & 8. habetúrque etiam in 2. Part. Vitæ lib. 3. c. 1. 10. 11. Quanquam hoc signum, processu temporis, quoad ea, quæ in futurum prædicuntur, indiget, ut adverti possit, utrùm omnia verè sic, prout prædicta fuerant, evenerint. Sed tamen hoc ipsum signum exactiùs ostendam infrà Ven. Virgini Marinæ quoque quadrare. Interim sufficere posset, quòd hactenus nihil inventum sit falsum, in omnibus illis, quæ ab ea dicta, & à P. Ludovico literis sunt consignata.

IV. Quartum signum proposui in Epistola mea, §. 2. quod tamen ex ipso opere per totum ubique ápparet: apparebit-

bitque luculentiùs, quando objectionibus omnibus particularibus satisfiet.

Quintum signum ostenditur in Epistola mea §. 2. & in Introductione P. Ludovici de Ponte §. 1. per septem heroicas hujus magnæ Servæ DEI Virtutes: itémque in 1. part. lib. 1. Vitæ illius, præsertim primis 14. capitibus; & lib. 6. ferè per totum. Item in 2. part. lib. 3. c. 5. 6. 7. 8. 9. sed & inferiùs ex parte ostendetur.

Hæ Cardinalis de Turrecremata Regulæ semper fuêre in magna æstimatione, in ordine ad Revelationes discernendas; prout etiam adhibitæ sunt ad approbandas Visiones S. Franciscæ Romanæ, &c.

CAPUT VII.

Joannis Lanspergij Carthusiani Sensus de Revelationibus Sanctarum Mulierum.

I.

PRæfixit Vir iste spiritu & religiosâ eruditione clarus, præclarum quendam prologum superRevelationes Sanctæ Gertrudis, in quo specialiter zelum & Prudentiam suam, exerit circa Revelationes, quas Divina Bonitas Sanctis dignatur Mulieribus præstare; in quo, cùm non pauca quoque sint ad negotium, quod circa Revelationes Vener. Marinæ tractamus, egregiè facientia, ea videntur hîc ad uberiorem tractatûs hujus lucem opportunè, proponenda. Scripsisse autem se statim in Vestibulo hujus Proloquij ostendit post Martini Lutheri apostasiam, quando ab Hæreticis aliud audire non erat, nisi Scripturam, Scripturam; omnémque aliam Revelationem contemni. Sic ergo habet:

II. *Joannes Lanspergius Carthusiæ Coloniensis Alumnus, pio Lectori Gratiam & Pacem in CHRISTO JESU.*

Nemo miretur, quòd hisce temporibus nos, quando passim ab omnibus Sacra Scriptura (licèt haud pari animo) quæritur, in lucem producimus librum Divinarum Revelationum. Quod certè genus eruditionis non debueramus ignorâsse haud admodum gratum, ijs præsertim, qui mundano, humanóve spiritu tument, quíque litterâ magis docti sunt, quàm spiritu. Adeò enim illis quævis ejusmodi sunt frigida, atque insana videntur, ut non solùm ad ea nauseâ quâdam moveantur, verùm etiam hujuscemodi libris, ubi possunt, detrahunt: & quæcunque non intelligunt, carpunt: parùm interea considerantes, quòd totum ferè vetus Testamentum, Revelationes esse fateri cogantur. Unde meritò Revelationis nomen non adeò nobis insvetum, nec adeò (si non prorsus desiperemus) deberet esse novum, nisi in eorum maluerimus numero haberi, quibus CHRISTUS Patri confitetur secreta sua abscondita, utpote sapientibus & prudentibus sæculi: quàm parvulorum Albo adscribi, quibus idem revelaverit. DEUS non solùm varios Scriptores Ecclesiasticos, verùm etiam multiformem docendi modum, alia item & alia eruditionis genera, phrasim quoque ac dictionem multiplicem in Ecclesia constituit: ídque in utroque sexu, quo nemini deesset, vel (ut ità dicam) juxta suum genium, unde erudiri, unde illuminari, unde trahi, unde ædificari posset.

III. Quid igitur jam mirum, si hominibus mollioris cordis, ut qui beneficijs, blanditijs, aut amore trahuntur, magis quàm præceptorum austeritate (id quod in sexu fœmineo, DEO devoto præcipuum est) DEUS loquatur per Revelationes, atque ad suæ bonitatis agnitionem, amorémque, & eos quibus loquitur, & eos qui loquutum fuisse legunt, quando quidem pariter habeant corda mollia, faciliterque illectiva, alliciat, & trahat; ídque ùt dixi, exuberantiâ beneficiorum, atque commonstratione

tione ſuæ dulcedinis ac bonitatis? Verùm objicient fortaſſe hic alij, quòd mulier fuerit, cui hæ Revelationes factæ ſint: fœmineum ſexum prorſus omnem, aut ſpernentes, aut generatim habentes ſuſpectum, quaſi quidquid egerit, dixerítque Virgo, aut fœmina, quamlibet Sancta, fœmineum (hoc eſt futile, molle, inſtabile) nihilque habens virile (id eſt perfectum) eſſe neceſſe ſit. Quaſi verò in ſanctis fœminis non conſtantior ſæpenumero animus ad virtutem, ad Martyrij agonem, ad tuendam caſtitatem, ad compaſſionem, ad deprecandam Dei iram, quàm in viris multis inventus ſit: quæ certè non futilia & imperfecta, ſed præſtantiora nonnunquam, quàm viri nobis virtutum reliquêre exempla. Quare potiùs earum contemplatione nos Viri confutemur oportet, atque univerſum propterea ſexum earum nobis cenſebimus venerandum.

IV. Certè non inficior eundem ſexum, id eſt pias aliquot Virgines, aut Mulieres Deo devotas, ubi ſibi ipſis relictæ fuerant, nec ſingulari ope divinitus adjutæ, nequaquam ſuſpicione caruiſſe: quòd vel Gloriæ amor, qui fœminis potiſſimè inſidiatur, vel ſuiipſius complacentia vana, illis impoſuerit, quô aut crederent, quod prorſus erat humanum, ſibi cœlitus contingere; aut gloriâ plauſúque hominum oblectatæ, fingerent, jactarentque de ſe, quàm in veritate res erat, præſtantiora. Verùm tamen, quæcunque fuerunt, ſúntque hujuſmodi, facilè deprehenduntur. Neque enim diu latere fictio poteſt præſertim fœminea: ſiquidem ubicunque profundiſſimæ humilitatis non fuerit fundamentum, citò, quidquid ſuper illo fuerit ædificatum, non abſque ignominia ruit. At ubi ſyncera enituerit humilitas, ut in his ſolet inveniri, maximéque in omnibus neceſſaria eſt, qui Deo ſoli, puro, nudo, caſtiſſimóque (ut ità dicam) affectu inhærent, in quocunque ſexu etiam inveniantur; neque decipiuntur, neque decipere volunt.

V. Nam etſi inſolitum quid ſentiunt, recipiúntve à Deo, per-

perturbantur animo, vehementérque addubitant, quomodo hoc ex Deo esse possit, quòd sibi hæc contingant, utpote infirmis, vilibus, & ijs, qui nihil sunt, quos etiam Deus hujusmodi noverit.

Quare singulari dono se reliquis præferri, aut præ alijs sibi adeò quidquam fieri omnino absurdum putant. Hoc enim modo & benedicta præ omnibus Virgo Maria, ad salutationem Angeli turbata est, stupens pro virginei cordis sui humilitate, tantam sibi offerri salutationis præeminentiam, cujus sibi neque conscia, utpote humilis neque digna videbatur.

Atque ideò hujusmodi fœminæ sanctæ, nisi per Virum sanctum aliquem eruditum & expertum, cujus sese judicio submiserint, fuerint compulsæ; non audebant hujusmodi, licèt divinis, vel revelationibus, vel consolationibus, vel (ut ità dicam) sentimentis acquiescere. Tantùm abest ut vel alijs manifestare, vel inde gloriari audeant.

VI. Accedit quod vita innocentissima, animi simplicitas humilitásque, de qua diximus (licèt ipsæ nesciant) ejusmodi commendent, ut omnibus videatur juxta spiritum sapientibus, nihil esse mirum, quòd singularibus donis suis illas dignetur Deus. Certè qui ejusmodi sunt, ab inimici laqueis tutiores sunt, sive Viri sint, sive Mulieres, sive Græci, sive Barbari; quandoquidem non est personarum acceptor Deus, nec sexum à sexu (quem utrumque fecit) discernit, nisi quòd infirmiori plerúmque, ubi humilitas & devotio id meretur, potiora dat dona, ut confundat fortia, sapientésque in suo sensu confutet, quò dona sua sibi (hoc est Deo) adscribenda cognoscantur soli: quandoquidem illiterati & simplices minùs habent, quàm ut ea, quæ Scripturæ Sacræ ad ungvem sunt consentanea, licèt difficilia, plerumque scribant & ardua, effingere possint. Per quoscunque vult loquitur Deus. Hæc aspernari propterea, quòd per Mulierem Deo revelante insinuentur, nónne tumidi cordis, insolen-

ſolentiſſimæque foret ſuperbiæ? præſertim cùm per ſe ipſum in Scripturis Sacris eadem (quod dixi) Deus ipſe quoque nobis revelaverit: licèt pro temporum, hominúmque conditione, hic aliquantò lucidiùs, uberiúſque eorum explanatio fiat.

VII. Atqui pro devoto fœmineo ſexu, ſi nobis contendendum eſſet, num putas Lector deforet nobis, unde, vel ex Scripturis probari poſſit, quandoque uni, aut regendæ, aut erudiendæ genti fœminam prælatam? Demum ſi fœmineus eſt contemnendus ſexus, propterea ſolùm, quòd ſexus illaudabilis ſit: jam non ſexus, ſed Creator, qui hunc ſic condidit, accuſaretur. Et tamen etiam eum qui condidit, non invenimus aſpernatum fuiſſe: ſed miſericordem fœmineo ſexui, familiarémque ſæpenumero ſeſe exhibuiſſe. Quid enim eſt, quòd Mulieri ad puteum Samaritanæ loquitur, manifeſtátq; ſecreta ſua Christus; niſi quòd eligens fragilia & contemptibilia, contemnebat fortia? Cui enim Phariſæorum aut Scribarum, antè tam manifeſtè dixerat ſe Meſſiam, quomodo huic dixit Mulieri: *Meſſias venit, & is qui loquitur tecum, ipſe eſt.* Itaque ſi ſexus eſt contemnendus, cur præterea Jesus pijſſimis reliquis quibuſdam Mulieribus, potiſſimùm autem Mariæ Magdalenæ, adeò ſe familiarem exhibuit? profectò propter ſexum neque magis neque minùs ſe familiarem exhibuit. Nullius eſt enim ſexûs apud eum diſcretio: ſed quia in hoc ſexu amantiora, fideliora, puriora, ſvavioráque corda viris, fortaſſe etiam Apoſtolicis aliquando anteferenda, invenit: ideò benigniorem, quod reor, ſe illis interdum exhibuit.

VIII. Porrò ſi jam ſub novo Teſtamento, ac tempore Gratiæ, Sanctarum vellem recenſere geſta fortia Mulierum, tempus me deficeret. Neque enim mihi eſt animus Mulierum hic laudes ſcribere, nec recenſere illuſtriores, ſed calumniam duntaxat hanc ab eis depellere, quæ à quibuſdam generatim ſexui inuritur, ut quidquid actum, dictúmve ſit, quamlibet San-

ctum, si Mulier fuerit, licèt cœlitus hoc instructa dixerit, jam contemnendum, exsibilandúmque putent. Quare sanctarum Virginum præterea triumphos, martyrij constantiam, inter pœnarum denique agones animum non certè fœmineum; hoc est, ùt ipsi volunt, mollem aut tumidum, sed invictissimum, atque viris interdum constantiorem. Taceo quoque, quòd sexus fœmineus multò est Viris (generatim loquendo) devotior, amorique & contemplationi aptior. Unde fit etiam, quòd nolim tamen ad cujuscunque reprehensionem à me dictum accipi, ut Viris alioqui doctissimis, qui ambulant in mirabilibus supra se, occupantes magìs animum suum curiosis quæstionibus (penè dixeram superstitiosis) quàm necessarijs, aut secretis, quæ scire non oportet, investigandis, aut mundanis litteris ediscendis, non tantâ se familiaritatis gratiâ manifestet Deus, quantâ ad eorundem potiùs confutationem fœminis, illitteratisque viris Deo devotis illabitur; illis videlicet, qui ipsum solum puro, simplici corde, occupationibus animi alijs omnibus exclusis, ferventer quærunt: nimirum ostendere volens, se non indigere humanæ sapientiæ verbis, nec ingenij profunditate humani, quin potiùs per eadem sæpenumero impediri etiam ad manifestanda suarum operationum, judiciorúmque secreta.

IX. Mentior, si non hodie quoque plures fœminæ, Virginésque Deo devotæ, quæ in Dei timore, juxta ac amore, inter varia tentationum bella, atque è diverso quoque inter consolationum divinarum varia genera consenuerunt, inveniantur, quæ in spirituali via Dei, in secretis, scrupulis ac nodis conscientiarum discutiendis, resolvendisque (quâtenus res attinet ea, quæ versantur circa sentimenta & eventus occurrentes Animabus contemplativis, quas Deus ad se trahit: & quæ solâ experientiâ, non litterà discuntur) peritiores sint, magisque idonea adhibeant consilia ijs, qui eandem ambulare viam percupiunt, utpote Spiritu Sancto illuminatæ, & experientiâ doctæ, quàm

quàm litterati præstantesq; Doctores inveniantur multi: quamvis eædem hujusmodi devotæ (quod congruum est) nihilominus interea pro humilitate, Virorum doctorum directioni semetipsas subjiciant. Nemo enim, maximè in via DEI, præsertim novus Viator, sui ipsius debet esse Rector, Ductor, aut Consul.

X. Atque ideò tantâ hujusmodi sibi devotas animas gratiâ dignatur Spiritus Sanctus, quòd cùm adeò jam sint spiritu perfectæ in aliorum judicio, ut jam in via DEI tanquam Magistræ consulantur, in suis tamen adeò nihil sunt oculis, ut nec minimum quid auderent insolitum, absque consilio sui Patris spiritualis, aut Viri boni (quem consulendum duxerint) timentis DEUM. Ex quarum interrogationibus, ex quarum humilitate illuminata, non parum (scio) proficiunt sæpenumero Patres, aut Confessores earum bonæ voluntatis, dum vel illarum puritatem, perspicacitatémq; limpidissimam conscientiarum advertunt, aut dum ad dubia illarum (licèt non plenè intelligant, quod quæritur, Spiritu Sancto pro humilitate interrogantium adjuti) respondere coguntur: in hoc planè multâ laude digniores (utpote viri bonæ voluntatis) tumidis quibusdam sciolis aut litteratis, qui si interrogentur, præsumentes de se, aut laudanda damnant, aut commendant vituperanda, hoc solo clari, quòd sexum infirmiorem, hoc est, quòd sexûs infirmioris devotionem, rident, nihili pendunt, & quandoque earum spiritum impediunt.

XI. Indè est, quòd quia Sacerdotes sunt ipsi, & Viri utcunque graves, & (quod multum ad hoc hortatur) in hominum opinione magni, non permittunt flagrantia desideria fœminei sexûs, aliorúmve quorumcunque devotissimorum, consolari, confortarique pro eorundem desiderio, & juxta tractum spiritûs, Sacro-sanctâ Eucharistiâ: ex qua sæpenumero maximam videmus gratiam etiam in noviter conversis, auxiliúmque divi-

num ac fortitudinem, ad sæculi contemptum, ad expugnanda vitia, ad divini quoque amoris radicationem scaturire: sed ipsi esurientibus ijs animabus, confortationéque egentibus, cibum salutiferum interdicunt, statuentes post quindenam duntaxat (ùt vocant) devotis quibuslibet, non Sacerdotibus, hunc præbendum. In hoc Spiritui Sancto haud dubium, sanctisque hujusmodi Animabus, quæ singulari modo ab eodem trahuntur, & legem & vim inferentes. Verùm hæc dicta sint in eos, qui devotum fœmineum sexum vilipendunt, vel quòd illiteratæ sint, & decipi possint, aliaque id genus futilia.

CAPUT VIII.

Documenta Venerabilis P. Ludovici de Ponte, circa discretionem spirituum.

I.

ET si in omnibus libris à Viro isto & Servo DEI conscriptis appareat ingens illius Lumen cœleste ad Animarum Directionem rerúmque Theologiæ mysticæ discretionem, magis tamen ad nostrum propositum facit, ubi materiam discernendorum spirituum tractat ex intentione, nempe in Introductione, ad Meditationes cap. 11. In 3. parte Meditationum, medit. 19. punct. 3. In 5. parte medit. 6. punct. 1. In Vita P. Balthasari Alvarez c. 3. & 14. ac 41. & 42.

Sed quia nucleum & substantiam hujus totius doctrinæ habet in Duce spirituali, ubi observanda circa Revelationes, aliásque extraordinarias DEI in Animabus operationes dignoscendas aut examinandas præscripsit; ideo puto sufficere, si ea hic adducam; patebit enim quantam vir iste à DEO illuminatus habuerit scientiam discretionis spirituum, ubi non solùm omnia, quæ hactenus adducta sunt, observavit, verùm etiam plures observatio-

vationes, & adversiones ipsemet addidit: ut vel hinc clarum fiat quantam cautelam & prudentiam adhibuerit in examinandis & approbandis Revelationibus Ven. Virginis Marinæ.

II. Igitur in Duce spirituali, tract. 1. cap. 2. proponit, & compendiose unà cum suis adjunctis & effectibus explicat tres modos Revelationum.

Primum per verba & sensus externos, ùt factum est S. Paulo: *Saule, Saule quid me persequeris*; & Beatissimæ Virgini in Annunciatione, quando Angelus visibilis eam allocutus est.

Secundum, qui magis est ordinarius per verba interiora & in phantasia seu imaginatione, aut sensibus internis. Et propterea non solùm in vigilia, verùm etiam in somnis tales Revelationes accidunt, prout factum est Jacobo, dum ei scala usque ad cœlum porrecta apparuit.

III. *Tertium*, immediatè per intellectum, qui modus Revelationum nulli est illusioni obnoxius, quia non potest fieri nisi à Deo solo, qui solus tanquam Creator, & Dominus, potest immediatè illabi in duas illas supremas Animæ potentias, nempe Intellectum & Voluntatem: Diabolus autem solùm se potest occupare circa imaginationem. Sed quæ per hunc modum à Deo revelantur, innotescunt quidem homini illi, cui fit hæc Revelatio, eúmque illuminant; sed non possunt, nisi per ambages, propter suam altitudinem, ulli alteri referri, cùm superent phantasiam, & sint altiora omni imaginatione: narratio verò nostra subjaceat phantasiæ, & ei proportionari debeat, & ad eam verba nostra omnia, ut & omnia signa alia tendant, quibus manifestamus ea, quæ scimus & intelligimus; nec est nobis possibile aliter. Unde universaliter etiam in naturalibus omnia illa, quæ non sunt imaginabilia, & quæ phantasiam excedunt, debentque per solum intellectum capi, ità ut phantasia illuc non pertingat, sunt captu difficillima, ut propterea Aristoteles sæpiùs conqueratur multos Philosophos non potuisse capere ve-

ram Philosophiam, quia non poterant transcendere phantasiam, hæseruntque in eis, quæ sunt imaginaria, & Philosophiam imaginationi conformárunt. Sic S. Paulus in raptu audivit arcana verba nempe per intellectum, & non per phantasiam, ac propterea non licebat ac naturaliter impossibile erat ea loqui.

IV. Porrò Revelationes, quas Vener. Virgo Marina de Escobar Patri Ludovico enarravit, quásque ipse P. Ludovicus parte 1. Vitæ ejus descripsit, omnes sunt primi vel secundi generis per imaginationem, adeóque necessariò habent similitudinem cum somnijs, hæc enim etiam fiunt in imaginatione: nam ipsa de tertij generis Revelationibus semper asserit sibi verba & modum pro eis exponendis deesse.

V. Cap. 23. exponit Ven. P. Ludovicus magnam necessitatem scientiæ discretionis spirituum, & explicat pericula gravissima promanantia ex illusionibus Dæmonis, carnis, ac imbecillitatis nostræ. Ac deinde (ex S. Gregorio, Gersone, S. Bernardo, Cassiano, Richardo, S. Bonaventura, S. Augustino, S. Thoma, S. Ambrosio, S. Diadocho Episcopo Photicensi, S. Basilio, S. Vincentio Fererio) incipit planè magistraliter explanare, & deducere totam doctrinam de spiritibus discernendis non solùm conformiter ad omnia, quæ ex Alphonso Episcopo ac Cardinali de Turrecremata suprà vidimus, verùm etiam longè exactiùs, ac copiosiùs deducendo omnia ex fundamentis, indicando omnes circumstantias, examinando omnes effectus, conferendo omnia, etiam externa indicia, indicando modos & media, quibus examen hoc sinè periculo erroris sit instituendum, ità ut numeris omnibus videatur doctrinam hanc absolvisse.

VI. Et quidem statim §. 1. sic loquitur: Primum igitur est fundamentum, amplecti consilium S. Joannis 1. Ep. c. 4. ℣. 1. dicentis: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex DEO sunt;* si enim te absque hoc examine projicias, ut credas,

quod

quodcunque ſpiritus internè tibi dicit: graves illuſiones ac deceptiones patieris, vel quia fidem adhibebis falſo ſpiritui, credens eſſe verum; aut non adhibebis vero, credens eſſe falſum, & admittes Angelum Sathanæ, credens eſſe Angelum lucis, aut rejicies Angelum lucis, exiſtimans eſſe Angelum Sathanæ: cùm utrumque ſit valde pernicioſum: neque enim minùs nocet portam cordis DEO pulſanti claudere, credendo eſſe Dæmonem, quàm pulſanti Dæmoni aperire, ſi credas eſſe DEUM. Et æquè pernicioſum eſt, ſpiritum bonum, ùt Apoſtolus ait ad Theſſ. 5. ꝟ. 19. extingvere, ſanctaſque ejus inſpirationes: atque eſt fovere malum, & execrandas ejus ſuggeſtiones. Neceſſe ergo eſt omnes ſpiritus probare, ut eos amplectamur & ſequamur, qui ſunt DEI: repellamus verò eidem contrarios.

VII. In §. 2. aſſignat duas fundamentales regulas, quibus reliquæ innituntur: quarum

Prima eſt: Spiritus Sanctus nihil poteſt inſpirare, quod contradicat ijs, quæ ſunt in Sacra Scriptura revelata, à Concilijs declarata, & in tota Eccleſia recepta: quia DEUS non poteſt ſibi ipſi eſſe contrarius.

Secunda: Spiritus Sanctus eſt Spiritus CHRISTI Domini, adeóque id quod præcipuè inſpirat, ſunt veritates, quas CHRISTUS docuit, & virtutes quas ipſe exercuit. Nunquam itaque inſpirat res inutiles, nec impertinentes novitates, nec vitæ rationem alienam à vita CHRISTI.

VIII. Ex his inferendo notat Venerabilis P. Ludovicus: *Primò*, Omnia interna ſenſa, quæ non menſurantur hac regulâ, eſſe à malo ſpiritu; quia Dæmon ſpiritus mendacij & malitiæ in omnibus ſuis ſuggeſtionibus tendit ad falſitatem & vitia, idque varijs modis, quos ibi Ven. P. Ludovicus explicat.

Notat ſecundò. Dæmonem quandoque multa bona per tempus aliquod ſuggerere, ut ſic ſecurum faciat eum, cum quo agit, quod ſit ſpiritus bonus, ſed poſtea aliquid addit, quod ipſius eſt

est proprium, persvadens aliquem errorem vel peccatum. Quomodo autem in tali genere se oporteat gerere, ibidem explicatur.

IX. *Notat tertiò.* Etiamsi non sit ampliùs credendum spiritui, qui vel semel instigat aut revelat aliquid falsum vel malum etiam minimum; non tamen propterea existimandum esse, omnes reliquas inspirationes aut revelationes, quas homo ille, habet, esse à maligno spiritu: qua de re pulcherrima ibi traduntur documenta.

Dein §. 4. dicit conjungendos his omnibus esse duos oculos, nempe bonam rectam gloriæ DEI & obsequij divini intentionem, adeóque purum & sincerum finem bonum. Deinde discretionem, quâ in omnibus adhibeatur ordo, & recta dispositio; non cupiendo statim ad culmen pervenire sinè transitu per infimum, magisque necessarium, &c. Spiritus enim bonus, cùm sit discretus & moderatus, ordinariè non movet, nisi ad res ordinarias cujusque viribus sinè miraculo proportionatas, &c.

X. Quando autem DEUS extraordinariè ducit ad res non ordinarias, prout Abrahamo præcepit sacrificare suum proprium filium; tunc Ven. P. Ludovicus primò explicat, quo instinctu, quo lumine, quâ Spiritûs Sancti vehementiâ talia non imitanda fiant. Deinde cautelas in talibus adhibendas exponit adversùs fraudes Dæmonis, nempe ut inspiciantur fines, ad quos inspirationes tales diriguntur: ut consideretur sanctitas personæ, cui fiunt; eò quòd talia nunquam à DEO fiant hominibus imperfectis, &c.

XI. Denique perquam eleganter docet, quomodo non sint oculi conjiciendi in sola generalia virtutum desideria, sed diligentissimè attendendum, nè in applicatione eorum ad particularia decipiamur. Et sic doctrinam hanc totam Ven. P. Ludovicus redegit ad sex puncta observanda.

Primò. Nihil oportere esse contra Sacram Scripturam, Concilia, Ecclesiam.
2. Præcipuè solere inspirari veritates, quas docuit CHRISTUS Dominus & virtutes, quas exercuit.
3. Oportere ad esse bonam rectam intentionem.
4. Oportere ad esse discretam moderationem.
5. In inspirationibus extraordinarijs, quid advertendum.
6. Quid circa inspirationes ad virtutes generatim.

CAPUT IX.

Sex magìs particulares Regulæ ad spiritus discernendos, datæ à Ven. P. Ludovico de Ponte.

I.

CApite 24. in Duce Spirituali, tract. 1. discurrit Venerabilis P. Ludovicus de indicijs boni spiritûs magìs particularibus, & ait pro fundamento ponendum, quod est.

Regula prima. Nempe quòd solus DEUS possit immediatè uti superioribus potentijs Animæ, id est Intellectu & Voluntate: Dæmonis verò potestas sit limitata ad partem Animæ inferiorem, nempe Imaginativam, & Appetitum.

Hinc sequitur illas consolationes, quæ in similibus inspirationibus ac Revelationibus incipiunt à superiori parte Animæ, & indè descendunt ad inferiorem, semper esse à DEO. Quæ verò incipiunt à carne & à parte inferiori, possunt esse à spiritu bono, & à spiritu malo, adeóque indigent examine, maximè in hominibus naturâ melancholicis; itémque in ijs, qui nimis sunt affectuosi, ac magno impetu in suas actiones feruntur, & tenerè facileque fundunt lachrymas.

II. *Regula secunda* (quam Venerabilis Pater dicit subtilem & paucis cognitam) est, quòd Inspirationes, Revelationes, &

Alloquia Dei afferre soleant secum spiritualem quendam saporem, quem soli Viri valde spirituales, & in familiaritate interna cum Deo valde exercitati percipiunt, & dignoscunt: sicut singulæ personæ dignoscuntur ex figura, facie, voce, & quisque cibus ex sapore. Sic Deus servat talem modum loquendi, cum adeò divino vocis tono, communicando talem modum saporis spiritualis, ut per eum agnosci se faciat à suis familiaribus. Sic Apostoli Christum Dominum noverant, cùm eis diceret: *Ego sum.* Nullus tamen, quis sit ille sapor, agnoscet, qui non eum delibaverit, & postquam delibaverit, deerunt ei verba, quibus eum alteri manifestet.

III. *Regula tertia est*, quòd ex spiritu bono sequatur veræ humilitatis sapor, cujus effectus octo ibi adducit, & sunt:

Primus non desiderare res extraordinarias, non Revelationes, non Raptus, non Exercitia virtutis singularia, & inusitata, quæ videntes in admirationem rapiant: quin potiùs totum hoc fugiat, contrarium desiderans.

Secundus. Indignum se judicare Dei donis, nec sibi ea tribuere, sed misericordiæ Dei Largitoris, admirando, quod tam vili vermiculo se communicet.

Tertius. Ad imminentes aliquos Dei favores, se ipsum contrahere, recusare, timere, se indignum agnoscere, & dicere Deo, malle se hic pati, quàm gaudere.

IV. *Quartus.* Non præsumere propter hos favores, quasi sit Sanctus, quin potiùs timere, tanquam magis obligatus Deo, qui ob ingratitudinem mereatur deseri.

Quintus. Non se meliorem alijs putare, nec cogitare se solum esse talem, quin potiùs credere Deum sibi, tanquam debiliori magis indulgere.

Sextus. Occultare Dei dona, & æquè libenter aperire culpas, ac virtutes.

Septimus. Optare se ab hominibus despici, gaudendo, quòd habeatur imperfectus. *Octa-*

Octavius. Cognoſcere ſuum nihilum, & indignitatem, cum pudore ob ſua peccata: qui pudor excludit omnino vanam gloriam, vanámque complacentiam.

V. Sic Dominus Deus dixit S. Angelæ de Fulgineo dubitanti de ſuis Revelationibus: *In hoc agnoſce me eſſe, qui te alloquor, quòd pro eo tempore nec diverti poteris ad aliquod aliud cogitandum, etiamſi velis; nec inani gloriâ affici, ob id, quod accipis.* Et aliâ vice: *Externa ſigna, quæ à me petis, quòd ego ſim, qui te alloquor, incerta ſunt & fraudi ſubjecta: ſed nunc dabo tibi ſignum adeò certum, ut non poſſit dæmon, imitari: & illud eſt, deſiderium quoddam adeò accenſum, & vehemens mei cauſâ ſuſtinendi labores, & contemtus, ut æquè libenter videas te contemni, atque alij vident ſe honorari.*

VI. Regulariter ergo loquendo Dominus Deus non revelat res extraordinarias ei, qui non ſit bene in profunda humilitate fundatus, ſed de talibus præſumere oportet, quod ad res ſimiles ducantur à ſpiritu vano, aut malo, juxta omnia ſigna hactenus enumerata, &c. Ad conſolationem tamen infirmorum opus eſt advertere, non eſſe indicium mali ſpiritûs, quòd miſceantur interdum tentationes aliquæ vanitatis & ſuperbiæ, ſi viriliter eis reſiſtatur. Nec mirandum eſt, ſi aliquid interdum tironibus adhæreſcat.

VII. *Regula quarta*, quòd ex prædicta Humilitate oriatur Obedientia & Reſignatio proprij Judicij, propriæque Voluntatis, quæ fit imprimis Dei Voluntati, deinde etiam eorum, qui Dei locò nos gubernant. In qua re adeò erant exercitati antiqui illi Eremi Patres, ut quando audiverunt ſingularem & ſtupendam vitæ rationem, quam ducebat Simeon ille in columna, ad cognoſcendum ſpiritum, à quo ad eam movebatur, ſignificârint illi per quendam Eremitam, ut è columna deſcendens ad ipſos veniret, redditurus rationem vitæ, quam ducebat; monuerúntque ipſum Eremitam, ut ſi ſtatim atque ipſe ſuum nun-

cium retulisset, Simeon sese resignaret, & ex columna descendere vellet, ipse adjungeret, ut maneret: humilis enim illa resignatio, & ad nutum obedientia, certum illis erat indicium boni spiritûs, illum ad vitæ adeò stupendæ rationem inducentis. Quod si protervè responderet, se nolle descendere, eum è vestigio ex columna dejiceret, eò quòd procul omni dubio, illusus esset, ac deceptus à dæmone. Eventus autem aperuit Spiritum Sanctum esse, qui virum illum gubernaret. Nam statim atque Patrum mandatum audivit, pedem, cui innitebatur, elevavit, ut descenderet, ac obediret.

VIII. *Regula quinta* est, quòd ex boni spiritûs visitationibus sequatur integra & perfecta mortificatio passionum, sensuum, & furentium carnis insultuum. Sed quoniam mortificatio externa non est certum indicium boni spiritûs, ad quam etiam malignus solet inclinare, ob hypocrisim, & vanitatem; oportet oculos conjicere in fructum & finem ejus, & in radices, unde illa oritur; quod totum terminatur in corporis & animæ puritate, quærendo scilicet asperitatibus & mortificationibus istis conscientiam à culpa expurgare. Nam instar lucis cœlestis, quò magis crescit, eò magis manifestat culpas etiam minimas, magisque eos exaggerat. Quare meritò sunt suspecti motus illi sensusque cordis, qui secum afferunt fœdos motus & voluptates carnis, ut melius sit, prout ait S. Bonaventura, talibus floribus carere, quàm eos ex tali cæno extrahere cum periculo conspurcationis. Cùm enim Deus sit ipsa puritas, nihil horum potest à re, quæ ejus sit, provenire,

IX. *Regula sexta* est, Pax & Quies, quam spiritus bonus Animæ relinquit, quia cùm ingreditur Animas nostras, dicit; *Pax vobis.* Et quoniam dicere ejus est efficax, ideò quod dicit, etiam facit, perturbationes cordis componendo, carnem cum spiritu conciliando, passionum insultus sedando, & nimium timorem, qui à nostra infirmitate oritur removendo. Et quam-

quamvis in ipso initio timorem aliquem & pavorem afferre soleat, ut excitet ad reverentiam & attentionem, mox tamen affert quietem, timore illo remoto, ùt bene expendit D. Thomas p. 3. q. 30. a. 3. ad 3. allegans sententiam S. Antonij Abbatis, qui dixit: non est difficile in his casibus, discernere inter bonum & malum spiritum. Si enim post timorem, gaudium & exultatio succedat, signum est à DEO esse auxilium, quod sentimus: Securitas enim Animæ testimonio est præsentiæ Divinæ Majestatis. Si autem timor, qui nos invadit, permanet, signum est hostis in domum nostram ingressi. Verum quidem est, ùt ibidem Cajetanus advertit, posse dæmonem transfigurantem se in Angelum lucis, etiam hoc ejus indicium imitari, gaudium aliquod post timorem afferendo: sed quoniam re ipsâ est spiritûs nostri hostis, non satis assequitur, quomodo illum tranquillet, præcipuè cùm ille est humilis.

X. Hoc, quod jam diximus, intelligendum est locum habere, quando spiritus bonus visitat homines justos: nam si quando visitat peccatores, qui cum carne sua & vitijs pactum habent & pacem; aut tepidos, qui in sua tepiditate quietem habent, solet intrare (sicut adnotavit S. Pater noster IGNATIUS) timorem incutiendo, ac terrendo, ut malam illam pacem disrumpat, salutarem afferens pugnam illi contrariam. CHRISTUS enim Dominus noster (ùt ipsemet dixit) *non venit in mundum pacem mittere*, ac proinde nec venit ad visitandas Animas, ut eas in ficta hac pace relinquat, sed gladium, quo scilicet pax illa destruatur. Qui gladius & pugna non est minùs certum indicium spiritûs boni, quàm sancta illa pax, quæ inde resultat, quando postea DEUS nos leni voce alloquitur, reddendo pacem turbato cordi, tristitiquel lætitiam. Remotâ enim culpâ, quæ tristitiam nobis afferebat, planctum nostrum convertit in gaudium, veramque lætitiam, quod certum est boni spiritûs indicium, qui quoniam est ipsamet lætitia, & cum illa facit omnia opera sua,

eam suis inspirationibus infundit, ut illi serviamus lætitiâ modestâ, gravi, tranquillâ, & conjunctâ timori casto, qui eam reddit securiorem & jucundiorem.

XI. Hinc est, quod lætitia boni spiritûs degustata fructus statim proferat, qui illam produnt, abhorrendo scilicet ab omni lætitia immodesta, sensuali & mundana. Nam ùt D. Gregorius ait: *Suavitate spiritûs degustatâ desipit omnis caro.* Et qui centuplum accipit gaudij spiritualis, facilè contemnit carnale, magnóque conatu veros fontes desiderat hujus gaudij, Regnum scilicet Dei & Justitiam ejus, virtutésque, quibuscum spiritus noster unitur, & cum divino conjungitur, ut nihil quod creatum est, divisionem inter utrumque faciat.

CAPUT X.

Sensus multorum aliorum præter Ven. P. Ludovicum de Ponte, Virorum præstantium de Vita & Revelationibus Ven. Virginis Marinæ de Escobar.

I.

OPportunum haud dubiè hoc loco fuisset etiam ex Venerabilis Marinæ scriptis adducere documenta de spiritibus discernendis Divinâ Revelatione ac Illuminatione ei à Deo tradita, prout suprà adduxi documenta ex Revelationibus S. Brigittæ: atque ità omnino mecum statueram etiam eâ spe, quòd sic ex vicino statim apparitura esset admirabilis altitudo sapientiæ illius mysticæ, & exquisitissima prudentia in discretione cœlestium Revelationum: verùm, quia adverti ingentem esse horum copiam, eámque ità inter se implexam & cohærentem, ut ea quæ sunt solummodo de discretione spirituum, non possint commodè à reliquis præstantissimis asceticis doctrinis segregari, cùm doctrina una porrigat lumen alteri: ideo cen-

censui meliùs fore, si omnem istam cœlestium illius Instructionum non discerptam multitudinem, simul eodem loco darem, id quod fiet in Tractatûs tertij Parte secunda, quam, rogo, benevolus Lector, dignetur pensiculatè perlegere, ut advertatur tanta, tam mirabilis, & tam rara Venerabilis hujus Virginis in rebus mysticæ Theologiæ cognitio, & experimentalis eruditio: quæ ipsa tanta sapientia meritò censeri debet magnum & condignissimum motivum credibilitatis Revelationum ipsius, quo haud dubiè etiam inter reliqua motus Vener. P. Ludovicus de Ponte non potest censeri ullam sinistram notam incurrisse, in ea Revelationum istarum sua æstimatione.

II. Videatur ad hoc, Caput 8. & præcipuè 9. Partis 2. Tractatûs 3. & sequentia, ubi Ven. P. Ludovicus ipsemet narrat, quantum habuerit motivum ad has Revelationes prudenter habendas pro veris, ex ea, quam in Venerabili hac Virgine per tam diuturnum, tot annorum spatium perpetuâ experientiâ ipse coràm deprehendebat, scientia rerum divinarum.

III. Nunc ergo subjungamus judicia Virorum gravium; quia non solus Venerabilis P. Ludovicus de Ponte, verùm etiam alij plurimi, & quidem tot Viri amplissimi Revelationes ac Visiones hujus admirandæ Servæ Dei mirè suspexerunt, ac altissimè æstimaverunt, ut, quantum ex Historijs Ecclesiasticis constat, nullius adhuc in hac Vita degentis Sancti aut Sanctæ, similes Raptus, Visiones, & Revelationes examinatæ videantur fuisse strictiùs & approbatæ magis. Videatur Epistola mea apologetica §. 2. argum. 1. & 4. ac 5. ubi narravi, quanti fuerit habita, præcipuè à Viris Religiosis Ordinis Prædicatorum, ac nominatim à P. Dominico Pimentello Provinciali Hispaniæ, atque ab ipsomet Reverendissimo totius illius sanctissimi ac sapientissimi Ordinis Generali; tum etiam à Viris præclaris ex Societate Jesu, ut à Patribus Visitatoribus ejusdem Societatis in Hispania, quin & ab Adm. Rever. Patre Nostro Generali Clau-

Claudio Aquaviva, imò & à Catholicis Regibus Hispaniæ, eorúmque Aula & Tribunalibus, & Universitatibus, ac ipso Tribunali Sanctæ Inquisitionis, nec non Doctoribus, ac Episcopis, tota demum Hispania, ac denique à Summo visibili Capite Ecclesiæ Pontifice Maximo.

IV. His positis excutiendum est hoc ipsum punctum paulò accuratiùs. Ante P. Ludovicum de Ponte (multóque magis post illum) Viri ex diversis Religionibus magnæ æstimationis, ut & tota Domus Professorum Societatis Jesu Vallisoleti causam Ven. hujus Virginis examinavére, & pro legitima & in Deo fundata pronunciavêre. Quin & totum Vallisoletum debet censeri approbâsse tot annis gesta & visa illius, præsertim per triumphales illas exequias, quas in funere hujus Venerabilis Virginis exhibuit, prout prolixè est videre Parte 2. Vitæ illius lib. 3. c. 2. & 3. ubi profectò ingens fuit approbatio Ordinum Religiosorum per novem continuos dies laudes Venerabilis Virginis hujus è publica cathedra ad populum declamantium, quorum primi primâ die fuerunt ex Sacra Religione Prædicatorum, prout etiam aliàs ipsi, præ reliquis, cum Societate Jesu habuerunt speciale spirituale cum admiranda hac Virgine commercium, prout videre est in 1. Parte Vitæ illius multis locis. Quin & P. Andreas de Ponte ejusdem Ordinis Religiosus, P. Ludovici frater, Vir ab opinione sanctitatis, Vallisoleti totáque Hispania ac imprimis in sacra sua Religione clarus, familiariter per triginta sex annos cum Ven. Virgine Marina agebat, confessiones ejus in absentia & morbis P. Ludovici excipiebat, similibusque occasionibus Secretarium ejus agebat scribendo, quas ipsa ei dictabat, suas Revelationes.

V. Denique tanto studio sanctitatem hujus Virginis, Viri ex sacro hoc Ordine deprædicabant, ùt P. Didacus Baëza Societ. Jesu in Collegij Vallisoletani sub titulo S. Ambrosij templo (in quo & sepultus jacet P. Ludovicus de Ponte) pro con-

cione

cione publica dixerit: indicium infallibile ſanctitatis & vera-rum laudum Dominæ Marinæ, ut nè in controverſiam vocari poſſit, adeſſe, ex eo, quòd in ea aſſerenda Patres Dominicani, & Patres Societatis, aliàs ſibi contradicere ſoliti, convenerint.

VI. Secundâ die laudes admirandæ hujus Virginis in ejus funere ad populum copioſiſſimum è cathedra declamavére ex Seraphico Ordine S. Franciſci.

Tertiâ, ex Religione S. Auguſtini.

Quartâ, Patres Carmelitæ Diſcalceati.

Quintâ, Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis.

Sextâ, Ordo Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Mercede.

Septimâ, Collegium PP. Clericorum Minorum; omnes ad conſtipatum præ multitudine Auditorium, propè nemine toto longiſſimo durante Sermone, excreante, nemine propè caput, præter morem, pileo operiente.

Octavâ die, Domus Profeſſa Societatis Jesu ad indicibilem hominum multitudinem, & ad Concilium Regiæ Cancellariæ Valliſoletanæ.

Nonâ, Illuſtriſſimum Capitulum S. Eccleſiæ ac Magiſtratûs Nobiliſſimæ illius Urbis.

VII. Neque his contenti, iterum poſt dies aliquot reſumpsêre Solennitatem Exequiarum & Encomiorum illius, in Collegio S. Ambroſij Patres Societatis Jesu. Die verò ſequenti Nobilitas Urbis illius. Tunc die tertiâ ſpecialis Devotio multorum Illuſtrium Civium, Panegyricum dicente Concionatore ex Sacro Ordine de Mercede. Demum Conventus S. Pauli, Ordinis S. Dominici non contentus obſequio, quod primâ die Exequiarum illius in Domo Profeſſorum Societatis Jesu, eidem magnificè exhibuit; voluit quoque domi ſuæ iteratò ſolennem exhibere gratitudinem erga hanc ſanctitate plenam Virginem, Sacræ illi Religioni ſpecialiter dum viveret, addictam. Adornârunt ei tumulum elegantiſſimum floribus & coronis,

ſplendidum, in quo Effigiem ejuſdem collocaverunt.

Concionatus eſt Pater Magiſter Navarrete per univerſum orbem, propter ſua ſcripta clariſſimus, qui ad id uſque temporis, à præcedentibus Concionatoribus, dicta confirmavit, & ſpecialiſſima quædam ſupperaddidit. His omnibus adfuit, præfuit, ac cooperatus eſt ipſemet etiam ordinarius loci Epiſcopus; adeóque & ille cenſendus eſt omnia approbaſſe.

VIII. Sancta Mater Thereſia Ven. Virginem Marinam juvenem cupientem ſub ſuam diſciplinam recipi allocuta, reſpondit: Vade filia, non debes fieri Monialis, quia Deus magna per te vult agere in angulo tuæ domûs.

Summus Pontifex Conſtitutiones ac Regulas ab illa Monialibus Ordinis S. Brigittæ in Hiſpania præſcriptas, A. 1629. adhuc eâ vivente confirmavit; eaque interveniente Feſtum S. Joachimi Romano Calendario, & Breviario inſeruit; ac eidem viventi favores diverſos conceſſit.

IX. Quid de tota Hiſpania dicendum? Certè Venerabilis Marina, tot annis in tanta tamque excellenti ſanctitatis opinione, ſuarúmque Revelationum æſtimatione, judicari poteſt totam quantam Hiſpaniam habuiſſe divinarum ſuarum gratiarum approbatricem.

Videatur Epiſtola de obitu & laudibus Ven. hujus Virginis à P. Michaële de Orenia, Rectore Collegij Societatis Jesu, ad Excellentiſſimum Comitem, Ducem de Olivares, Gaſparem de Guzman primum Miniſtrum Regis Catholici typis poſtea excuſa, & in univerſa Hiſpania, aliiſque regnis publicata, quæ habetur in 2. Parte Vitæ Ven. Virg. Marinæ, l. 3. c. 2. p. 405. Item alia ibidem cap. 3. Epiſtola itidem poſtea typis mandata, & mundum pervagata, Domini Franciſci de Vinivela, ad Dominum Ludovicum de Caſtilia Aſſeſſorem Conſilij Granatenſis, Gubernatoris Guipuzcoæ.

CAPUT

CAPUT XI.

In Cœlestibus Revelationibus credendúmne est soli unicæ Personæ asserenti.

I.

ETsi jam attulerim Regulas & Observationes ac cautelas plurimas in Causa Revelationum Divinarum adhibendas, remanet tamen nodus, quòd in his examinibus tractetur negotium, quodammodo loquendo, cæcum, nulli, nisì illi soli, qui examinatur, cognitum, qui videatur asserere posse securè, quidquid volet, & fingere responsa ad interrogatoria pro libitu, certus se falsitatis convinci non posse, cùm materia illa testes nullos admittat, intrà solam Animam & Conscientiam asserentis conclusa. Hinc ergo videntur frustraneæ esse regulæ omnes de discernendis his Visionibus, nec materiam esse capacem infallibilis decisionis, si persona illa, quæ visiones se habere dicit, sit astutissima, circumspecta, sagax, versuta, rerum similium & documentorum, ac Regularum huc pertinentium bene perita, ut effugere ex retibus Examinis noverit, & aliud pro alio substituere, ac eludere, præsertim si à dæmone adjuvetur.

II. Impossibile ergo videtur, ut prudens judicium, & sententia ferri possit super unius solius personæ, præsertim fœmineæ, asserta, cùm in ore saltèm duorum, vel trium stare debeat omne, etiam de re terrena, quantò magis de rebus divinis, verbum, non verò uni soli sinè ullis testibus credendum.

Ut difficultati huic satisfiat, advertendum est, quòd nodus iste quodammodo se ipsum solvat; dum, ùt in scholis loquimur, nimis multum probat. Sic enim nec Moysi, nec ulli Prophetarum esset credendum; & sic tota Sacra Scriptura ex manibus Fidelium excuteretur.

III. Ex quo apparet objectionem hanc esse hominum imbecillis ingenij, qui (prout Aristoteles monet) non sciunt quamlibet materiam, juxta suam naturam, esse tractandam, & alias rationes esse exigendas ab hac, alias ab alia, nempe demonstrationes intellectum immediatè convincentes esse quærendas circa materiam, talium demonstrationum capacem; demonstrationes verò, sic loquendo, prudentiales, voluntatem solùm immediatè convincentes, & per voluntatem mediatè postea evidenter prudenter Intellectum cogentes, itidem esse quærendas, circa materiam talium, & non aliarum demonstrationum capacem: & sic consequenter testes exigere, apud materiam testium capacem; testes verò non requirere, sed alios modos veritatem deprehendendi circumspicere, apud materiam testium incapacem.

IV. Est in hoc maximum peccatum & ruditas Calvinistarum, qui putant se punctum valde ingeniosum reperisse, dum negant homini liberum arbitrium, voluntque sibi illud probari: aut dum movent quædam circa Prædestinationem Divinam, voluntque à Catholicis immediatè, evidenter convinci, & Christiana circa hoc punctum dogmata probari, talibus rationibus, qualium materiæ hæ sunt incapaces. Aristoteles eos vocaret Ingenij imbecillis, quos idiotæ suspiciunt, & vocant ingeniosos. Jam ergo certum omninò est, credendum esse uni soli Personæ asserenti in causa cœlestium Revelationum: quomodo enim aliter sciremus, quæ S. Brigitta habet, nisi quòd illa ipsa sola hæc asseruerit, hæc conscripserit, hæc manifestaverit? Nec mirum: nam in omnibus, quæ secreta aperiuntur, ac denunciantur, cùm sint secreta, & nulli alteri nota, necessariò sic procedendum est, & illi, qui solus illa secreta novit, est credendum; frustra enim quæritur testimonium à pluribus, quando non plures hæc sciunt.

V. Pulchrè loquitur Tomus secundus Speculi Carmelitici in

in Vita S. Theresiæ, num. 2467. *Cùm ex natura rei* (quoad Revelationes & Visiones cuipiã factas) *alij testes dari non possint, nec ab alio, quàm ab ipsomet, quem DEUS similibus favoribus prosequi dignatus est, probari possint; materia subjecta facit, ut eisdem Beatis, quibus contigerunt, & eorum Confessarijs, de auditu ab ipsis standum sit, ùt in terminis fuit declaratum, in Revelatione Sanctæ Franciscæ (Parte 2. artic. 12. de Visionibus & Revelationibus) & conducunt plurimum declarata in Relatione S. Raymundi (Parte 2. art. 8. versu: Nos tamen.*

VI. Nihilominus, etsi illi soli Personæ, cui fiunt Revelationes hoc modo sinè testibus, sit credendum, arcumenta tamen sunt adjuncta sufficientissima, & conjecturæ infallibiles, de quibus suprà egimus; quæ si adhibeantur, & omnia cautè & accuratè circumspiciantur, subesse falsum non poterit. Ac inprimis ante omnia est vita sancta, ac virtutes heroicæ, Personæ illius, præsertim Obedientia & Humilitas. Tum si divina etiam adsint miracula. Videantur observationes & combinationes illæ, quas suprà capite 3.4.5.6. attuli, per quas infallibiliter fraus, si adest, detegetur.

Conclusio Tractatûs.

EX hactenus dictis apparet Examen Revelationum reduci ad qnatuor puncta, prout reduxit Alphonsus Episcopus Giennensis.

Primum, ut examinetur, & consideretur Persona Ducis, seu Directoris, & Judicis ac Patris Spiritualis, qui Revelationes illas examinare, dijudicare, ac approbare debeat. Quò etiam pertinet signum primum à Cardinale de Turrecremata propositum. Quapropter de hoc agam mox toto Tractatu secundo.

Secundum punctum est: ut consideretur & examinetur

Persona, Revelationes, & Visiones habens. Quo etiam pertinent signum secundum & quintum Cardinalis Turrecremata. De quibus agam Tractatu tertio.

Tertium punctum est, ut consideretur modus, quo Visiones istæ contigerunt: & de hoc jã actum est in ipsa Dissertatione Apologetica, superiùs initio posita.

Quartum punctum est, ut consideretur ipsa Materia & Qualitas Revelationum: & de hoc, in quantum concernit mysteria Fidei, agam Tractatu quarto. In quantum verò concernit doctrinam moralem, & Virtutes ac Documenta Vitæ, sanctè instituendæ, agam in Tractatu quinto. Quô etiam pertinent signa, tertium ac quartum, Cardinalis de Turrecremata. In Tractatu sexto ostendam breviter, quantis blanditijs amorem suum erga homines testatus sit Deus.



TRA-

TRACTATUS SECUNDUS.

De Vita, Virtutibus, Prudentia & Scientia Ascetica, Venerabilis Patris Ludovici De Ponte.

Cùm primo statim loco (ùt vidimus Tractatu I.) qui Regulas discernendi Revelationes tradiderunt, exigant, ut videatur qualis quantusque fuerit Confessarius & Ductor Spiritualis Personæ, quæ Visiones ac Revelationes habuisse dicitur; Venerabilis verò P. Ludovicus de Ponte fuerit Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar Pater & Dux spiritualis ultra annos triginta, necessariò inspiciendum, quantæ Virtutis & Sanctitatis, ac maximè quantæ Prudentiæ, Scientiæ, ac in rebus asceticis Experientiæ is fuerit, adeóque quantam potuerit in Revelationes istas suâ approbatione derivare authoritatem.

Dividemus autem Tractatum istum in Partes duas, quarum prima Vitam & Virtutes, ac Sanctitatem ejus; Secunda, Scientiam, & Experientiam Asceticam, ejúsque Prudentiam amplectetur.

PARS

PARS PRIMA.

Sanctitas Venerabilis Patris Ludovici De Ponte.

Caput I.

Ortus ejus, & Ingressus in Societatem, ac Obitus ejus.

I.

NAtus est Venerabilis P. Ludovicus de Ponte Vallisoleti in Castilia, Anno Domini 1554. die 11. Novembris, horâ 4. matutinâ: & anno ætatis suæ vigesimo in Societatem Jesu à Deo prope invitus tractus & 2. Decembris 1574. ingressus est, cùm ipse magis ferretur in Ordinem RR. PP. Prædicatorum, in quorum gremio ferè adoleverat. Accidit illi, ut in quadam Disputatione sui argumentorū siverit se abduci à pia sententia de Immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis & Matris Dei: statímque senserit inusitatam mentis ariditatem & tædium, ex quo neutiquam per SS. Sacramentorum sumptionem liberari potuit, donec Voto se obstringeret tenendi sententiam piam. Cúmq; post hoc nihilominus quasi Exercitij gratiâ thesim à Doctoribus suis propositam pararet defendere, repentè memoriam omnium pro ea argumentorum ei Deipara exemit, donec provolutus ante aram Sanctissimæ Virginis pollicitus se nunquam imposterum, nec exercitij gratiâ contra Immaculatam ejus Conceptionem quidquam acturum, impetrâsset, ut adhuc hac vice ei condonaretur, & memoria rerum rediret, nè putaretur voluisse suis Doctoribus illudere. Fuit postea tam confirmatus in ea sententia, ut in eandem, utrumque Fratrem suum, Dominicanos perduxerit: quod in Ordine illo palàm omnibus fuit.

II. Me-

II. Methimnæ Campi probationis domum ſubivit, ubi tunc ardebant omnia eo igne, quem P. Balthaſar Alvarez (cujus ſanctiſſimam Vitam ipſe P. Ludovicus poſtea conſcripſit) paulò antè ibidem Magiſter Novitiorum accenderat; ità ut Pater Ludovicus conſignatum reliquerit ſibi viſum eſſe, quod ſi vel octo annos vitæ haberet, & eo modo, quem ibi apud tirones videbat, viveret, magnus Sanctus evaderet. Quantus ergo evaſit quinquaginta annis, quibus ſupervixit! teſtati enim ſunt P. Franciſcus de Prado, & P. Jacobus de Soſa, Provinciæ Caſtellanæ Provinciales, eum nè ad momentum quidem temporis ceſsâſſe, quin ſemper magis magiſque in perfectione procederet, nihilque in eo potuiſſe reperiri, quod non deceret Virum perfectum, fuiſſéque ab omnibus etiam alijs Religioſis, Principibus, & Magnatibus habitum pro homine ſanctiſſimo.

III. In probatione tertia Inſtructorem habuit ſibi deſideratiſſimum illum P. Balthaſarem Alvarez. Sacerdotio initiatus An. 1580. die 19. Martij, in feſto S. Joſephi. Primum Sacrum fecit Valliſoleti in feſto Beatiſſimæ Virginis Annunciatæ. Philoſophiam Legione An. 1581. docere cæpit, in qua Auditorem habuit celebrem illum Martinum D[illegible]io. Theologiam Salmanticæ An. 1584. uno anno, dein poſt ſeptem aut octo annos iterum Valliſoleti docuit; poſtea multis annis Studiorum Præfectus. Rector Valliſoleti & Villagarciæ, ubi etiam Magiſterium Novitiorum bis & Medinæ Campi ſemel obivit, Patreſque in tertia probatione inſtruxit. An. 1599. Villagarciæ peſte laborantibus inſervivit.

IV. Miram habuit vim dicendi in Concionibus, multóſque commovit ad obeunda Sacra Exercitia, in quibus tradendis inſignem habuit dexteritatem, ut Religioſi Societatis ex alijs domicilijs peterent eorum gratiâ ad eum proficiſci; ut & aliorum ordinum magnæ authoritatis Viri reverſi ad ſuos ma-

gnam cænobijs ſuis intulerint lucem, omnibus ad imitationem accenſis. Princeps Antonius Pimentel Comes de Luna in Exercitijs non niſi flexis genibus eum ſolitus audire, Noſtris in triclinio ſingularis demiſſionis exemplo miniſtrare eſt dignatus. Cùm Fratribus laicis argumenta meditationis in diem ſequentem Valliſoleti proponeret, conveniebant ad eum audiendum Viri in Collegio graviſſimi, ac Theologiæ Doctores, quos inter & magnus ille Pater Franciſcus Suarez non dedignatus illum habere Magiſtrum ſpiritûs, quem in Theologia habuerat Diſcipulum. Ægrorum tantam curam geſſit, ut unum ſepties intra duas horas, alium uno die decies novies, alium ſæpius inviſerit.

V. Auditus eſt dixiſſe, ſe ſi ullum vitæ modum perfectiorem, Deóque gratiorem noviſſet, quàm ſit Societas Jesu, protinus ad illam conceſſurum. Quomodo ipſe totâ vitâ ſuâ affectus vixerit, patet vel ex dicto ejus unico, quod illi quâdam vice dum noſtros domeſticos exhortaretur, cum lachrymis excidit; ſe nimirum, ſiquando erravit, nullum tamen unquam fœdus iniiſſe cùm ullo etiam leviſſimo vitio. Nam licèt humanum ſit labi, reſurgere, luctari, nunquam tamen ullum peccatum eſſe admittendum in morem & conſvetudinem: illâ enim re nihil eſſe pernicioſius homini, qui debet ad abſolutionem perfectionemque Virtutum contendere.

VI. Proceſſit ætate uſque ad annum ſeptuageſimum, tam exhauſtis viribus, ut Medici teſtati ſint eum miraculo vivere in corpore ità conſumpto, ut ſceleto ſimilis appareret, plenus acerbiſſimis doloribus, præter caput ad diſcurrendum, & manum ad ſcribendum. Timorem judicij multis modis oſtendit, diffluens lachrymis ad pedes Crucifixi, & ſæpius ingeminans: *Domine cùm veneris judicare, noli me condemnare.* Horæ mortis ſuæ fuit præſcius, antę quam per duas circiter horas in raptu jacuit, donec horâ decimâ petijt candelam ardentem, quales in Mon-

Monte Serrato benedici ſolent, & converſus ad Crucem ſubmiſsè repetijt: *Domine cùm veneris judicare, noli me condemnare.* Tum; *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.* Ac demum ſinè ulla membrorum convulſione placidiſſimè felicem animam reddidit Conditori die 16. Februarij, dimidiâ poſt decimam horâ, An. 1624. ætatis 70. aditæ Societatis 50. emiſſæ quatuor Votorum profeſſionis 21. facie tam ſerenâ, ut elegantior appareret, quàm fuerit viventi, cùm tamen, præter pellem & oſſa, quaſi nullâ præterea parte corporis conſtitiſſet.

VII. Sepultus eſt eo modo, quem Societas in Sanctorum Virorum funeribus conſvevit adhibere. Ingens ad Exequias confluxus, ſacrum corpus oſculantium, & certatim aliqua pro Reliquijs poſtulantium. Septimâ à ſepultura die Patres Dominicani honorificè illi juſta in templo Societatis, celebrante P. Priore, fecerunt: poſtea Nobilitas: Civitas Valliſoletana: funebrem orationem prædicante P. Andreâ de Ponte Dominicano, Defuncti Fratre.

CAPUT II.

Quædam de Virtutibus Ven. P. Ludovici, ex Proceſſu pro ejus Canonizatione.

I.

OMnia quidem, quæ ſequentur, erunt excerpta ex Proceſſibus pro ejus Canonizatione & authenticis Informationibus, ſcriptiſq; publicis, nihilominus viſum eſt ſpecialiter hic referre, quæ ſtatim triennio poſt ejus mortem fuère Summo Pontifici Urbano VIII. An. 1627. ab Epiſcopo Valliſoletano præſentata, his verbis:

, Invenimus hunc Virum inſignem multùm proceſſiſſe in omni genere virtutum, & tam ardentem fuiſſe in Amore erga

DEUM, ut inflammati affectus eum perduxerint ad terminos amittendi vitam naturalem. Salutis alienæ tam ſtudioſum, ut pluſquam 40. annis nemo illum viderit otioſum, ſed agentem ſemper cum DEO, aut laborantem in bonum animarum; docendo, concionando, confeſſiones excipiendo, conſilia dando, ad dubia reſpondendo, viſitando, conſolando infirmos, aſſiſtendo peſte correptis, aliiſque pietatis operibus ſe occupando.

II. In devotione & familiaritate cum DEO tam fuit eximius, ut Vir Religioſus, gravis, doctus, boni exempli, cum præteriens cellam ejus audito magno fragore, quaſi trabes tecti rumperentur, eam aperuiſſet, viderit hunc Ven. Patrem (qui tunc incipiebat orare) ſplendore quodam divino ad modum globi, medio corpore opertum, capite & pectore ſpecialiter illuſtrato. Tam fuit humilis, ut totâ vitâ ſuâ celaverit revelationes, illuſtrationes, & favores, quos ei DEUS inter ſua ſancta exercitia exhibuit.

III. Nemo meminit eum unquam lamentatum eſſe in acutis doloribus guttæ articularis, & alijs morbis, quorum erant morſus acerrimi. Propoſitum non manifeſtandi ea, quæ pateretur, tam rigidè ſervavit, ut oculi unius uſum amiſerit potiùs, quàm illud tranſgrederetur. Illud autem fuit mirabile, quòd in medijs doloribus, maximáque debilitate, manu ſuâ conſcripta emiſerit in lucem undecim volumina, tam ſublimia, tam ſpiritualia, prout notorium eſt: præter alios Tractatus, quos ſcriptos reliquit.

IV. Puritas animi & corporis fuit Angelica ità ut nunquam peccaverit mortaliter: ſed nec veniale admiſerit è talibus, quæ in ſuo genere habentur pro gravibus. Imò viginti ante mortem annis edidit, & exactè ſervavit votum, non admittendi advertenter & deliberatè ullum veniale. Conſtitutiones ac Regulas ſui Ordinis nunquam viſus eſt tranſgredi, nec quidquam

quam eorum, quæ Superiores ordinaverant: ſed nec repugnantiam unquam oſtendit in obediendo: imò promptè & accuratè uni ex ſubditis, cui eum tunc Rectorem Pater Provincialis, quoad aſperitates corporis, nè modum excederet, ſubjecerat, obedivit.

V. In tanta debilitate nihil ab ullo donorum, nec per modum medicamenti acceptavit, nec bellaria, aliáque refocillamenta, contentus pauxillo carnis conciſæ, quam ipſam tamen poſt horas paucas rejicere cogebatur, tanto tormento, ut fateretur ſe, ſi per conſcientiam liceret, præelecturum potiùs fame mori. Noctu corpus in nudum aſſerem abjiciebat. Cilicijs utebatur quaſi continuis; flagellabat ſe attrociter quotidie: patiebatur ardentem continuam ſitim, neque eam ſedare voluit, nisì in menſa communi, ubi tamen potus ejus fuit paucarum unciarum: raro admiſit aquam ad eluendas fauces ſiccitate areſcentes.

VI. Providentiæ Dei penitùs acquieſcebat, hortabatúrque omnes, ut Animæ ſuæ quietem in ea quærerent, reſignando ſe in paternum ejus amorem: unde pro remedio afflictionum, ſvadebat memoriæ; cordique imprimi ſequentia verba: *Fiat Domine in me, de me, per me, circa me, & circa omnia mea tua ſanctiſſima Voluntas, nunc & ſemper, & in æternum, Amen.* Judicia Dei profundè reverebatur, atq; in officio divino ſpeciali ponderatione exprimebat illa verba Pſalmi 65: *Terribilis in conſilijs ſuper filios hominum.* Et examinando aliquando ſuas culpas abreptus eâ apprehenſione, fecerat ipſum cubiculum, in quo erat contremiſcere.

VII. In Magiſterio ſpirituali ità excelluit, ut videretur petentium à ſe conſilium corda penetrare: ità dubia, quæ ipſimet ſatis explicare non poterant, eis declarabat. Propter quam tantam ei à Deo datam Intelligentiam, Sapientiam, & Conſilij donum, recurrebatur ad eum tanquam ad oraculum ab omni ſorte

 ho-

hominum, Ecclesiasticorum & sæcularium, Magnatum, Prælatorum, Religiosorum. Habuit etiam gratiam cognoscendi cogitationes hominum, quas & aliquibus pro eorum bono manifestavit: futura prædixit: liberavit suis orationibus aliquos ab infirmitatibus, & tribulationibus: multa sibi à DEO revelata manu suâ conscripsit, omisso suo nomine, contentus dixisse ea esse cuipiam è Societate revelata: multos alios favores à DEO & Angelis accepit.

Reliqua, quæ tam in prædicta Relatione Episcopi Vallisoletani, quàm in alijs Auctoribus habentur, videntur aptiùs posse digeri in suas classes, ut magìs collecta Lectoribus placeant.

CAPUT III.

Fides, Spes, & Charitas Venerabilis Patris Ludovici de Ponte.

I.

NIhil tulit æquo animo dici ab ullo vel doceri, quod vel tantillum recederet à purissima Fidei doctrina. Unde & suos libros cupiebat rigidè censeri, cujuslibet, etiam sui quondam Discipuli judicio se spontè accommodans. Solius veræ Fidei defectui tribuebat cujuscunque hominis teporem animi, horrorem crucis. Confitebatur ei quædam studiosa virtutis, at viro aspero nupta, dixeràtque se, si liberaretur isto cruciamento Mariti, sperare magnos in amore DEI progressus. Cui ille quasi offensus: credisne tu, inquit, in DEUM? credis eum esse ipsam bonitatem, ipsam sapientiam, ipsam omnipotentiam? Crede ergo etiam illum tanquam bonum, tibi bene velle; tanquam sapientem, dedisse tibi hunc Maritum, ut ejus asperitate polias virtutes; tanquam omnipotentem tibi opem laturum, ut nihil ab æterni boni consecutione te impediat. Aliàs petenti ut lice-

liceret sibi cubare super cruce armata spinis ferreis, negavit, dicendo: donec tu placidè feras crucem, quam tibi Deus imposuit per mores mariti, non equidem tibi aliam crucem permisero, cùm utramque ferre non possis. Quæ admonitio multùm conducit malè consultis, qui cùm ferre nolint, quod Deus novit eos posse suo auxilio, affectant aliud, cujus ferendi opem à Deo paratam non habent. Ex fide quoque profectum est, ut ad aram factâ consecratione totus contremisceret, ex reverentia præsentis Divinæ Majestatis.

II. Mirificâ præditus erat spe non solùm felicitatis æternæ, sed etiam quarumcunque rerum, fiduciâ meritorum Christi, instar Filij tenerè à Patre dilecti. Quare de nullo bono successu sollicitus, nullum malum timebat. Quibus alij dejiciunt animum (ùt sunt: humana fragilitas, imbecillitas, peccata &c.) ijsdem animabatur ipse ad confidentiam, reflectendo oculos in bonitatem & misericordiam Dei; cui se suáque committebat; ajebátque se crebrò expertum, nunquam sic agentem spe suâ deludi, & quantò magis diffidat sibi quisque, tantò majori potiri fiduciâ Dei: quam quidem quoties esset occasio, magnâ verborum copiâ svadebat omnibus, & omnes mirificè ad eam excitabat. Et quoties in quocunque incommodo jubebat aliquem bene sperare, semper eveniebat id, quod ipse promiserat, quia dicta illius nitebantur magnâ fiduciâ in Deum: ex qua etiam oriebatur, ut nullo turbaretur adverso successu, nullo efferretur secundo.

III. Quantus in eo fuerit Amor Dei, ostendebant actiones illius omnes & sermones, qui nihil nisi honorem & obsequia Dei spirabant, quibus omnes inflammabat, ut appareret non errâsse Lucam Carrillium doctrinâ & concionibus clarissimum, quando testatus est, quidquid Sanctus Gregorius, Bernardus, & Bonaventura, aliique Doctores, scripserunt de excellentissima charitate, hoc se totum invenisse in Ven. P. Ludovico

vico de Ponte. Quod ipſum & alij teſtati ſunt. Crebrò in ore habebat, DEUM optimè ſcire, quid maximè nobis expediat. Quæ verba tanto ſpiritu animabat, ut omnem animi perturbationem audientibus in eorum rebus adverſis ablueret. Ità ſuam cum divina voluntatem conformaverat, quaſi quodam naturæ conſenſu noviſſet, quid eſſet DEO in quocunque negotio gratiſſimum: atque in conſilijs dandis ità conſtanter & aſſeveranter pronunciabat, acſi voluntatem DEI legiſſet ex tabulis. Plura apparent ex ejus ſentimentis ſeorſim ſæpius, & nuper Latinè hìc Pragæ impreſſis, in quibus & omnium aliarum virtutum ſpecimina relucent.

IV. Charitas erga proximos apparet ex ejus operibus magno ſtudio ad perfectionem unicuique convenientem omnes perducendi conſcriptis. Hinc cuidam ſuæ Filiæ ſpirituali reſpondit, tantam ſe habere curam promovendi omnes qui ſecum agunt, in ſpiritu, ut nihil ſit in mundo, quod pro quolibet etiam exiguo eorum profectu facere non ſit paratus. Unde & morbo preſſus, quantacunque cum moleſtia ſua negotijs proximorum ſatisfaciebat, adeò, ut nec ad momentum videretur velle à labore pro bono animarum ceſſare; ſiquidem cùm præ infirmitate aliter non poſſet, è genibus acclinatus ſellæ vel lecto, ſcriberet quos edidit libros, vel conſulentibus reſponderet: prout & cum incredibili moleſtia in Confeſſionali hærebat.

V. Sub ultimos vitæ dies perdito jam uno oculo, & altero penè conſumpto, tumeſcente pectore cum graviſſima difficultate ſpirandi querebatur, quod jam alijs prodeſſe non poſſet: ideò dicebat hoc unum ſibi reſtare, ut eos, qui ſaluti aliorum ſtudent, per aſſiduas orationes DEO commendaret. Quando ipſe miſſionem ad Indos & Japones impetrare non poterat, plurimos ſaltèm ſuis adhortationibus eò promovit. Peccatis aliorum ſic urebatur, ſic ea deplorabat, ſic in ſuo caſtigabat corpore, acſi ipſe ea patrâſſet, vigilijs, jejunijs, flagris, cilicijs, aliiſque ſup-

ſupplicijs minimè clementibus illa vindicando. Quando erat occaſio tantâ vi argumentorum, tantâ vocis & omnium nervorum contentione conabatur omnibus perſvadere, nè ullius unquam rei causâ DEUM vel leviſſimè offenderent; ut oculi ſcintillare, ex ore verba ignita profluere, & ille ſe ipſo robuſtior fieri videretur.

CAPUT IV.

Studium Perfectionis, & Religioſitas.

I.

TAntam in omnibus ſuis actionibus cautelam adhibebat, ut nec interrogantibus reſponderet, nisi priùs clauſis tantiſper oculis lumen à DEO petijſſet, & quid, ac quâ menſurâ reſponderet, conſideràſſet. Ordinem actionum ſemel propoſitum conſtantiſſimè medios etiam inter dolores tenebat. Fructibus novis, prunis, ceraſis, uvis abſtinuit ſemper, nisì imperaretur pro medicamento. Appoſitum panem primarium, ùt audivit non eſſe communem reliquis, comedere noluit. Extra tempora nunquam comedit nec bibit. Nunquam animi causâ prodivit ad campum: quodſi incidiſſet in locum amænum, ità frænabat oculos, nihil ut ex ejus aſpectu caperet voluptatis. Nunquam niſi causâ urgente cubiculo egreſſus. Nunquam res novas percunctatus aut memorans. Æſtate in lecto nunquam ſe verſabat partem frigidiorem quærendo. Plurima id genus notârunt in eo, quibus erat major cum eo conſvetudo. Geſtavit aſſiduè induſium cilicinum: quotidianâ flagellatione ſe excipiebat, ut ſtrepitus plagarum in tota vicinia audiretur, & fruſta flagelli diſſilirent. Solis ferè herbis veſcebatur, & aquâ ad tres uncias admensâ. In cubiculo cùm ſolus eſſet, ſæpe paſſis in crucem brachijs manebat, eâ CHRISTI Domini figurâ ſe oblectans. Quamvis Superiores ei ſocium appoſuerint, qui cum po-

testate contineret illum regionibus debitæ moderationis, semper tamen vigiliarum & quotidianæ flagellationis usum retinuit. His aliisque ità corpus exhausit, ut qui S. Isidori corpus à tot sæculis incorruptum viderat, non dubitaverit asserere, Ludovici viventis corpus multò aridius esse.

III. Sæpe à Deipara flagitavit, ut impetraret sibi à Deo Paupertatem, quæ Christi comes fuit individua. Hinc ubiq; sectatus est vilissima, delectatus cubiculo malè instructo etiam dum Superior esset, ligneâ sede, & pro sella contentus humili sedili, in quo tergum acclinare non posset; tametsi pro advenis alias haberet sellas, minimè tamen superbas. Pro picturis erant piæ Imagines cupro impressæ: libri non plures, quàm studijs ejus necessarij, & hi quidem vetustiores. Librariam supellectilem (tametsi facilè suppeditaturis amicis) non auxit, nè quam labem paupertati aspergeret: sed nec in morbis admisit quidquam refocillationis, nisi quod in pauperrimis Collegijs esset consvetum. Vestes ità detritas habuit, ut post mortem ejus nulli ampliùs essent usui, adeóque facilè dilaceratæ & pro Reliquijs petentibus distributæ.

IV. In excursionibus victum ostiatim commendicare ipsi volupe fuit. Nullas unquam pecunias habuit. Libros suos manu propriâ conscripsit, nisi esset necesse, aut nitidiùs scribendum, aut quod oporteret servari: ùt sunt ea, quæ de rebus Ven. Marinæ dictavit; idque non alterius scribæ, quàm domestici Novitij vel scholastici, donec resciviset per eos quædam inter familiares vulgari, quæ ille volebat esse adhuc secreta: tunc enim uti cæpit (prout P. Rodericus Arriaga narrabat) operâ cujuspiam pueri, qui per ætatem necdum intelligeret, quid scriberet. Denique cùm Dominus Antonius Pimentel aram ei intra conclave adornaret, nè celebrandi causâ cogeretur duci vel deportari ad sacellum commune, non permisit aram pretiosis sacrarum Reliquiarum thecis adornari; ut & pietati addendæ dona sæpiùs

pius oblata non acceptavit, versatus in rebus humanis, acsi Geniorum cœlestium unus esset, qui illarum cupiditate nulla tangeretur.

V. Castimoniam nativam, & virginalem totâ vitâ servâsse certum est, ut nec cogitatione aut verbo, oculive nictu in eam peccaverit, nullam fœminam, nè Matrem quidem aut sororem intuitus, cautè semper, sicceque, quando opus erat, cum illis agendo, tam nervosè tamen, ut nec plura desiderarent. Apud ægrotas cùm esset, voluit semper socium habere in oculis; quorum unus cùm eum aliquamdiu reliquisset solùm, gravissimè questus est asserendo se, si id præscivisset, pedem domo elaturum non fuisse. Curæ quoque ipsi fuit, ut neque alius eum ulla ex parte, præter os & manus, neque se ipse nudum unquam videret; nam & cùm ungves pedum nimiùm excrescentes resecaret, digitum eundem tectum habebat, cujus ungvis erat putandus.

VI. Obedientiæ amore his, quæ Superiores disposuerant, nihil opposuit unquam, nisi mandâssent aliquid honorificum, aut esset occultum, quòd eos nôsse oporteret. Sic nihil movit, cùm Villagarciæ sanitatem nimiâ occupatione pessumdedisset: nihil cùm Salmanticensi aurâ pessimè afficeretur: omnia, cùm in propatulo essent, Superiorum prudentiæ relinquendo. Quando verò propositâ simpliciter difficultate Superior perstabat in proposito, simpliciter nihil contra urgendo, id, quod ordinabatur, executus est; licèt interim difficultas aucta fuisset. Nec solùm sic se erga Superiores gessit, sed etiam erga Janitorem, Cocum, Æditum, respiciens eos, ut Vicarios DEI.

VII. Modestiæ formam à S. Ignatio præscriptam sic in se expressit, ut Leges ejus, si intercidissent ex ipso potuerint restaurari. Lingvam sic moderatus, ut & religiosè silentium horis locisque præscriptis servaret, & cùm loquebatur, nullum ei verbum, nec in Disputatione scholastica non limatum excideret.

CAPUT V.

Humilitas, & Patientia Ven. Patris Ludovici.

I.

Cùm An. 1586. Villagarciæ Novitios formaret, statim ut omnibus præluceret, magno animo se accinxit ad opus: mox in depili veste, qualis Novitiorum esse consvevit, incedere, purgare loca immundiora domûs, lætamen deferre ad sterquilinium, ministrare infirmis, verrere pavimentum, lavare vasa, nulla in re quantumvis molesta eximius esse. Reliquo etiam vitæ tempore, quasi minimus omnium, humillima quæque occupabat, templi pavimentum verrendo, in culina Coco & ejus socijs, ùt & mediastino sæculari, ac Valetudinario obediendo; in triclinio accumbentium pedes osculando, crebrò suas culpas è genibus deprecando, ultimum ubique locum affectando obtentu suarum infirmitatum. Nullum admisit unquam socium, qui curaret ejus cubiculum, aut alia præstaret officia ad ipsum spectantia, nisi coactus necessitate; in qua tamen præcerpebat quidquid poterat operæ. Et ideo in debilitate extrema, sic curavit aperiri tunicam & thoracem, ut solus sinè auxilio, tametsi non sinè molestia, posset induere.

II. Nullum unquam verbum ex eo auditum est, quod laudem aut æstimationem propriam oleret: nunquam indagavit, an probarentur ea, quæ dictaverat; nunquam an libri sui vulgarentur, de quibus nihil unquam disposuit; imò optabat illos vilipendi, dummodo prodessent. Si quis in laudem ejus afferret aliquid, videbatur ità sentire, acsi prægrandem contumeliam passus fuisset. Nemo audivit eum, vel se excusantem, vel alios incusantem, multò minùs murmurantem. Nullâ unquam re aliquid in alios authoritatis arrogare sibi est visus, aut eminentiæ: siquid diceretur, quod saperet ejus contemptum, non poterat vultu dissi-

dissimulare lætitiam, quam tacito animo capiebat. In disputationibus ostentationem ingenij ac doctrinæ non necessariam devitabat. Non dedignabatur consilia ab alijs longè inferioribus, etiam Novitijs & alijs, quorum erat Magister, præsertim in rebus ad se spectantibus, petere & sequi.

III. Ut honorata munia posset fugere, varios à DEO morbos impetravit. A Superioribus enixè flagitavit vitam totam traducere in docenda Grammatica. Quando per infirmitatem eos, à quibus expetebatur, adire non poterat, asello contentus pro ridiculo erat pueris, cùm senem osseum viderent à socio juxtà incedente teneri, nè decideret. At ipsi eadem irrisio pro delectamento fuit. Unde nec publico declinato, triumphantis more, ad exemplum CHRISTI, per medium forum, & loca frequentia jucundè pergebat; ijs, qui eum priùs irriserant, in magnam postea venerationem ejus conversis. Fuit cum Sacri faciendi causâ eunti ad Collegium S. Ambrosij soluta esset corrigia calcei, quam cùm religare vellet, qui comitabatur juvenis, & postea Religiosus S. Dominici, non permisit hoc ejus modestia: sed paulò pòst (mirum!) religata apparuit, nemine qui manum admovisset conspecto. De Humilitate tanto sapore loquebatur, ut mentes etiam vanissimas ejus amore aspergeret.

IV. Quotidie ad aram & in alijs cum DEO congressibus sæpius orabat, ut quos CHRISTUS Dominus totius vitæ suæ comites habuit: Paupertatem, Contemtum, Dolorem, sibi quoque dignaretur adjungere. Villagarciæ noctu in suo conclavi auditus dicere: *Impone mihi Domine has plagas; Domine has plagas, ô quas plagas!* Cùm Franciscum Carvajalium Novitium, qui ista è proximo cubiculò audiverat interrogâsset benène noctu dormiret, & ab eo ingenuè accepisset, quod propter has ejus exclamationes non posset in illo cubiculo tam bene dormire, ac aliàs, subridens Ludovicus respondit: *Quid vis charissime? nos qui rarò cogitamus de DEO interdiu, noctu debemus id facere.*

V. Ibidem cùm die sancto Parasceves vehementiùs exarsisset cupiditate experiendi dolores CHRISTI, DEUS ei articularem morbum immisit, qui totâ illum vitâ reliquâ, in manibus, pedibus, genibus, ac talis, dirum in modum exercuit. Excepit mente serenâ cœleste munus, ut non uno tantùm nomine dolores illos amaret, quin & optaret intensiores. Et verò multis mensibus baculo attentus non potuit nisì geminis grallis fultus incedere, vix solùm pedibus attingendo. Accessit intemperies ventriculi, stomacho quidquid reficiendis viribus immissum accepit, acido sapore corruptum rejiciente, bis quotidie; ut hoc tormentum Ven. Patri Ludovico ipsâ morte gravius videretur. Ex his orta amarities oris, cum saliva spissa, quæ etiam dentes sic affecit, ut ijs amissis, exulcerata gingivâ, nihil jam posset cibi sumere, præter olusculum, & parum carnis minutim confectæ, & in aqua calida dilutæ cum mica panis absque alio condimento, ad stuporem etiam Medicorum, rem tam insipidam posse ab homine sumi.

VI. In pectore tanta oppressio, ut pænè suffocaretur, & post aliquot passus cogebatur interquiescere, ut animam revocaret. Humeros incessebat acutissimus dolor. Atque hic congestus morborum ultra 35. annos tenuit. Nihil autem admittebat, quod suos ei dolores levaret, nè domesticorum quidem alloquia. Excidit illi aliquando, ut diceret se multis annis desiderâsse, ut aqua ei dissiperet, quâ nullum svavius in suis ardoribus habuit refrigerium: cujus voti postea damnatus est, quando frigidâ magnum illi stomachi tormentum creabat. Quâdam die totâ in flagrantissima siti nihil ei potionis, per incuriam socij, allatum est, nec tamen potum poposcit: aliàs per similem errorem totis 8. diebus amara quæpiam aqua ei præbebatur in potum; nullo id verbo questus, patientiâ admirabili. Semel prolapsus strato duabus horis jacuit supra laterculos: neque tamen permittere voluit, ut aliquis ei foret semper assiduus. Lectus qui

qui recreare solet, fuit illi cruciamento, quia carebat carne, quæ esset ossibus aridis pro pulvinari.

CAPUT VI.

Orationis studium.

I.

EA fuit in Ven. Patre Ludovico Divinæ Majestatis reverentia, ut cùm cernuus eam adoraret (adorabat autem sæpissimè) videretur infra terram & fines rerum ad nihilum usque se velle dimittere, præsertim in sacro officio dicendo: *Venite adoremus, & procidamus.* Tanto ardore orabat, ut januam cubiculi ab adventantibus pulsatam non perciperet: quòd si quem intrâsse notaret, signo dato jussit expectare, donec horam unam terminâsset. Quando morbus non sinebat eum esse in poplitibus, orabat in humili scabello nusquam inclinatus. Inter recitandum interspirabat, prout Psalmi suggerebant affectum: paulò longiori pausâ ad solennem Psalmorum clausulam, quâ Divinis Personis gloria canitur, singulas velut inter choros cœlestes constitutus, dilaudando. Nec absimili sensu recitabat illud: *Sanctum & terribile Nomen ejus.*

II. Ad Sacrificium longâ oratione, & mortificatione, & præmisâ quotidie confessione se disponebat, permissus demũ in sacello privatim facere, quia aliquando affluente vi gratiæ divinæ ad tres aut quatuor horas illud producebat: genua debitis intervallis etiam in summo furore podagræ, flectebat profundissimè: ardebat facies aliàs pallida, manabant oculi, densabantur suspiria, totus tremebat ex reverentia CHRISTI præsentis; tantáque fuit interdum vehementia, ut qui ministrabant, timerent, nè vitam ante Sacrum absolveret; id quod ipsemet fassus est. Primis 40. annis nullo die Sacrificium omittebat, etiam

am quando mortuo quàm viventi similior cogebatur decumbere, quia cùm tempus Sacri aderat, erigebat se robustior se ipso, ut adeò nocte natali CHRISTI consecratâ, tria continuò Sacra perageret, Medicis vim ea in re omni naturâ majorem agnoscentibus. Hortanti Fratri Andreæ Dominicano, ut sibi parceret, quòd non posset consistere pedibus: *Potero*, inquit, *mi Frater: DEUS juvabit. Sine me, quia aliam consolationem non habeo.* Cùm ei semel prohiberet Rector, quod nimis quàm infirmus esset, multis exoravit, ut saltèm liceret, si fortè tantæ vires suppeterent. Facilè impetravit, quod videretur non futurum ut posset: sed ipse facilè à DEO vires obtinuit, potuit, surrexit, fecit.

III. Postquam autem DEO placuit, ut jam omninò non posset; tunc quotidie sub Sacro alterius, quod in ara apud ipsum seorsim excitata fiebat, divino Pane refectus prolixas DEO egit gratias, fassus se tunc non sentire, quos patiebatur dolores. Divinum Sacramentum diu noctúque visitabat, ità ut sinè illo esse non posse videretur, cúmque genua per debilitatem flectere non posset, profundâ capitis inclinatione, iterum iterúmque repetitâ, genuflexionem compensabat, etiam posteaquam recesserat, antequam è templo pedes efferret, iteratâ iterum inclinatione, quasi revertendo. Si omnino nec grallarum auxilio è cubiculo prodire posset, saltèm coràm Imagine Sacræ Eucharistiæ suæ pietati indulsit. Monitus à Rectore Didaco de Sosa, nè sumeret sibi laborem tanta cum difficultate eundi ad templũ, cùm posset suo desiderio satisfacere in cubiculo, respondit: *Facio, Pater, hos passus, plures etiam facturus, ut ostendam, quanti æstimem gratiam sistendi me coram meo Domino, & agendi cum eo pro impetranda Misericordia, quâ tantopere tunc indigebo, quando me videro coram eo tanquam severo Judice.*

IV. Omnis ejus exterior actio, motus, vultûs compositio docebant eum quovis tempore sinè intermissione orare. Oculos

los & manus tollebat in Cœlum, amore plenas emittebat voces, repetebat ſententias è ſacris litteris Potentiam, Sapientiam, ac Bonitatem DEI commendantes, ex obvijs rebus dulces hauriebat ſenſus: denique velut à ſe ipſo abreptus, incedebat etiam per vias publicas, ut clarè appareret illum præſentem verſari cum DEO ſemper, offerendo ei tot Sacrificia, quot opera exercebat.

V. Ex hoc oriebatur, ut in Lumine divino omnia faceret magna cum perfectione, aſſiduè memor dicti CHRISTI Domini: *Me oportet operari opera DEI*, Joan. 9. Quidam Prædicatorum dixit illo præſente: ſi tantùm unus mortalium eſſet damnandus ad inferos, ſatis id fore, ut quis maneat in ſtatu religioſo, ut hoc modo ſit ſecurior, nè forſan ipſe ſit unus ille damnandus: excepit P. Ludovicus: ſi omnes eſſent ſecuri de felicitate æterna, ſe nihilominus à ſtatu perfectionis, in quo degit, non receſſurum: innuens quantâ intentionis ſinceritate in obſequijs divinis verſaretur. Non mirum ergo fuit, quòd qui curioſiùs ejus actiones obſervârunt, jurati affirmaverint, ſe nihil unquam in illis imperfectum deprehendiſſe: Imò tales fuiſſe, ut in illa rerum perſonarum, loci ac temporis concurſione perfectiores eſſe non poſſent: quia videlicet fiebant ad exemplum DEI, & eorum, quos imitatio Divinitatis ſupra cæteros evexit. Uniebat præterea omnia ſua opera cum operibus CHRISTI (prout ipſe in ſuis ſentimentis enarrat) & experiebatur ſibi à DEO per merita CHRISTI tali oblationis actu applicata, concedi peculiare auxilium, & devotionem, quâ ſua opera meliùs faceret, quàm ſi non præceſſiſſet iſta oblatio.



O CAPUT

CAPUT VII.

Quædam de Ven. P. Ludovico cælitus revelata eo vivente.

I.

INcesserat illum ultimis vitæ annis cogitatio, se jam nec ad vivendum esse idoneum, nec ad moriendum. Non ad vivendum, quòd in corpore jam destructo non posset munia suæ vocationis exercere eo modo, quo vellet. Nec ad moriendum, quòd non sentiret in se fervorem & effectus puri & absoluti amoris divini, quem habere oporteret. In hac cogitatione recurrit ad Venerabilem Marinam de Escobar supplex, ut hanc suam solicitudinem etiam atque etiam Divinæ Majestati commendaret; cui illa in hunc sensum rescripsit: nuper non fuisse commodum ei respondere accuratè, ad id, quod à se petijt. Interim se egisse cum DEO, & hoc à sua Majestate responsum accepisse. Longè alios esse oculos DEI, quàm hominum: Nobis enim sæpe videri melius purius, & perfectius, quod in suis oculis perspicacissimis tanti non sit. Et contrà nobis malum sæpe, ac vitiosum apparere, quod ipsi probatum ac pretiosum sit.

II. Idem jam Ludovico evenire, qui per gratiam DEI, & ad vivendum, & ad moriendum sit bene paratus, licèt ipsi videretur contrarium. Ad vivendum quidem, quia cùm vires corporis consumpserit laborando in vinea Domini, & adornanda sua anima ad percipiendum fructum vitæ æternæ, jam in eo esse, ut patiatur. Quod quidem est maximum donum, quod in hac vita DEUS largitur eis, quos valde diligit. Sustineat ergo crucem suæ infirmitatis corporeæ, quâ non potest amplius cooperari desiderijs animæ suæ; quæ quidem crux oppidò gravis est. Ad moriendum autem paratum esse ob eandem causam. Et quia Abraham filium suum jam abstraxerit ab ubere

Matris,

Matris, ideo nutrire eum ſolido pane, quo ad ſtaturam & robur virile educitur: hoc eſt, cùm hactenus ſit dulcedine divinâ, teneróque amore ſuſtentatus, jam ei cruſtas panis præberi, ut ſolido cibo creſcat in majorem virtutem ac beneplacitum Dei, qualemcunque ſentiat ariditatem & teporem. Neque eſſe cur ex hoc reſponſo Dei deſpondeat animum, ſed potiùs gaudeat eo ſe loco haberi à Deo, cui omnia noſtra cordi ſunt, velut amantiſſimo Patri.

III. Alio tempore cùm jam ſibi videretur etiam animo factus langvidior, ſcripſit eidem Virgini, ut & hunc ſuum dolorem Deo proponeret, qui ſic reſpondit: dic tuo Confeſſario: poſteaquam in vitæ ſuæ decurſu dedit mihi totum, quod ei dederam impendendo in meo ſervitio vires ac ſanitatem, & nunc etiam dat, quod habet cum toto affectu animæ ſuæ; æquum eſſe, ut & ego jam ipſi dem totum, quod ego ſum & habeo: hoc eſt me ipſum & meum auxilium: & ut ipſius carnem flaccidam & oſſa corrupta aſpiciam talibus oculis, ut cùm tempus advenerit, ſint coram me ſeptuplo ſplendidiora, quàm Sol iſte, futura: hoc ei dic pro ſolatio.

IV. Eidem admirabili Virgini (prout ipſa cum juramento depoſuit An. 1629. die 20. Julij) Christus Dominus repræſentavit Patrem Ludovicum quaſi mortuum, quem accedentes aliqui Angeli ex cœlo, tangendo, fomentando, & calefaciendo ejus pectus, & vultum, fecerunt, ut videretur redire denuò ad Vitam. Aliàs vidit, Beatos illos Spiritus ungentes, & ſanantes ejus genua. Alijs duabus vicibus eum jacentem immobilem in lecto, in magna difficultate reſpirandi, ijdem conſperſerunt quodam liquore cœleſti, ex quo ei redijt vigor; & liberatus eſt ab illa agonia. Unde ſicut vita ejus fuit miraculoſa & cœleſtis, ità & remedia miraculoſa & cœleſtia fuere. Sed & aliàs ipſemet enarravit ſe Angelum ſuum Cuſtodem habuiſſe aliquando conſpicuum.

V. Coram Sacris Judicibus jurato retulit Religiosa Persona aliquoties in oratione visum sibi templum operis admirandi, cum pulcherrimis ex alabastro columnis: quo designabatur (interprete Angelo) Sancta Ecclesia Catholica, fundata super sincera nostra Fide. In hoc multos esse Sanctos illustres, quos Ecclesia publicis colat honoribus; alios verò minùs notos, quos Deus tantisper habeat in sacris thesauris suæ Providentiæ, donec sit tempus eos manifestandi; quos inter etiam sit Ven. P. Ludovicus de Ponte, cujus illustria merita repræsentabat corona cum sex stellis ità fulgentibus, ut totum ab ijs templum illustraretur: quarum unâ significabatur flagrans Amor erga Deum & homines, cum studio succurrendi illis quantum posset in qualibet egestate corporis & animæ. Alterâ summa Innocentia vitæ, quæ magis Angelo videretur convenire, quàm homini mortali. Tertiâ Humilitas, ac profunda demissio. Quartâ studium ac diligentia in Contemplatione rerum divinarum. Quintâ Devotio spirans ac relucens in omnibus ejus actionibus. Sextâ ardens cupiditas amplificandi gloriam Dei. Pendebat verò corona sublimis in aëre, quo Deus indicabat sanctitatem hujus viri, quondam in Ecclesia celebrem & conspicuam fore.

VI. In ijsdem processibus apud Judices, deposuit quædam Religiosa ostensum sibi inter orandum, hortum, quatuor pessulis conclusum, in quo redolebant omnis generis fragrantissimi flores. Intellexit hunc hortum esse Societatem Jesu, quatuor solennibus votis munitam, & hominibus insignibus florentem. Inter eos vidit Lilium candidissimum, cum aureo limbo: quæ erat Patris Ludovici virtutum effigies, virgineam ejus integritatem, gratiâ Dei circumdante. In sex Lilij folijs cernebantur totidem cruces aureæ, eò quòd sua omnia cruce consignâsset, cum Apostolo mortificationem Christi in corpore suo circumferendo. Primâ Cruce signabantur ejus jejunia. Secundâ vigiliæ. Tertiâ flagellationes, ac cilicia. Quartâ compressio cupi-

cupidinum. Quintâ in morbis ac injurijs, ſuíſque rebus omnibus Taciturnitas. Sextâ Patientia & animi ad omne genus morborum præparatio: quæ quidem omnia meritò deſignata ſunt auro.

VII. P. Henricus Lamparter in Vita Ven. P. Ludovici, Lib. 1. c. 9. §. 5. refert Religioſam ex Recollectis S. Auguſtini ſcripſiſſe, ſibi inter orandum exhibitam auream ſcalam novem graduum, quorum tres infimi nigro operti per doctrinam Ludovici piè vivere incipientes ad peccatorum deteſtationem, confeſſionem & pænitentiam ducant: tres medij operti cæruleo, proficientes ad meditationem, communionem, & imitationem CHRISTI promoveant: ſummi tres vario colore ſtrati, jam perfectos elevent ad conjunctionem cum DEO per contemplationem cruciatuum, & gloriæ CHRISTI, & attributorum DEI. In faſtigio ſcalæ libram vidit, cujus una lanx aurea fuit, ex argento altera. Librâ intellexerit ſignificari prudentiam, quâ pondera rerum, omniúmque dictorum examinabat aureâ lance Charitatis, & argenteâ puriſſimæ ſemper intentionis, homines ſemper ad puritatem cordis, & amorem DEI ducendi. Alio die vidit eadem inter orandum viam peramplam, quâ incedebant homines diverſi faſtigij; ſed quia nox erat, & offendicula multa, ſatis periculoſam abſque laterna, quæ relucens in media via ſecurum iter præſtabat. Significabatur autem eâ Liber Ludovici, quem Ducem ſpiritualem inſcripſit, aptiſſimo nomine.

CAPUT VIII.

Aliqua mira circa Ven. P. Ludovicum de Ponte.

I.

IN proceſſu Canonizationis juſſu Clementis IX. authoritate Apoſtolicâ confecto Valliſoleti An. 1672. à tribus Epiſco-

pis sic concluditur: *Quamobrem servum suum Ludovicum à Ponte omnibus & singulis virtutibus fuisse exornatum à CHRISTO Domino nostro, & condecoratum ex superiùs deductis evidentissimè liquet. Cùm honor sit comes virtutis, virtutem heroicam, ac perfectissimam hujus servi DEI etiam in vita, in morte, & post obitum, honor, gloria, fama, & opinio Sanctitatis pluribus tum in vita, tum in morte, tum ipsam secuta miraculorum signis comprobata, comitatur.* Præter miracula in vita patrata; recensentur ibi viginti octo, quæ ad hujus servi sui invocationem, vel reliquiarum ejus attactum DEUS est operatus.

II. An. 1628. pestilente ulcere ad extrema deductus Clemens Fermento, Urbis Vallisoletanæ Gubernator, omni Medicorum arte consumptâ, voto se adstrinxit bonam pecuniæ vim conferendi ad sumptus necessarios obtinendo cultui publico Ludovici, cujus sanctitatem plurimi fecerat. Obtentâ à Rectore Collegij effigie ejus, & cereo albo ad sepulchrum ejus accenso, mox cæpit meliùs habere. Et licet Medici eam emendationem mali non fore constantem crederent; nihilominus sanitatem integram pedetentim adeptus, sospitatori suo Patri Ludovico gratulatus est, qui ei in oratione perseveranti visus est vultu gravi & hilari dicere, se impetrâsse illi, quod abs se petijt, & eo amplius. Abhinc Beati Viri effigiem semper ad latus cordis gestavit.

III. Domina Magdalena de Zisneros per altas præcipites scalas fallente vestigio ruens, opem DEI per merita Ludovici invocavit, stetítque ad finem scalarum erecta, sinè omni læsione corporis, & sinè terrore animi: & quidem in crepidis, quæ inter cadendum exciderant, & inter parietes ad quos necessariò caput erat allisura, si absque tutela cœlesti fuisset.

Maria Marchionissa de los Velez, à viginti annorum fluxu, quo ad periculum vitæ processerat, admotâ religiosè particulâ sacræ vestis, in qua Sacrum fecerat Ludovicus, cui se impensè com-

commendabat, in momento sanata est. Idem sæpius Marchioni ejus Marito graviter laboranti evenit. Idem Antoniæ, Marchionissæ de Villar admotâ cruce, quam gestabat Ludovicus. Idem modis varijs alijs multis sacri & prophani ordinis.

IV. Joanna de Jesu Maria Recollecta S. Augustini Eybare in cœnobio Conceptionis circa 19. ætatis annum religionem ingressa cruciabilem in modum torquebatur scrupulis, ut & se ipsa irrequieta vexaret, & alios Viros graves ac pios, nulli (ut perplexum hoc genus hominum assolet) morem gerendo, nulli habendo fidem. Ea tandem suppliciter cum lachrymis à Ven. P. Ludovico remedium suis malis à Deo impetrari rogavit, multum se ipsam accusando, & deplorando, quod ea non exposuisset viventi. Mox spem sibi divinitus affundi sensit, atque cum consilio Antistitæ suæ Constantiæ à S. Paula, perscripsit Patri Michaëli de S. Romano Præposito Domûs Professæ Societatis Jesu Vallisoleti suas miserias, ei quidquid rescripserit obtemperatura. Et novendiali supplicatione rogavit Ven. P. Ludovicum, ut calamum Præpositi regere velit in salutem suam. Recepit à P. Præposito responsum cum Reliquijs Ven. P. Ludovici: ac simul id legit, ea pace ac serenitate mentis imbuta est, caligine omni detersâ, ut diceret se, si juberetur, octo diebus continuis sacræ mensæ accumbere, sine prævia confessione peccatorum, id absque difficultate facturam. Quoties autem sentiebat morsiunculam scrupuli; solâ relectione responsi illius eam sedabat. Insuper aucta est majori gratiâ, elevata intra breve tempus ad novum altiorem modum orandi: in quo illusionem verita, cùm iterum ad Ven. Patrem pro lumine recurrisset, sensit novâ iterum luce se illustrari, animum à sensibus recolligi, consolatione internâ ex dulcedine divina dilatari adeò, ut verbis ea explicare non posset. Unde in anima ejus enati sunt fructus præclararum virtutum, ut à Viris doctis, & experientissimis approbatum sit, hæc à Spiritu Dei fuisse profecta: quam gra-

gratiam sibi à Deo conciliante Ludovico nulla nova ex parte sua præparatione præmissâ procuratam mirabatur, & grata venerabatur.

Caput IX.

Æstimatio gravissimorum Hominum de Venerabili Patre Ludovico de Ponte.

I.

Omittendo ea, quæ in Processibus pro ejus Canonizatione inveniuntur, seligam hîc aliqua speciminis gratiâ. Pater Franciscus Svarez, Theologus ille celeberrimus, cujus opera per omnes Academias pondus habent gravissimũ, tanti Ven. P. Ludovicum faciebat, ut ipse jam senex itaverit auditum explicationem punctorum Meditationis, quam vesperi pridie Fratribus Coadjutoribus P. Ludovicus proponebat.

II. Henriquez Pimentel, priùs Vallisoletanus, postea Conchensis Episcopus ait, se, cùm audisset Ludovicum esse Virum perdoctum, excellentis & heroicæ virtutis, raræ, ac singularis prudentiæ & consilij, multùm communicâsse cum illo, tam de privatis, quàm de officio pastorali, & obsequio divino, semperque invenisse in eo consilium, & consolationem, qualem promiserat sibi de illius sanctitate, doctrina, & prudentia. Talem etiam habitum fuisse toto Vallisoleto, & ab omnis generis hominibus consultum, tanquam Virum perfectum, & extraordinariæ virtutis, ac peritiæ Magistrum spiritûs.

III. Joannes Hurtadus de Mendoza, Archi-Diaconus de Campo, dixit à se annis 50. cognitum & habitum fuisse Ludovicum, tanquam Virum Apostolicum virtutis perfectæ, & raræ sanctitatis: idémque judicium de illo commune fuisse. Unde etiam ipse magna cum reverentia semper egerit cum eo, nec arbi-

arbitrari ſe majorem Magiſtrum ſpiritûs extitiſſe illis temporibus, aut etiam ullum, in quem tanta ſimul prudentia, humilitas, amor Dei, zelus animarum, & acumen ingenij convenerint; quamvis non deeſſent, qui aliquo decorum iſtorum ei non cederent.

IV. Pater Andreas de Ponte Dominicanus teſtatur eum, tum alibi, tum in Ordine ſuo, ut Virum ſanctum venerationi fuiſſe: plurimóſque Magnates ac Principes ſibi gratulatos, quòd talem Fratrem germanum haberet.

Bartholomæus de Segura Benedictinus, Concionator Regis Catholici, dixit, ſe felicem futurum, ſi mori potuiſſet illo præſente.

Joannes Requeſenius, Marchio de Villar, ſe inter omnes, quos noverat, ſuſpexiſſe capacitatem & ſanctitatem illius.

Antonius de Campo Rotundo, Præſes negotiorum Regis, ſibi ſemper viſam eſſe mirabilem ejus vitam & exemplum.

Joſeph Gonzalez è Conſilio Regis, eum tanquam Virum eximiæ ſanctitatis, ab omnis conditionis hominibus conſultum de ſua ſalute; & hanc de illo opinionem etiam poſt mortem fuiſſe.

V. Mariana de S. Joſepho, Recollectarum Fundatrix, ſcripſit, eum propter continuam attentionem animi ſui in Deo, magnam omnibus, qui agebant cum ipſo, injeciſſe reverentiam, & æſtimationem ſuæ ſanctitatis; propter quod etiam non potuerint à conſvetudine ejus avelli.

Mencia de Padilla, notiſſimæ virtutis, profeſſa eſt, nullis verbis explicari poſſe, quàm ſublimis fuerit ſanctitatis Ludovicus: ſeque à multis audiviſſe, nihil unquam in verbis, aut actionibus ejus deprehenſum, quod non referret clariſſimam virtutem; quia ſemper omnes ad majorem Dei honorem direxerit.

VI. Omitto elogium Domini Petri de Orozco, quo in laudes Ludovici conſumpſit omnia myrothecia eloquentiæ, nimio

mio forſan (ut alicui videri poſſet) erga Patrem ſuum ſpiritualem ſtudio, ſummis eum Sanctis adæquans.

Robertus Cardinalis Bellarminus, Sapientum & Sanctorum Antiſtitum exemplum, aſſiduo libros Ven. P. Ludovici uſu, cum pietatis guſtu, præſertim ultimis annis, verſabat.

Ferdinandus II. Imperator, Principum Chriſtianorum religioſiſſimus, inter ſummas Romani Imperij curas, ità libros Meditationum ejus triverat, ut auditus ſit dicere, ſe illos tenere memoriâ.

P. Mutius Vitelleſcus Societatis Jesu Præpoſitus Generalis, librum P. Ludovici Ducem ſpiritualem, ſuum Ducem nominabat, quòd ipſo plurimùm uteretur, præſertim in annuo ſeceſſu à negotijs & curis regiminis.

Alexander VII. Summus Pontifex multùm legendo ejus *Ducem ſpiritualem*, tam ſublimia de ſpiritu P. Ludovici concepit, ùt ſi Divinæ Majeſtati placuiſſet ei adhuc annum aliquem vitæ concedere, cauſa Beatificationis ejus fuiſſet abſoluta.

VII. Et verò libri ab eo ſcripti ob tam ſublimem doctrinam, quam continent, vel ſoli ſufficiunt ad probandum, quantæ ſanctitatis neceſſe ſit fuiſſe authorem. Certè primi duo Tomi Meditationum in ſex partes diviſi, recepti ſunt cum tanta æſtimatione, ut intra tres annos fuerint quater recuſi; poſtea in omnes quaſi lingvas Europæ translati. Unde & eum multi tanquam Spiritûs Sancti Inſtrumentum videre deſiderabant; adeò, ut cùm Sacer Ordo Seraphicus Capitulum Salmanticæ celebraret, complures Venerandi Religioſi Valliſoletum ad videndum, & honorandum tantum Virum diverterint; quos inter Provincialis Lugdunenſis in Gallia, multùm tam ob longitudinem viæ, quàm ob ſuam ſenectutem fatigatus, venerat ad noſtram Domum Profeſſam quieturus: ſed cùm intellexiſſet non ibi morari Patrem Ludovicum, quem unicè querebat, nullo à religioſâ humanitate obſequio Patrum admiſſo, ſtatim ſe proripuit, aſſe-

afferens, se non posse quiescere, donec vidisset magnum illum Servum Dei. Interrogatus unde illum nôsset, respondit: an forsan non sufficit, ô Patres mei, legisse ejus libros, & vidisse perpetua miracula mutationum vitæ, quæ Deus per illos operatur, atque inde agnoscere illum pro Sancto? Si scripta ejus verba mortua, tales operantur effectus, quid facient benedicti illius oris dicta viva? Et sinè mora se contulit ad Collegium S. Ambrosij, ubi manebat P. Ludovicus, cujus pedes statim flexis genibus, cum singulari tenera devotione osculari voluit, sed Venerabilis Pater eo non admisso, se quoque projecit ad genua, sanctâ humilitate ambo inter se religiosè certantes, ut neuter quidem vicerit, ambo tamen fructum sanctæ victoriæ retulerint. Postea colloquio cum Ven. P. Ludovico religiosè habito recessit plenus solatio adeò, ut testaretur bene impensam esse omnem tam longi itineris fatigationem, quòd invenerit in Venerabili Patre plus etiam virtutis, quàm fama de illo sparserit.

VIII. Anno 1690. die 1. Augusti, Dominus Petrus de Felice Metropolitanæ Ecclesiæ Neapolitanæ Canonicus & Pœnitentiarius major, in sua super meam Dissertationem Parænetico-Apologeticam de Vita & Revelationibus Ven. Virginis Marinæ de Escobar recusam, Censura ad Eminentissimum Cardinalem Pignatelli Archi-Episcopum Neapolitanum, nunc Summum Pontificem Innocentium XII. sic habet: Præsens opus principio equidem necessarium non judico; cùm *satis mihi esset ad ejus propositum demonstrandum sola Ludovici de Ponte authoritas*, & testimonium initio præfixum: Viri scilicet apud Hispanos, imò & universum Christianum Orbem notissimæ Sanctitatis, ac speciali uberrimâque Dei luce perfusi, quantum nunquam satis laudata ejus volumina declarant. Censeo deinde opus hoc valde esse utile, &c.

IX. Ibidem Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Frater Joannes Bonilla Soria Carmelitanus de Observantia,

Arianensis Ecclesiæ Episcopus, Regis Catholici Consiliarius, olim in Provincia sui Ordinis Castellana bis Provincialis, ac Regius Concionator sic scribit: *Si* (ùt docet Cardinalis Turrecremata in Prologo Revelationum S. Brigittæ) *ad discernendas veras Revelationes à falsis, approbatio earundem à gravibus, expertis, sapientibus, ac spiritualibus Viris debet fieri: quanam (quæso) sunt in Ecclesia in hoc genere Revelationum, quæ majori digniorique approbatione præfulgeant? sufficiat unus pro mille, Venerabilis, non solùm mihi: non solùm toti Hispaniæ, verùm etiam toti terrarum Orbi, Pater Ludovicus à Ponte Societatis JESU, cujus beatificationem, jam (sacrâ Sede ordinante) in dies incredibili anxietate ultimæ attenduntur dispositiones. Hic namque tantus Magister, qui non solùm regulis mysticæ Theologiæ instructus, sed absque dubio superno etiam lumine illustratus, Venerabilis Marinæ de Escobar per triginta, & ampliùs annos, confessiones, revelationes, extases, & raptus matura consideratione, attentâque inspectione direxit, quantum prædictæ Virginis Vitam, & revelationes extulerit, nullus, qui primam partem mirabilis illius vitæ lustraverit, ignorare poterit: Et certè, si hujus dignissimam occupationem attendamus, etsi non æquali; armoniosa tamen acclamtione usurpare possemus illud Divi Thomæ circa S. Bonaventuram, vitam Seraphici Francisci scribentem, mirabile procul dubio dictum: sinamus Sanctum pro Sancto laborare. Dum ergo approbationem sapientum spiritualiúmque Virorum, tanquam indispensabilem conditionem ad discernendas veras revelationes à falsis requirimus, quis (omisso Doctissimo Societatis cætu, qui uno ore sat approbavêre has revelationes) Ludovicum vitam Marinæ scribentem inspexerit, aliam requireret approbationem? quasi non sufficeret unum Ludovicum vitæ excellentiâ, & magisterij spiritualis gloriâ præfulgidum, pro tam singulari DEI Ancilla laborâsse.*

CAPUT

CAPUT X.

De Venerabilis Patris Ludovici statu post mortem aliquæ Revelationes.

I.

VEnerabilis Domina Marina de Escobar cum juramento deposuit Vallisoleti, quòd ei Ven. P. Ludovicus apparuerit plenus gloriâ, & dixerit se ab illo momento, in quo obijt, gaudere visione DEI: & discooperto pectore ostenderit Sanctissimum Nomen JESU circumdatum splendidissimis radijs, qui fundebantur præcipuè versùs faciem, ac reliquum corpus lucidissimo Soli simile reddebant.

Pulcherrimum autem est audire illam ipsam loquentem, prout describit P. Andreas Pinto de Ramirez, parte 2. Vitæ ejus libro 1. c. 35. Eâ nocte, quæ Patri Ludovico de Ponte, in hac mortali vitâ fuit extrema, postquam mihi ex Collegio S. Ambrosij Societatis Jesu est significatum, sacro ipsum esse oleo unctum, rogavi meos Dominos Angelos hìc præsentes, ut abirent ad ferendum ei auxilium; quod omnes perlibenter fecerunt, & adfuerunt felici illius morti. Reversi sunt, & horâ circiter primâ à media nocte me duxerunt ad ejusdem cubiculum, in quo sanctum corpus exanime jacebat. Totum cubiculum apparebat simile cœlo, propter multos Angelos DEI, circumdantes corpus. Appropinquavi illi, & non potui videre faciem, quæ erat tecta velo, seu panno bombycino, neque mihi fuit discooperta, nescio quam ob causam. Osculata sum ipsius pedes, & manus, statimque sum reducta domum.

II. Manè visitavit Venerabilem Virginem P. Rector Jacobus de Sosa, & reversus in Collegium statim à P. Francisco Cachupin petijt, quomodo fuerit illâ nocte defuncti Patris Ludovici

vici corpus compositum, à quo intellexit unâ horâ ad noctem omnes discessisse ex illo cubiculo, visúmque illi esse decens, ut facies ejus tegeretur, ac propterea posuisse supra illam strophium ex calice, in quo Ven. P. Ludovicus solebat celebrare, positisque hinc inde duabus candelis accensis ad latera tumbæ, abiisse. Hinc cùm videret omnia correspondere P. Rector, confirmatus est de veritate eorum, quæ à Venerabili Virgine audiverat.

III. Præterea eidem Patri Rectori eadem Venerabilis Virgo Marina eâdem vice retulit sequentia: Optabam rescire statum Animæ Sancti mei Patris, & commendabam illam enixè Deo; atque Divina Majestas quasi dissimulanter mecum agendo, mihi ostendit Purgatorium, ac si diceret: Aspice, an ipsum hîc invenias. Lustravi attentè totum eum locum, & non vidi illum. Postea horâ circiter decimâ matutinâ me Sanctus P. Ludovicus visitavit, alloquendo me, quemadmodum faciebat, dum viveret. Vidi illum valde gloriosum, vultu prorsus vivido, ac tali, ut palàm faceret, se frui DEO. Multùm me est solatus, dolentem ob ipsius obitum, dixítque mihi: Quamvìs jam non degam in vita mortali, nihilominus te non negligam, imò juvabo, instruámque meliùs, cùm obtineam statum, in quo non possum errare. Fui vehementer exhilarata, confortata & repleta solatio. Subitò comparuit in ejusdem pectore Sacrum Nomen JESU lucens ac resplendens instar Solis, cujus radij obtexerant faciem, & ob hanc magnam lucem desijt à me videri.

Comparet mihi quotidie, méque invisit, & mei Sancti Angeli ipsum singulariter honorant, ac venerantur. Dum autem ego id mirarer, dixerunt mihi: Nónne scis illum esse Sanctum Sacerdotem, & Ministrum DEI? Quidam Sanctus Angelus DEI mihi dixit, felicem eam Animam, dum egrederetur è corpore, transivisse penes purgatorium, absque ulla poena, imò cum ingenti gaudio, eò quòd agnosceret gratiam sibi præstitam

à Deo,

à Deo, quâ ab ipso fuerit præservata à tam gravibus cruciatibus.

IV. Eo die quo peragebantur ipsius Exequiæ, agendo in mea oratione cum Deo, dum celebrarentur divina officia, vidi Sanctum Patrem in cœlo, indutum nigrâ veste Societatis, cujus tamen stamen erat aureum: gerebat pileum clericalem in capite, & stolam in collo. Sedebat valde gloriosus & splendidus in sella, super tres quatuórve gradus elevata, coram Beatissima Trinitate, magna cum authoritate,& aspectu gravi,verùm gloriosissimo. Vidi mox multos venientes Beatos ex ejus Ordine (fuerint verò Sacerdotes) omnes ornatos stolis, & binos: singuli ipsum adibant venerabundi, quasi honoris ergo illi inservientes, & gratulantes gratiam à Deo collatam, quos Sanctus magnâ charitate excipiebat, & brachijs collum circumdando amplectebatur. Peractâ hâc sacrâ cæremoniâ Sanctus Pater Ludovicus, & omnes reliqui se coram Sanctissima Trinitate prostraverunt, & Dominus ipsis est impertitus suam Divinam Benedictionem. Omnes assurrexerunt, & P. Ludovicus est reversus ad suam sedem cæteris stantibus. Venerunt interea sex Angeli, & conscensis gradibus utrinque terni incæperunt dulcissimis personare instrumentis concinendo svavissimâ melodiâ laudes DEI, ob exhibitas illi Sanctæ Animæ gratias. Hâc musicâ finitâ rursum se coram Deo prostraverunt, qui ipsis denuò suam sanctam dedit Benedictionem. Eo momento cæpit Pater Ludovicus usque adeò resplendere, ut eum ampliùs non viderim.

V. Deinde mihi comparuit in meo cubiculo, mansítque apud me ultra unam horam, loquens de rebus spiritualibus. Dum illum interrogarem, an ipsi aliquid accesserit gloriæ ex peractis hodie Exequijs; respondit mihi: omnino. Sed ità de se est locutus, sicut vivens consveverat dicendo: mei Patres poterant pro Concione referre magnas gratias, quas à meo Deo acce-

accepi, & dicere me parum ex ijs profecisse: omittere autem meas laudes. Omnia tamen ajebat cedere ad gloriam accidentalem Exequiarum sibi celebratarum in Cœlo.

VI. Eadem Venerabilis Virgo Marina postquam ipse ei apparuit die mortis suæ gloriosus, curavit advocari unum Pictorem, qui in parvula lamina eum depingeret, non macilentum prout erat in vivis, sed vividum & succo plena facie in illo statu naturali, prout eum viderat, dirigendo eum pictorem ipsâ prout illum in imaginatione retinuerat. Res successit ad ejus placitum, ut ipsa magna cum veneratione laminam illam de collo suo pendulam portaverit, donec morti jam propinqua, tanquam pretiosissimum cimelium, reliquit uni suæ nepti Mariæ de Sancto Thoma Recollectæ Augustinianæ Vallisoleti. Hæc Domina ex hoc Conventu postea migravit in principatum Asturiæ fundatura ibi novum monasterium, atque inde iterum in terram Gison ad fundandum alterum, ubi mortua est cum fama sanctitatis, tanquam in schola Sanctæ Magistræ Dominæ Marinæ educata. Dum autem Religiosa hæc Mater transiret per Asturiam hanc ipsam laminellam in memoriam donavit alteri suæ amicæ Hieronymæ de Sanctissima Trinitate, quæ postea fuit multis annis Priorissa in illo Conventu, & mortua est in opinione magnæ virtutis.

VII. Quia autem confitebatur Patri Cachupin, tunc Rectori Collegij S. Ambrosij, cujus erga Venerabilem P. Ludovicum devotissimum noverat affectum, ut & laborem in promovenda causa illius beatificationis, An. 1661. quo dictus P. Franciscus Cachupin, ex Provincia Castiliæ electus Romam ad Generalem Congregationem XI. pergebat, in discessu ei donavit hanc parvulam effigiem pro viatico, quam ille postea usque ad mortis suæ annum 1672. de collo dependulam, nunquam, nisi componens se ad somnum, deponebat ad caput sui lecti magna cum veneratione & osculis, quo modo eam manè ite-

iterum recipiebat. Ultimô vitæ annô paucis ante mortem ſuam menſibus eandem effigiem Patri Thyrſo Gonzalez, nunc Generali Societatis Jesu (multùm pridem deſideranti & fruſtra petenti) tandem Salmanticæ tunc in ea Univerſitate primariam Cathedram obtinenti donavit, quam prædictus Pater Thyrſus tanquam cœleſte munus ſuſcepit; & laminâ argenteâ deauratâ ornavit, in cujus area leguntur ſequentia: *In hac ſimilitudine apparuit glorioſus Venerabilis P. Ludovicus de Ponte, eo ipſo die, quo eſt mortuus, Dominæ Marinæ de Eſcobar, quæ direxit pictorem, ut depingeret ſe præſente hanc imaginem, quam ipſa pendentem de collo novem, quibus ſupervixit, annis portavit.*

Hanc Imaginem An. 1687. ſecum Romam detulit idem R. P. Thyrſus ad Congregationem Generalem XIII. pro Provincia Caſtiliæ miſſus Elector, ubi 6. Julij ipſe creatus eſt totius Societatis Jesu Generalis Præpoſitus, eámque effigiem adhuc cum ſpeciali devotione ſervat.

VIII. Sed & pari devotione conſervat æneum Crucifixum, paulò altiorem uno palmo Romano, in cujus pede deaurato inſcriptum eſt: *Cum hoc Crucifixo piè obijt Ven. P. Ludovicus de Ponte, 16. Februarij Anno 1624.* Crucifixum iſtum tanquam valde pretioſas Reliquias obtinuerat in Collegio S. Ambroſij, ubi Ven. P. Ludovicus fuit mortuus, P. Gabriel de Vega: poſt cujus in Collegio Avilæ mortem fuit apud P. Petrum Teglio; inde devenit ad manus P. Joannis Babiani, ejus condiſcipuli, qui fuit Lector primarius in Univerſitate Salmanticena, à quo donata eſt R. P. Thyrſo Gonzalez, ejus quondam in Philoſophia Scholari, quando is obibat miſſiones Salmanticæ in Quadrageſima An. 1676. qui tanquam donum cœleſte ſecum portavit in omnibus ſuis miſſionibus, Tori, Samoræ, Parentiæ, Hiſpali, Madriti, Valliſoleti, Segoviæ, Civitatis Rodrigo, & alibi donec tandem ſecum eum detuliſſet Romam An. 1687. quem hodieque in ſuo cubiculo cum ſpeciali devotione in memoriam

tanti Viri retinet veneratúrque cultu privato, tanquam unius magni Cælitis, & unius ex majoribus ſpiritûs Magiſtris, quos unquam Deus Eccleſiæ ſuæ conceſſit.

IX. Audierat Ven. Virgo Marina de Eſcobar, cùm informationes de Ludovico ſumerentur, ſe quoque interrogatum iri, ut ea referret ſub religione juramenti, quæ nôrat de illo. Anxia ſuper hac re, quòd arcana ſua nulli, niſi Confeſſario detegere ſoleret, & nunquam cum tremenda Divini Nominis interpoſitione aliquid edixiſſet, ſæpius à Deo petivit exitum ejus perplexitatis, cùm adfuit illi conſpicuus S. Franciſcus Xaverius cum Ludovico & quatuor SS. Angelis. Stetit Xaverius Ludovico ſedente in ſolio, & intuitus Marinam multa cum ſignificatione amoris, omni dubitatione mentis per claræ lucis infuſionem exemptâ, dixit ei diſertis verbis: *In tuo juramento dicas hæc verba: Te omnes Revelationes & Viſiones, quas dixiſti, pro certo habere; quòd totæ ſint à Domino DEO noſtro cum approbatione Confeſſariorum tuorum; & quòd quando erat occaſio loquendi de hoc Venerabili Viro, ſemper audieris admirabiles virtutes, & res magnæ Religionis, Exempli, Spiritûs, & Sapientiæ: ac triginta circiter annis, quibus egiſti cum eo de gubernatione animæ tuæ, & illi confeſſa es, idem fueris experta cum valde magna charitate, ac zelo juvandi animas, devotum & ſanctum ſpiritum, admirabilem & ſanctam doctrinam.* Ad hæc omnia tacente Ludovico dicebat illa intra ſe; Sancte Pater Ludovice, cur nihil dicis ad iſta, quæ audiviſti? cui cogitationi Ludovicus reſpondit ſe contra Divinam Veritatem niti non poſſe. Subintulit S. Xaverius Deum eſſe ſummam Veritatem, quæ nec fallere poteſt, nec falli. Admiranti porrò cur ſtante Apoſtolo Indiarum ſederet Ludovicus? dixit Xaverius: *Scias apud Beatos, Magiſtris Sacræ Theologiæ inſtitutis & illuſtratis à Spiritu Sancto, qualis Pater hic fuit, ſua quoque eſſe inſignia & notas Magiſterij ſui: & quod ſcripſit hic Sanctus Pater, inſpiratum à Spiritu Sancto ſcripſiſſe, & ſic omnibus Chriſtia-*

ſtianis tradidiſſe doctrinam perfectionis. Poſtea cùm docuiſſent eam, quanto in honore oporteat habere Magiſtros ac Miniſtros Doctrinæ cœleſtis, & alia quædam privatim ad Marinam ſpectantia, deſierunt videri.

CAPUT XI.

De Translatione Corporis Venerabilis Patris Ludovici de Ponte.

I.

DOminus Hieronymus de Avelianeda & Manriche Conſiliarius Regis Hiſpaniarum, & Domina Catharina de Valle ejus Conjunx, cupiebant Venerabilis P. Ludovici corpus honorificentiùs ſepeliri, quibus P. Michaël de Oregna Rector Collegij S. Ambroſij gratificaturus, ut ſecuriùs procederet, acceſſit Ven. Virginem Marinam de Eſcobar, rogando, ut ipſa à DEO impetraret divinum Lumen, & directionem pro negotio hoc opportunè peragendo. Divina Majeſtas revelavit Venerabili Virgini ſtatum, in quo tunc inveniretur ſacrum illud corpus, quæ Patri Rectori ſic retulit: hâc nocte portârunt me ſancti mei Angeli ad templum S. Ambroſij, & oſtenderunt mihi corpus ſancti Patris Ludovici de Ponte, quod ego venerata ſum, tanquam corpus unius Sancti. Interrogavit illam Pater Rector, qualiter corpus eſſet conſtitutum; cui ipſa reſpondit, nec eſſe prorſus integrum, neque omnino corruptum, ſed cæpiſſe corrumpi, itâ ut poſſit dignoſci facies, & caput retineat ſuos crines, & barba ſuos pilos. Præter hæc alia quoque diſtinctiſſima protulit indicia eorum, quæ viderat.

II. His acceptis P. Rector dimiſſis unâ die poſt meridiem omnibus Profeſſoribus & Scholaſticis recreationis causâ ad hortum, occluſit ſe cum ſolis Fratribus Coadiutoribus in tem-

plo, jussitque aperiri terram & tumbam, repertúmque est corpus, eam penitus referre speciem, & habere signa, nè unico quidem discrepante, prout Ven. Virgo dixerat. Statim de his certiorem fecit Dominum Hieronymum, qui accurrit veneratus sacrum Depositum, quod nullum causabat horrorem, nec ullum spirabat fœtorem, quin potiùs exhalabat gratum quendam odorem, & afflabat teneram quandam devotionem.

III. Advocati sunt tres nominatiores Medici, ad legitimum testimonium formandum, qui adverterunt quiddam speciale; nempè cùm sacrum corpus partim jam esset corruptum, partim corrumpi inciperet, remanserit tamen cerebrum integrum, quasi Deus vellet illam partem capitis esse corruptionis expertem, in qua Venerabilis iste Pater formabat præclariores suos conceptus altæ suæ doctrinæ; quæ etiam inter assiduos gravissimos aliorum morborum dolores, remanebat semper libera & vegeta, ad universale obsequium animarum: sicut conservavit incorruptam lingvam S. Antonij de Padua, & dexteram manum S. Stephani Regis Ungariæ, utpotè instrumenta, quibus hi Sancti DEUM glorificaverunt: ille prædicando peccatoribus, iste succurrendo pauperibus.

IV. Cùm autem jam Annus integer & septem menses à morte ejus usque ad hanc ejus translationem effluxissent, sepultúsque fuerit sinè ullo præservativo atque intra tumbam penetraverit multum de terra humida, per quam putrefacta jam fuerant ejus vestimenta sacerdotalia, & tamen nè minimum malum odorem spiraret, testati sunt uniformiter tres illi Medici, hoc vires naturæ superare: in qua fœtor inseparabiliter comitatur putrefactionem.

V. Cùm autem eodem tempore fierent informationes de ejusdem Venerabilis Patris virtutibus, & miraculis, voluit Dominus Lopez Gallus Episcopus Vallisoletanus (cujus authoritate incæperat prædicta Informatio) videre proprijs oculis hæc

nova

nova mirabilia. Unde comitatus Ferdinando Bastida Canonico Theologo Ecclesiæ Cathedralis, & Petro de Duero Equite S. Jacobi, venit ad Collegium S. Ambrosij, & præsentibus multis tam Religiosis, quàm Sæcularibus, discooperto sacro corpore intuitus est ea, quæ diximus, Deúmque laudavit pro hac Gloria, quâ dignatus est hunc suum fidelissimum Servum exaltare. Voluit præterea, ut hæc omnia, cum omnibus circumstantijs exactè annotarentur fide authenticâ per manus unius Notarij Apostolici: & sic desiderio suo satisfecit, veneratus hunc magnum & sanctum Virum.

VI. Translatum & depositum est corpus in fronte Presbyterij, seu Chori ad latus Evangelij, ubi exhibebantur signa piæ gratitudinis à plurimis testantibus, se per intercessionem hujus Servi DEI Gratias cœlestes acquisivisse: adeóque ibi faciebant novenas, offerebant vota, accendebant cereos, volebántque lampadem perpetuam ad sepulchrum ejus fundare; sed Societas omni modo restitit, nè vel unica publici cultûs demonstratio fieret, nè contrairet Decreto Summi Pontificis Urbani VIII.



PARS SECUNDA.
Prudentia, Discretio spirituum, & alia ad Magisterium spiritûs spectantia, Ven. P. Ludovici De Ponte.

Etsi ea, quæ priori Parte hujus Tractatûs allata sunt, ostendant eminentem Venerabilis P. Ludovici sanctitatem; quia tamen non omnes Sancti habere solent in æquali, quoad externos effectus, gradu dona omnia Spiritûs Sancti, neque omnes sunt Doctores Ecclesiæ, nec omnes apti gubernare Ecclesias, nec omnes Apostolico Spiritu idonei erudire populos, nec omnes Magisterio ascetico, & Discretione spiritûs illustres; ut propterea non eo ipso, quòd Vir quispiam sit sanctissimus, capax sit Summus esse Ecclesiæ Pontifex, aut Animarum Rector, Instructor, Consiliarius, nec qui est sanctior, sit eo ipso etiam prudentior: prout S. Theresia dicebat plus prodesse Confessarium prudentem, quàm minùs prudentem, etsi sanctiorem: ideo oportet ostendere Ven. Patrem Ludovicum non minùs prudentiâ, & scientiâ asceticâ, & Magisterio spiritûs, quàm sanctitate eminuisse: id quod quidem videtur facile, cùm jam per universum Orbem Christianum, Magister spiritûs audiat, & communi judicio ipse asceticæ scientiæ lumen habeatur. Hinc ergo jam patebit, & quantâ ipse prudentiâ Revelationes Ven. Virginis Marinæ approbaverit, & quantam necesse sit apud omnes historiam vitæ hujus magnæ Virginis, ab ejus approbatione habere authoritatem.

CAPUT

CAPUT I.

Prudentia Venerabilis Patris Ludovici de Ponte.

I.

VIrtutum choragus est Prudentia, quam in Ludovico singularem & altiorem communi fuisse planè necesse est, quia sinè luce majori, solùm juxta ordinariam rationem ac legem, sinè temeritate ea assumere, quæ egit, non potuisset; prout ipsi quandoque Medici confessi sunt, illius vitæ modum artis suæ præcepta transcendere. Sed nihil est novi humanam prudentiam non assequi illa, quæ magni Servi DEI, quandoque DEO inspirante fecère. Atque ità quidem suas actiones instituit. Quando autem Magistratum gerebat, rexit alios mirâ cum tranquillitate, cum temperatione vigoris & lenitatis, vix unquam conspectus extra templum, aut suum cubiculum: ostendens, etiam non anxiè cursitando, posse res gubernari.

II. Subditis singulari dexteritate præcludebat omnes aditus dissolutionis, & negligentiæ: interdum satis habebat eis indicâsse, suos eum defectus non latere. De divinis rebus ità cum eis agebat, ut svavi teneritate ferrentur in illas. Reprehensiones melle amoris spargebat: neque tamen abstinebat à castigatione publica, quæ non contumeliæ sontibus, sed reliquis disciplinæ foret: interdum dissimulabat, donec productione temporis opportunior, & fructuosior esset. Ità si quid in ægritudine minùs religiosè ab aliquo designatum foret, non nisi valetudine restitutâ correxit.

III. Nec minùs prudenter externos ad perfectionem direxit, eos præcipuè ad infimam humilitatem, & solidarum virtutum exercitia cohortando: cum hac admonitionē præcipuè, ut ubi, quæ agebantur in cordibus eorum, modestè proposita Moderatori suo fuissent, audito ejus consilio nulli alteri facilè patefa-

face-

facerent: quia multo usu cognoverat, si ea, quæ in templis mentium recondita sunt, deferantur ad diversos Magistros, hostem animarum ansam accipere, vel miserè circumactos torquendi, per diversa diversorum consilia, vel adorandi vanæ choragium gloriæ, vel denique obliquis tramitibus abducendi à recta semita veræ virtutis. Id quod multis testata est sæpe laudata Mariana Fundatrix Recollectarum Augustinianarum, cui dixit Ludovicus: posteaquam sciat, quid agendum sibi sit quocunque suo tempore, sereno, & nubilo, nimirum ut intenta mortificationi & abnegationi propriæ, quærat semper in omnibus voluntatem DEI; non esse cur multùm, aut multos consulat, nisi clarissimè videat, hoc DEO placere, ut faciat. Et expertæ sunt plures, quas DEUS extraordinariâ viâ ducebat, magna sibi allata incommoda, quòd sua apud alios non presserint silentio: quod ubi de consilio Ludovici fecerunt, pacata illis continuò fuerunt omnia.

IV. Nec intra spiritualium rerum cancellos constitit Ludovici prudentia, sed nonnulli Principes viri, omnia sua negotia gerebant ex ejus consilio: quod etsi nonnunquam videretur minùs apposité datum, optimum tamen fuisse, felix probabat exitus rerum. Certè consultus de nuptijs Serenissimæ Mariæ jam penè confectis cum Principe Carolo postea Rege Angliæ, adduci non potuit, re DEO commendatâ, ut eas probaret, validis argumentis oppugnans, quibus relatis ad consilium Statûs, rescissæ sunt; & Regina præservata à calamitate Mariti, qui instar malefici, Europâ stupente, securi subjectus est: ac feliciùs nupta Imperatori Ferdinando III.

V. Æqui rectique tam erat pertinax, ut nullius unquam personâ sineret ab eo se dimoveri. Quo factum est, ut quondam etiam Rectori obstiterit, qui cuidam Juveni alioqui satis egregio, honorem publicæ Disputationis è Philosophia decreverat, præteritis alijs eo dignioribus.

CAPUT

CAPUT II.

Rerum cœlestium infusa contemplatio.

I.

DIvina contemplandi duplex est genus; unum fit humanâ institutione & industriâ; alterum excedit omne magisterium, & studium hominis etiam gratiâ divinâ prædi-ti. Ad illud expedit omnes eniti; sed istud nemo præsumere debet, nisi speciatim invitatus à DEO. Quæ de ista sublimi contemplatione ab eo tradita sunt in Duce spirituali, ex proprio ejus usu scripta fuisse censuerunt omnes, qui perspexerant ejus animi penetralia.

II. Certè edixerat se in illo opere minùs, quàm in alijs fuisse fatigatum. Quod cùm miraretur, eò quòd liber ille præ reliquis esset in æstimatione, respondit: *Quando librum illum composui, jam sciebam id, quod scripsi.* Nempe jam horum omnium experientiam acquisiverat. Patri Martino Delrio commissa erat revisio illius libri, & contigit, ut eunti ad villam tres quaterniones, quos secum ad ibi legendum acceperat, exciderint, nec recuperari potuerint, ut necesse habuerit recurrere ad Authorem Patrem Ludovicum, qui sereno vultu ei dixit: *Doleo me non habere aliud originale: nihilominus det mihi Reverentia Vestra reliquos quaterniones, ut perditos reparem.* Post paucos dies restituit illi reparatos integros, quos deprehendit Pater Delrio non solùm quoad doctrinam, verùm etiam propè quoad ipsa verba esse deperditis penitus conformes: id quod ei miraculi species videbatur.

Duodecimo anno ætatis suæ à DEO ad familiaritatem suam invitatus, quotidie magìs magísque in ea progressus, ad ultimum summæ contemplationis culmen pervenit. Multa huc pertinentia habentur manu ejus propriâ descripta in ejus senti-

mentis sæpius typo excusis, ex quibus luculenter apparet; quàm fuerit luce divinâ repletus, ut sinè longo multæ considerationis negotio per simplicem Divinorum intelligentiam, subitò liquesceret voluptate cœlesti. Vidit hoc Joannes Hurtadus de Mendoza Archidiaconus Medinæ Campi: is, ùt erat percupidus sui profectûs, cùm interrogâsset eum, quomodo essent in Oratione colloquia serenda cum DEO: ille studio juvandi Discipulum rerum harum capacem, opere ipso ostendit ei, quod petijt. Nam oculis in cœlum elevatis cæpit cum DEO colloqui magnâ cum animi teneritudine; ac non post multa, cùm pallidus esset, ac macer, totus inflammatus ac venustus, manare cæpit lacrymis, & ferventissimis verbis, cum significatione profundæ humilitatis, timoris DEI, diffidentiæ sui, confidentiæ in DEO (affectibus congruis rei, quâ deegerant) summi sui in DEUM amoris contestationem facere.

III. Tametsi tota ferè vita Ludovici quædam vel ordinaria, vel divinior illa contemplatio fuerit, DEO modò supernaturale lumen coruscum, & breve, modò diuturnum meditationibus ejus interfundente: maximè tamen horis nocturnis in illam incubuit, non raró totas in ea consumens. Manebat verò immotus, instar statuæ comprimendo suos affectus, suspiria & singultus in pectore: nisi cum alijs dormientibus, sinè arbitris putaret se esse; tunc enim dimissis habenis sinebat eos prorumpere, maxima cum animi dulcedine.

IV. Postremis annis, cùm se divino instinctu addixisset scriptioni librorum, tempus contemplationis nocturnæ non nihil contraxit. Nam horâ decimâ decumbens quievit ferè usq; ad duodecimam. Postea tribus horis operi suo datis, reliquas tres quatuórve orando ante Sacrum consumpsit; nisi charitas cogeret eum alicujus necessitati succurrere, tunc enim DEUM DEI causâ relinquendum censebat; memor ejus quod dictum est: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

stis. Cùm autem, ùt sæpe contigit, vim interni ardoris non ampliùs ferret, sinè periculo vitæ, conferebat se in secretiorem partem horti; ibi oculis ac manibus elevatis in cœlum, velut emicante illuc animo, cum altis vocibus, quasi dimotus à statu mentis, faciebat gressus incitatos.

V. Sæpe quidem sic abripiebatur, ut quæ circa se fiebant, aut cum quis ad eum ingrediebatur, non animadverteret. Contigit in platea Vallisoleti, ut ob furentis Tauri incursionem à Socio, & à P. Francisco de S. Vincentio, brachijs abriperetur in proximam domum, ac nihilominus & ibi unà cum Socio in cumulum prosterneretur, donec bestia aliò averteretur ab accurrentibus, qui Patrem Ludovicum quidem viderunt immotum in terra, totum tamen quietum, quasi procul omni periculo fuisset. Mox erectus in pedes iter suum nec dicto verbo prosecutus est. Die sequenti visitatus à Patre de S. Vincentio condolente de hesterno incommodo, respondit ingenuè, se nullius recordari: id quod etiam Socio suo Coadjutori responderat. Ex quo adversum est eum tunc, more solito, ità fuisse recollectum ad DEUM, ut nec tumultu populi, nec periculo vitæ, nec turbatione suorum Sociorum potuerit abstrahi à sanctis suis cogitationibus.

CAPUT III.

Donum Prophetiæ, & cognitio secretorum cordium.

I.

HIeronymo de Tobar Novitio suo Villagarciæ prædixit Ludovicus, eodem in Collegio post multos annos moriturum. Multis post annis in Collegio Montis Regalis tam gravi morbo laboravit, ut à Medicis haberetur pro deposito. Dixit ejusdem sententiæ se futurum, nisi à Ludovico dudum audivisset, Villagarciæ se mortem oppetiturum. Ergo præ-

præter ſpem convaluit, ac demum Villagarciam miſſus Anno 1644. ibi eſt mortuus, vigeſimo poſteaquam id ei Ludovicus prædixerat.

Procerum quiſpiam Ludovico narrabat, ſummo ſe nuper in periculo vitæ fuiſſe ab equo: monuit ille, eſſe quod alterum infortunium ab eo caveat. Non fuit vana monitio, nam alio tempore, dum equum ferventiùs urget, excuſſus, obtritus, ſinè remedio mortem occubuit.

II. Offenderat quiſpiam alium hominem primarium, à cujus ira & inſidijs ut ſe tueretur, ipſe cum ſuis omnibus armatus inceſſit. Pater ejus, metuens malorum, rogavit Ludovicum, ſuæ authoritatis, ac precum interpoſitione, filio ſecuritatem conciliare dignetur. Hic jubet eum ponere metum & arma, quia nihil ab inimico ſit oriturum incommodi. Ipſe tametſi non ignoraret, ſe quæri ad necem, confiſus tamen ſanctitati & verbo Ludovici, arma depoſuit in ejus præſentia: neque inimicus amplius ei ſtruxit inſidias, nullâ etiam injuriæ deprecatione, aut ſatisfactione petitâ.

Cùm Ludovicus morti proximus vidiſſet adſtantem Lopez de Angulo, dixit ſe brevì ſimul in cœlo futuros. Mortuo ipſo venenatum vulnus invaſit Lopium: quem ut Rector ſervaret, commendavit precibus Marinæ de Eſcobar, quæ retulit adfuiſſe ſibi Ven. P. Ludovicum, jubentem abſtinere his precibus, quòd ipſe animam ægroti DEO ſiſtere debeat: atque hoc brevì futurum, quod etiam factum eſſe ſperatur, quandoquidem ille paulò pòſt extinctus eſt.

III. Didacus Gomez Sandoval Ducis de Lerma filius, cùm ad P. Ludovicum de quibuſdam rebus conſcientiæ ſuæ conſulturus veniſſet, antequam earum ullam proponeret, de ſingulis ei dixit Ludovicus, quid eſſet agendum, aut non agendum; acſi eas in corde ſuo ſcriptas legiſſet. Idem Duci de Benavente contigit: qui cùm de re magni momenti acturus eſſet, ad portam

Col-

Collegij à Ludovico se præstolante, totius negotij sui resolutionem, cum admiratione accepit, antequam id ei proponeret. Sic & Ludovico de Valdivia venienti ad se, ut quædam sui cordis arcana conferret, nullo dum eorum aperto, omnem dubitationem expedivit, excusans quòd ei plus temporis tunc per occupationem dare non posset.

IV. Annæ Mariæ de Incarnatione Recollectæ aperuit tentationem, quæ in ejus corde, dum secum ageret, oborta, & ab ipsa necdum exposita fuerat. Alteri ex eodem Ordine secum agenti svaviter dixit, insignem errorem, quem eo die in officio divino commiserat. Medico Zevallos, & Petro de Duero Equiti S. Jacobi, sæpè distinctè clarèque exposuit, & enucleavit ea, quæ in corde suo perplexim posita non potuerant enunciare. Marinam de Escobar per Epistolam jussit esse securam, quòd è lecto rectà ad Cœlum evolatura sit: quòd, apparens ei Petrus de Leon, primus ejus Confessarius, dixit Ludovicum ex revelatione divina scripsisse: quod quidem nec in dubium revocare sinit, tum Ludovici in asserendo summa circumspectio, cùm ipsius Marinæ sanctitas nota & multis testata miraculis.

V. Novitium quendam Villagarciæ miserè vexabant scrupulosæ formidines: cui dixit Ludovicus, Diabolum id agere, ut ipsum præcipitet in tædium rerum spiritualium, ac demum in contemtum, ac desperationis voraginem. Postea cùm animi causâ cum Jacobo de Miranda (qui tum Gramaticam docebat) circa ædes Novitiorum ambularet Ludovicus, derepente aperto cubiculo illius, vidit eum ex impatientia humi abjicere, quidquid habuit librorum spiritualium, & viden', inquit, hoc agere diabolum per scrupulos, ut te adigat ad impatientiam? & mox iterum clausâ januâ spatiari perrexit.

VI. Alfonsum Vasquez item Novitium, qui postea magnæ virtutis & doctrinæ Vir fuit, mortuus An. 1649. importuna solicitudo de rebus, quæ gerebantur in ejus Patria, pæne ad con-

filium pœnitendum adduxerat. Obambulanti ante suum cubiculum, occurrit Ludovicus, &, nè te discruciet, inquit, charissime, id quod cogitas: omnia jam feliciter peracta sunt: nominando simul, qui & quomodo egerint. Et cum dicto sic abstersa fuit illius menti tota illa vexatio, ut ipse scripto testatum reliquerit, nunquam se ampliùs illâ curâ fuisse pulsatum. Alius Novitius ejusdem nominis, Avilæ, postea defunctus An. 1627. cùm in summo, nescio cujus, internæ molestiæ conflictu esset, occurrens ei Ludovicus unam, alteramve rationem dixit, quâ penitus eversa omnia, quibus affligebatur, pax ac tranquillitas animi plena est reddita; multùm admiranti, quomodo patefacta essent Ludovico, quæ intimis animi finibus clausa tenuerat.

VII. Alium Novitium Ludovicus jusserat continere se in certo cubiculo, quòd eum diabolus ità exagitaret interdum, ut videretur actus in furias. Quâdam die cùm ex vicino quodam loco domum revenisset, rectà, nondum depositis calcaribus, properavit ad ejus cubiculum, reperitque jam explorantem cultro gulam: & cum diabolo, vetere homicida, pepulit ab eo præsens exitium.

A liberalibus Procurator nescio quid epuli delicatioris sibi missum acceperat, & clàm cum aliquibus absumebat. Supervenit ex improviso Ludovicus, & apertâ sinè pulsu januâ dixit hæc pauca: *Quomodo hæc fiunt? & absque venia?* statimque abivit: agnoscentibus illis, hanc ipsi notitiam esse ab alto, cùm id agerent occultissimè, nullo hominum conscio. Ex quo factum est, ut nemo deinceps licenter aliquid faceret, sinè concessione ipsius, quod viderent ei omnia divinitus innotescere.

CAPUT

CAPUT IV.

Revelationes Ven. Patris Ludovici.

I.

REfert ipsemet Pater Ludovicus (etsi nomine tacito) visum ad directionem conscientiarum multum faciens, de homine desidis animi, qui torporem cupiebat excutere, ac DEUM intra se invenire. Hic sibi visus est constitutus in templo, in quo sacellum erat, altum & illustre, cum tribus Altaribus pari distantiâ sejunctis. In Tholo templi DEUS Pater cernebatur, manibus faciem protegens à pulveribus & molesto fumo, quibus infestabantur altaria. Templum, quà cerni poterat, auri ditissimum fuit; nam pulveribus ac telis aranearum sic erat obductum, ut videri totum non posset. Altaria ornabat pretiosissima tela, sed rugosa, putida, & quæ à sordibus purgari abnueret. Pallia videbantur alba quondam fuisse; nam corrugata, convoluta, rancido aspectu fuere; supra quæ reptabant, saltabant omne genus animalcula fæda, glires, ranæ, scorpiones, bufones, araneæ, quæ suas ibi faciebant spurcitias, non sinè horrore magno. Pariebant hæc illi magnum dolorem, & optabat purgari templum, ut ibi fieret Sacrum; sed non apparebat, ubi sumendum esset purgandi initium. Tandem statuit pannis detergere pulveres è parietibus, etsi non absque timore, nè suffocaretur in illis. Hactenus visum, quod ei postea declaratum est à DEO, animam templo designari, altaribus memoriam, intellectum, voluntatem: ornatum pretiosum ac malè curatum esse virtutes hominis tepidi, quæ tametsi præstantes, defectibus, langvoribus, noxis venialibus ità fædantur, ut oculos aspicientis avertant, ac DEI nares tetro odore conspurcent. Eum, qui templum purgare conatur, esse hominem torpidum, qui per pia desideria, divinitus inspirata, cupiat veternum excutere,

tere, & abstergere sordes, aspersas à bestiolis veneniferis, præparantibus ad crimina sontica, & letalia. Prodesse tamen, ut aliquod saltèm conscientiæ purificatione lustrandi fiat initium.

II. Alio tempore cùm indoleret suæ inopiæ: memor illorum verborum: *Pulsate, & aperietur vobis*; visus est sibi ante portas magnifici palatij positus in maximo timore, tum propter sævissimam tempestatem, pluvias, grandines, ac tonitrua, ut appareret cœlum ruiturum; cùm propter accurrentes innumeras feras, leones, ursos, uros, qui ipsi oculis designato jam imminerent. Hic ille magnis vocibus à DEO, præ cujus foribus erat, orare misericordiam, ut ingredi posset, antequam periret ab his bestijs, sanctè pollicitus, nunquam se amplius inde recessurum, neque processurum ulterius ad visendos amicos; quia nôrit eorum consortio se dignum non esse. Postea per ostiolum intromissum, vidisse quidem Regiam, peramplam, ac superbam, quò plurimi commeabant: se verò metuentem, nè ab aliquo illorum juberetur, facessere, statim, firmeque stetisse ad portam. Quo condocefactus est, quantum præsidij sit ad januas divinæ misericordiæ; à quibus non temerè est recedendum, præsumendô majores favores, & aditus ad partes penetrales divini palatij.

III. Metum, à conscientia peccatorum incussum, hoc ei modo ostensum est levari. Videbatur sibi in patente campo, flexis genibus, & junctis manibus, in summo pavore positus ante tribunal DEI: quem innumerabilis multitudo inimicorum hominum, varijs armis instructorum, petebat à judice sibi tradi ad necem; jámque strictis armis exspectabant judicis nutum, cùm ipse ad Judicem: *Jam*, inquit, *video Domine*; quia multarum simul rerum intelligentiam acceperat, omnes hoc verbo complexus. Jam video, scilicet, quæ & quanta in te peccaverim: quæ & quanta pro illis merear: video causas, cur hi trucidare me velint: video te hoc eis non permittere: te omnia posse

mihi

mihi condonare: te nôſſe, quod me admiſſorum pœniteat, ac firmiter ſtet mihi te non amplius offendere. Video etiam à te mihi dari hunc dolorem ac propoſitum: à te in eo confirmari me poſſe, per infinitam miſericordiam tuam: quæ ſi mihi denegetur, non potero te laudare in æternum. Atque his dictis, toto pectore tremens reſtitutus eſt ſibi.

IV. Cùm in oratione atrociter dimicâſſet cum importuniſſimis cogitationibus, vanis, ambitioſis, curioſis, inhoneſtis, & alijs; nihilque profeciſſet, inflammatus dixit: Quando ergo neque Majeſtatem Divinam, cujus in obſequio verſor; neque minas & ſupplicia reveremini: agite, adeſte quotquot in mundo eſtis, & unà mecum adorate DEUM, ac Dominum noſtrum; dignus eſt omni honore, cultúque. Ergo venite, procidamus ante eum, & venerabundi laudemus eum pſalmis & hymnis, confitendo gloriam, & magnam potentiam ejus: venite, humiliemus nos coram ipſo, & cantemus; quoniam ipſe eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium; & omnes fines terræ ſunt in manu ejus. Quo dicto ſubitò poſuerunt omnes hi venti, turbines, & ipſe vidit in lato campo multitudinem Maurorum afflictorum humi; & alios quidem capite, alios brachijs truncatos, alios fractis cruribus, alios vinctos catenis. Cernebatur eques quidam in veſtibus candidiſſimis, galeâ apertâ, ore candido & rubicundo coloris veri clarique, collucens cum ſtricto gladio; quo fecit hanc ſtragem in Mauris, nec pauciores calcibus equi videbatur obtriviſſe: ac poſtea nulla fuit amplius à cogitationibus illis oranti moleſtia. Id quod omnibus in ſimili conflictu, documento ac ſolatio ſit. Optima diſtractiones mentis vincendi ratio, ſi in materiam laudis divinæ vertantur; ut ſcorpius contritus in vulnere medicina ſit.

V. Ad ſequenda CHRISTI veſtigia ſic eſt incitatus. Videbatur ſibi vocari ad portam: cúmque proſpiceret, quis ſe vocaret, deprehendit eſſe CHRISTUM. Ergo curriculo deſcendit, ut

S ape-

aperiret: sed eo non amplius reperto, plorans procurrit in plateas, viditque eum jam ad octoginta passus progressum: properè secutus est, clamans ut eum posset assequi. Conversus ad eum CHRISTUS magna cum svavitate oris dixit: Nè te conficias, assequeris me, quia lentè incedo. Animatus hoc dicto incitatiùs cucurrit, donec eum assecutus, procidit ad pedes ejus, quos apprehendens dixit: Bonum meum, ac Dominus meus, teneo te, nec dimittam te: accipe me tecum, quò vadis. Vide, sis: non poteris mecum ire; quia procul eo, & via valde est aspera. Respondit ille: Domine mi, quæ potest esse difficultas in via, quantumvis aspera, si tecum eam? Atque ità verè sensit in animo: & mox uno pede dimisso, alterum brachijs decussatis amplexatus est, ut stringeret fortiùs, ac dixit: Jam Domine vade, quò lubet: quia si non declines à me, nihil me fatigabit, nec labor, aut asperitas ulla viæ gravabit. Et mox vidit profundissimas valles, aquis plenas, & alta, aspera, & petrosa juga, quæ superanda erant. Cùm alia via non esset; quâ cum incederet CHRISTUS, cujus vestigia sequi decreverat, ægerrimè pedes sangvine manantes trahebat: neque tamen deficiebat animo, iter hoc præ omnibus divitijs & voluptatibus habens, neque cogitans de reditu, unde exiverat. Quin etiam subinde hortabatur CHRISTUM, pergeret modò nec se relinqueret, aut ullam suæ molestiæ rationem habere vellet; malle enim se lacerari dolore quocunque, licet intolerabili, quàm ipsum dimittere. Atque hoc dixit ex animi sententia, quia non tantum mali sit in omnibus simul, quæ in mundo esse possint, ærumnis; quantum boni in eo, si CHRISTUM habeat secum.

VI. Similis huic fuit altera visio, quâ dum post sacrificium versaretur in ponderatione tanti mysteri, visus est sibi constitutus coram DEO Patre: qui tres haberet apothecas, maximis bonis refertas, in quarum prima sint omnes divitiæ totius mundi, in altera bona Beatorum & Angelorum, apud quos reside-

ſidebat ipſa Divina Majeſtas Patris æterni: tertia apparebat obſcura, ac triſtis aſpectu, cum feneſtra clathrata, quaſi ſi carcer eſſet. In ea CHRISTUS erat veluti captivus, qui detectâ facie mæſtâ, magno cum ſenſu amoris rogare videbatur, ſecum ut maneat. Ad quæ ipſe ſubitò exardeſcens, dixit Patri æterno, cùm ſibi detur optio eligendi ex his bonis, quæ vellet, terrenarum ſe quidem opum nihil expetere, ut quas jam olim reliquerit atque calcaverit; ſed neque cœleſtes cupere, niſi ad eas ducatur eodem calle, quo CHRISTUS inceſſit: ſibi certum eſſe, nec latum ungvem ab illo unquam recedere, quocunque ſuo diſpendio. Atque tunc ei viſum eſt, etiamſi neceſſarium eſſet ire per omnes ærumnas mundi, & ipſius orci tormenta id expetendum fore, ut poſſit jungi & eſſe cum CHRISTO: qui quidem ſenſus maximorum ſemper Sanctorum fuit.

VII. Quàm ſint autem perpeſſiones, ac mors CHRISTI, in mœroribus noſtris & animi abjectione præſens remedium, ſequente viſu docemur. In gravi quondam afflictione mentis, mœrore ac diffidentiâ, per variorum operum benignitatis CHRISTI recordationem, fuerat ſe conatus erigere: ſed nullo fructu, donec voce internâ juſſus eſt ſe conferre ad littus altiſſimi maris, è quo innumerabiles amnes miſericordiæ copioſiſſimè promanabat. Oblata eſt igitur ei primùm ſemita lata, minimè obſcura: ad cujus finem CHRISTUM in cruce etiamnum ſpirantem conſpexit, cui adſtabat Virgo Mater cum alijs amicis, viris ac mulieribus. Ad quem cùm feſtinâſſet cupientiſſimè crucem circumplexus deſideravit ſangvinem è ſacris pedibus, totóque corpore manantem excipere ſuo capite: quod etiam flagitavit lamentabili voce, & verbis tenerrimis. Cùm juſſus eſt auſcultare, quid Magiſter divinus doceat è ſuggeſtu crucis: ac paulò pòſt audivit hæc verba: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* E quibus intellexit miſericordiam DEI ſibi non claudi, cùm CHRISTUS etiam ſuis carnificibus veniam oret ac

ſperet. Cæpit ergo reſpirare non nihil. Tum audivit latroni dici: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Quo magis erectus eſt videns aperiri jam fructum paſſionis CHRISTI, in qua ſita ſit tota ſua felicitas. Secuta eſt altera vox ad Matrem: *Mulier ecce Filius tuus*; & ad dilectum ſibi Diſcipulum: *Ecce Mater tua*; quo vidit quidquid impetratum velit, per hanc ſibi Matrem conficiendum. Poſt illa audivit dicentem: *DEUS meus, utquid dereliquiſti me?* & mox: *Sitio:* quæ in ſuum favorem dicta cognovit, hoc ſenſu: Pater æterne, cùm pro honore ac reverentia tuæ Majeſtatis ad hunc articulum rerum mearum devenerim, in quo ſum deſertus ab omnibus conſolare hunc miſerum, cujus ego ſalutem ſitienter deſidero. Sexto verbo: *Conſummatum eſt*; quaſi diceret: peregi, quod mihi mandâſti: ſupereſt, ut etiam tu mihi largiaris, quod peto pro iſto, ſublata eſt ab eo omnis diffidentia. Poſtremo verbo: *In manus tuas commendo ſpiritum meum;* didicit, quid ſibi deinceps agendum ſit: nimirum ut ferat fortiter, & conſtanter quidquid erit pati, ſeque manibus DEI commendet, atque concredat. Et ſubitò deſijt totum illud ſpectaculum, ipſeque tantis lætitijs repletus eſt, ut non amplius caperet. Porrò ex his, plurimiſque alijs, quæ annotata non ſunt, videre eſt, quàm facilè potuerit integras noctes in contemplatione cœleſtium rerum tranſigere.

CAPUT V.

Magiſterium ſpiritûs in Venerabili P. Ludovico.

I.

Cùm jam decrepitus, morbíſque fractus, non eſſet par alijs oneribus, exarſit quodam inſatiabili deſiderio convertendi animas ſuo calamo. Converſus igitur ad DEUM inſtantiſſimè per multos dies cœleſtem expetijt lucem, donec quâ-

quâdam vice oranti videbatur totum cubiculum plenum esse purâ ardente flammâ, instar lucidissimæ fornacis, in qua videbat seipsum instar carbonis. Cæpit statim experiri in suo corde effectus misericordiæ divinæ, quibus inflammabatur ejus Anima, & illuminabatur Intellectus, ac replebantur tantâ luce & svavitate omnes potentiæ, ut non potuerit torrentem illius dulcedinis corpus sustinere. Unde tanquam extra se raptus consurrexit, atque ad modum S. Francisci Xaverij Indiarum Apostoli clamabat: *Non plùs Domine, non plùs lucis, non tam multum: sufficit, sufficit.* Durante hoc excessu obambulabat ab una parte cubiculi ad alteram, tanquam fugiens, & recusans, si esset possibile, inundationem purissimæ illius lucis, per quam, nisi fuisset mitigata, vitam dicebat se fuisse amissurum. Ab eo tempore deprehendebat in se quandam clarissimam notitiam Sacræ Scripturæ; quandam profundam intelligentiam mysticæ Theologiæ, unà cum admirabili discretione pro directione animarum, & cum facilitate, ac affluentia verborum, similitudinum, conceptuum ad explicanda secreta occulta, & vias spiritûs.

II. His confirmatus & instructus applicuit animum & vires totas ad scribendum cum tanto studio, ut fuerit mirabile videre hominem doloribus suorum morborum absque intervallo oppressum, & instar cadaveris exhaustum, dempto tempore, quod dabat orationi, semper affixum suæ mensulæ scribentem in conspectu Crucifixi lectiones altas, quas illi dictabat divinus Magister, ut vulgarentur, & communicarentur mundo sensa illa valde profunda, quæ à Divina Majestate illi revelabantur. Videbatur nullam aliam habere cogitationem, quàm obedire divinis impulsibus in elaborandis suis libris, ut statim à suo ordinario parcissimo cibo se retulerit ad dilectum sibi munium scribendi vel legendi, vel dictandi materias sublimes pro omnibus Magistris spiritûs competentes.

III. In monasterio Sancti Spiritûs de tribus Monialibus

 dubi-

dubitabatur, qualínam ſpiritu agerentur, & earum una præcipuè ſuſpecta erat, quaſi ex ijs foret, quæ ludificatæ à diabolo ſeſe illuminatas exiſtimant. Multi, variorum Ordinum, Viri graves, diſquiſitis accuratè rebus earum, cùm nihil extricarent, Ludovicus, ùt omnes ei fuerunt expoſitæ, reſpondit; duas recto & ſecuro tramite ingredi, quantumvis aſpero & difficili; tertiam verò non deluſam, nec illuminatam, ſed deliram eſſe. In quam ſententiam Epiſcopus etiam & ſacrum Tribunal conceſſit.

IV. De alia perſona pia dubitabat Didacus de Avendanno, an cùm extra ſe ponebatur (uti ſolebat) non miſceretur ludibrium diaboli. Negavit Ludovicus extaſes illas, aut à diabolo eſſe, aut à DEO, ſed à natura. Cùm enim ſit bonæ mentis, nihil habere cum diabolo: & cùm tunc ceſſet ab omni actione interna, extaſim non eſſe à DEO, ſed à natura, quæ dum hæret in affectione quapiam tenera, piáque, extra uſum ſenſuum conſtituta videtur: quòd ſic eſſe, re meliùs exploratâ, ſe inveniſſe teſtatus eſt P. Avendanno: qui addit, eam vim verborum Ludovici fuiſſe, ut qui cum dubio, caligine, tepore animi ad eum acceſſerant, omnes rerum certos, illuſtratos, inflammatos à ſe dimiſerit.

V. Mariam Vela, Monialem Ciſtercienſem omnes pænè Viri docti & graves deluſam credebant, quòd diebus Sacræ Communionis nihil alterius eſcæ ſumeret; imò interdum vix ad ipſam Communionem poſſet os aperire, niſi per vim. At Ludovicus conſtanter aſſeveravit, nihil ſubeſſe periculi; ſed DEUM hoc modo illam exercitam velle: neque receſſit unquam ab ea ſententia, utcunque alij variarent. Eam autem beatus Virginis obitus confirmavit, ùt fusè in ejus vita à Michaële Gonzalez Baquero deſcribitur.

VI. Neque multùm abſimile fuit, quòd Iſabellæ de S. Auguſtino Recollectæ, contigit. Ea tantas anguſtias ante ſacram Synaxin perpetiebatur, ut animam ſibi interprimendam putaret.

ret. Credidit Confeſſarius alterius Ordinis occupatam malo genio, contra quem ſacras jam diras parabat: voluit tamen audire priùs Ludovici judicium. Hic toto ſtatu Virginis perſpecto reſpondit, impræſentiarum non ampliùs opus eſſe, quàm ut ad ſacram Synaxin accedens DEO dicat, ſe quidquid jam patitur pati velle pro ipſo. Paruit ac ſtatim quidem clementiùs habita, ac poſt aliquod tempus ab omni moleſtia fuit libera. Denique obſervatum eſt, quorum ſpiritum Ludovicus improbavit, utcunque magni ab alijs fierent, evanuiſſe exiſtimationem eorum; cùm illi, quos probaverat, demum opinionem virtutis eminentis reportârint, etiam ab his, quibus fuerat ſuſpecta.

VII. Neque minùs conſilio valuit, quô ſæpe ſuos conſultores ad ea, quæ horruerant amplexanda, & ea, quæ adamaverant repudianda, perduxit mirâ gratiâ. Erat Valliſoleti Virgo nobilis, unica filia ſuorum parentum: hæc voto ſe perpetuæ virginitatis obſtrinxerat, quam ut collocaret in tuto, aſpiravit ad monaſterium. Graviter id accepêre parentes & agnati: quorum unus Religioſus parùm religioſo conſilio ſvaſit, ut haberetur indulgentiùs, & evaneſcente ſenſim propoſito, voti relaxatio peteretur. Non difficile fuit puellæ animum ad molliora flectere: quem paulò pòſt nulla ſubijt ampliùs monaſterij cogitatio: donec mater ad vitæ fines deducta, magno nec inani dolore perculſa, quòd ſancta filiæ conſilia turbâſſet, animam exhalavit. Eodem tactus Pater, à Ludovico petit conſilium. Is ſvadet illam mitti ad ſe. Venit, ut morem gerat Patri, ſed non niſi nuptias ſpirans. At ubi Ludovicum loquentem audivit, mutari animo: tota in ejus arbitrio eſſe velle. Sed ipſe non aliud ſvadere, quàm ut ſe totam ſincerè dedat in manus DEI, ſinè cogitatione ſtatûs ullius. Paret illa, & ſeriò divinæ voluntati ſe mancipat: & ecce, diſtinctam à Venerabili Sacramento vocem audit, *quâ tu fronte adſtas coram me, quæ verſari cupis*

cupis inter vanitates? Multùm exhilarata his verbis, resumpto primo proposito monasterium inijt, optimíque exempli fuit.

VIII. Princeps fœmina, cùm è magna turbatione & afflictione animi se expedire non posset, accepto Ludovici, cui scripserat consilio, confestim animo mutata, se animosè divinæ voluntati permisit, neque deprædicare cessavit consiliarium.

Juvenem quendam DEUS tam manifestè ad Societatem nostram vocaverat, ut videns se non posse resistere, diffluxerit lachrymis, quòd amicos & res mundi deberet deserere. Hìc posteaquam dies aliquot exegerat in mœrore ac dubio, totum animum suum aperuit Ludovico: qui omnibus inspectis amplexus juvenem, hæc tantum pauca respondit: *Eja fili: DEUS hâc te vult, DEUS hâc te vult:* quibus lachrymas uberes elicuit illi, non mœstitiæ, sed tenerrimi sensûs & gaudij; neque dubitavit is ampliùs DEO parere vocanti.

IX. Agnes de Incarnatione, cùm de sequendo Recollectarum vitæ modo cogitaret, ac gravis personæ homines non modò svaderent ei cogitationes istas deponere, sed etiam grandis piaculi Religionem injicerent, nisi staret ipsorum consilio: voto se obstrinxit faciendi, quod Ludovicus censuerit. Is auditis, quæ agebantur, pronunciavit, velle DEUM, ut Recollecta sit. Clausis igitur oculis ad alia omnia, DEUM sequendum. Quo dicto magna ejus animo pax & lætitia infusa est: obtemperavit & insigni cum sanctitate vitam degens in monasterio, non desijt gratulari DEO, quòd sibi tam bonum consultorem & viæ ducem obtulerit.

Matrona præcipuæ Nobilitatis, in tantum odium venerat sui mariti, ut videretur periclitari de vita: sed consilio Ludovici quantumvis gravi & ancipiti obediens, in majorem viri sui gratiam & æstimationem restituta est, quàm antea fuerat.

Plures è discrimine famæ ac fortunarum, alios ex desperatione, omnibus frustrà tentatis, consilio suo liberavit, exemit, erexit.

X. Sed

X. Sed & ſcrupulorum felix domitor fuit. Multùm angebatur quidam ſcrupulo rerum, quaſi malè partarum. Cenſuit Ludovicus inanem eſſe dubitationem: cui, utì ſolent malo ſcrupulorum correpti, cùm ille non acquieſceret, inſolito fervore juſſit, omni periculo in ſe recepto, nullam toto vitæ ſuæ tempore ejus rei mentionem facere, neque cogitationem admittere. Levatus ille hoc dicto quoties recurrebat ea cura, ſola illam iſtius aſſeverationis recordatione pellebat.

Antonius Vepes lumen ſacræ Familiæ S. Benedicti, quoties verſabatur inter ſcrupuloſas cotes ſui regiminis (verſabatur autem non rarò) non ſolebat, niſi audito judicio Ludovici, quieſcere; ùt Bartholomæus de Segura Confeſſarius Antonij, & internuncius ad Ludovicum, teſtatus eſt.

Omitto commemorare alios tam intraneos, quàm extraneos, quos à funeſta rabie ſcrupulorum admirabili facilitate liberavit. Unde etiam à longè nonnulli, quaſi ad Machaonem ſcrupulorum profecti ſunt.

XI. Quòd ergo ſub tanto Magiſtro, eximiè profecerint diſcipuli, mirum non eſt, quos inter, etſi emineat celebre nomen Venerabilis Virginis Marinæ de Eſcobar, non ea tamen ſola præclaræ ſanctitatis nomen ex hujus magni Animarum Ductoris ſchola retulit. Námque, ut Viros omittamus, hoc ſpirituali Patre, peculiari DEI mandato (ùt videre eſt in ejus vita c. 15.) uſa eſt per multos annos Virgo Mariana de S. Joſeph, Fundatrix Reformati Ordinis Monialium S. Auguſtini, quæ etiam authenticè in proceſſu facto Madriti An. 1629. de Ven: Patre Ludovico jurata depoſuit, illum ſingulari, & extraordinariâ luce vocatum & illuſtratum fuiſſe à DEO ad ſcribendum, & dirigendum Animas ad ſupremam in ſingulis ſtatibus Eccleſiæ perfectionem, per orationem, meditationem, & contemplationem, & virtutum omnium exercitium.

Ex hac quoque ſchola prodijt Aloyſia Carvajalia, cujus corpus

pus etiamnum in Regali Cœnobio, cui ab Incarnatione est nomen, incorruptum servatur Matriti, quò deportatum est Londino ex Anglia. Nam ausu plusquam fœmineo, divinitus tamen (ùt Ludovicus censuit, multis licèt improbantibus) acta, ex Hispania Londinum pervenerat, & cum selectis ibi Virginibus, in conspectu Regis alieni à Religione Catholica, in una simul domo sanctissimè vixerat, prout ulteriùs perhibet ejus vita à Luisio Munnocio descripta.

His annumeres Menciam de Padilla, summis in Societatem, ac pauperes beneficijs multóque magìs heroicâ virtute, & sangvine nobilissimo præstantem.

CAPUT VI.

Libri à Venerabili P. Ludovico de Ponte pleni Scientiâ mystica conscripti.

I.

QUæ Venerabilis P. Ludovicus in lucem edidit opera spiritualia, eam in toto Orbe Christiano ei peperère æstimationem, ùt passim apud Viros asceticos, magnus Theologiæ mysticæ Magister habeatur. Scripsit autem Meditationes in sex partes distributas, quodammodo de omnibus Fidei nostræ mysterijs, ac præcipuè Vitæ ac Passionis Domini nostri JESU CHRISTI, & Beatissimæ Virginis, Sanctorúmque: ùt & Evangeliorum per annum occurrentium. Editæ primùm fuère An. 1605. intra tres primos annos quater recusæ, ac dein in omnes prope lingvas Europæ translatæ.

Secundò: Librum planè admirabilem de Oratione, Meditatione, Contemplatione, Visitationibus divinis, Gratiisque extraordinarijs: de Mortificatione, heroicis Actionibus seu Operibus, quæ tales visitationes divinas comitantur, cui dedit

dit titulum: *Dux Spiritualis.* Editus est primùm Anno Domini 1609.

Tertiò: Tomos quatuor de Christiani Hominis in quocunque statu & genere vitæ Perfectione. Editi sunt primùm Anno 1612.

II. Quartò: Vitam sublimémque Sanctitatem sui in spiritu Magistri P. Balthasaris Alvarez Societatis Jesu, Viri excellentissimæ orationis, ac contemplationis, quo etiam S. Theresia in rebus animæ suæ quandoque utebatur: ubi Ven. P. Ludovicus ostendit se statim quasi à teneris adhuc sub disciplina tanti Magistri, jam Magisterium spiritûs imbibisse. Refert ibidem c. 11. §. 2. revelationem, quam S. Theresia de eodem Viro habuit, his verbis: Erat semel P. Balthasar valde anxius ex quadam tentatione de prædestinatione sua, disputans, & objiciens ac respondens sibi, an esset salvandus necne? id sancta hæc Virgo advertens recurrit ad Dominum nostrum, ut dignaretur illi adesse: qui ei revelavit ipsum fore salvum, ostendítque illi præstantem quendam locum, quem in cœlo esset habiturus; & adjecit, quòd ille tunc in terra esset, in adeò excelso perfectionis gradu constitutus, ut eo tempore nullus esset in altiori, & juxta talem gradum reddendos sibi Gloriæ gradus in Cœlo. Acceptâ resolutione dixit illa Patri Balthasari, ut bono esset animo, nam Magistrum (ità ipsum Christum Dominum compellabat) sibi dixisse, esse certam ipsius salvationem. A quo momento ità fuit ipse consolatus, tantúmque animum sumpsit, ut adverteretur verè fuisse cœlestem revelationem. Et ipsamet Sancta idem multis Societatis Patribus, & aliquibus suis Monialibus, aliisque personis religiosis retulit, quæ id tanquam certissimum referebant. Ipsemet etiam P. Balthasar habuit similem aliam revelationem. Prodijt hic Liber Latinè primùm An. 1616.

III. Quintò: Scripsit Ven. P. Ludovicus duobus Tomis Expositionem moralem, & mysticam, in Cantica Canticorum,

de omnibus Christianæ Religionis mysterijs atque virtutibus; Latinè editam An. 1622.

Sextò: Directorium spirituale ad Confessionem & Communionem, & Sacrificium Missæ, seu de recto Sacramentorum usu: quod videre mihi necdum contigit.

Septimò: Vitam admirabilem lectissimæ & Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar, spiritualis suæ filiæ, Tomo uno, usque ad suam mortem, seu annum CHRISTI 1624. Reliquos ejusdem Venerandæ Virginis novem adhuc annos superstitis usque ad annum 1633. 9. Junij, quo ipsa decessit, pertexuit Pater Michaël Orenna, qui Patri Ludovico in gubernanda ejusdem sanctæ Virginis conscientia successerat, quem Tomum posteriorem postea digessit, & luci dedit P. Andreas Pinto.

IV. Octavò: Memoriale, seu Sentimenta spiritualia, quæ post mortem ejus inventa, ex ejus meditationum fructibus ab ipsomet annotata, ac collecta, postea digesta, ac luci data sunt, ab Admodum Reverendo Patre Thyrso Gonzalez, nunc Societatis JESU Præposito Generali, An. Dom. 1671.

Nonò: Meditationes, quas ipsemet P. Ludovicus pro suo usu combinavit, postea ejusdem Admodum Reverendi Patris Generalis operâ vulgatæ. Anno eodem.

Decimò: Documenta alia, itémque Epistolas spiritu ac luce sancta plenas ad diversos à P. Henrico Lamparter in unum collectas, & vitæ ejus in typo subjunctas, An. 1662.

In his omnibus videre est copiosissimam Spiritûs Sancti gratiam, & profundam Christianam sapientiam, ad erudiendum & inflammandum totum mundum.

CAPUT

Caput VII.

Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte datus à DEO Magister Orationis & Spiritûs.

I.

MAgni nostri Domini ac Creatoris erga suas creaturas, & maximè erga suam Catholicam Ecclesiam perpetuâ sæculorum omnium experientiâ deprehenditur Paterna Providentia, quòd calamitatibus omnibus, & imminentibus malis, malorúmque periculis Remedia in tempore opportuno provideat, & antidota congrua tempestivè opponat. Admirati sunt hæc pridem Viri in Ecclesia eminentes, dum Hæresiarchis omnibus, & singulis viderunt eodem sæculo Viros sanctos doctrinâ valde eminentes oppositos, qui adversùs novas orientes hæreses, nova pharmaca protulerant. Infelix nostra ætas vidit nefandam Quietistarum ex orco emergere tentantem hæresim, quæ præcipuum à DEO nobis datum Salutis, Perfectionis, & Sanctitatis Instrumentum, *Orationem*, toxico infernali corrumpebat. Quisquis ergo præclarum illud Venerabilis P. Ludovici asceticum Opus, cui titulum dedit: *Dux spiritualis*, vel solùm per titulos capitum, nedum etiam paragraphorum, percurrendo lustraverit, advertet profectò, quemadmodum alios alijs temporibus (ùt loquitur Breviarium de Sancto Ignatio) Sanctos Viros, ità Quietistis Venerabilem P. Ludovicum de Ponte tempestivè opposuisse.

II. Etsi autem totum opus mera sit Instructio Spiritûs, mera solidissima Doctrina Orationis, & Schola agendi cum DEO, ut statim appareat, neminem nisi Sanctum & propriâ experientiâ Virum instructum ausurum fuisse opus tale aggredi: nihilominus quæ immediatè Quietistas concernunt, videri possunt tract. 3. §. 1. ubi ex proposito explicat, quid sit illa *Quies*, aut

Requies ſpiritualis, de qua Theologi myſtici, & cur diverſis appelletur nominibus, nunc *Otium ſanctum*, nunc *Silentium*, nunc *Solitudo*, ; quæ omnia propter ſuam altitudinem non patiuntur ſe in compendium contrahi, ſed ut probè intelligantur, ſunt ſuo loco fuſiori cum explicatione legenda: ùt & ea, quæ habet paragraphus 2. de ſpirituali Animæ *ſomno* & *ſopore* in lecto cordis: qui ſomnus non eſt imago mortis, ſed imago vitæ excellentiſſimæ.

III. Deinde exponit quænam contemplatio vocetur *Mors* propter Quietem perfectiſſimam, acſi contemplans rebus omnibus hujus mundi eſſet mortuus, ut ſoli Creatori vivat: cur & quomodo contemplatio etiam ſit, & dicatur *ſepulchrum*: quomodo *Terra promiſſionis, Manna, Lac & Mel*; & alia huc pertinentia mirâ & elegantiſſimâ claritate, præſertim, ſi reliquus Tractatus perlegatur. Et quidem totum negotium familiaritatis quocunque modo cum DEO ità exactè tractâſſe invenitur Venerabilis Pater in eo opere, ut nihil omiſiſſe videatur.

IV. Non poſſum, quin ſaltèm titulos Tractatuum hîc inſeram ex Introductione, quam operi præmittit his verbis: Librum partimur in quatuor partes: in quarum

Prima agetur de familiari Animæ cum DEO tractatione per ipſam Orationem, DEíque cum Anima per divinas ſuas inſpirationes. In qua parte colligemus quidquid excellentiſſimum, & defæcatiſſimum eſt ipſius ſpiritûs; id, quod eſt tanquam flos vitæ contemplativæ, & quod ordinariè illi experiuntur, qui excelſæ huic mentalis Orationis exercitationi ſe dedunt: ſive illud reſpicias, quod ipſi præſtant; ſive quod à DEO, dum illos viſitat, accipiunt.

V. *Secunda* Pars erit de ſacrorum, piorúmque librorum lectione, & meditatione divinorum myſteriorum, adhibitâ lectione & ſtudio librorum myſticorum hujus ſcientiæ, qui ſunt: propria conſcientia; creaturæ ſpectabiles hujus mundi; vitæ

San-

Sanctorum, & ipsius Sancti Sanctorum: quò perfecta sui ipsius cognitio Christíq; Domini ac Dei obtineatur, quatenus ea ex ratiocinatione creaturarum elicitur; & simul ferventes affectus concipiantur, qui ex hisce cognitionibus, cùm perfectæ sunt, enascuntur.

VI. *Tertia* Pars erit de perfecta contemplatione, & unitione cum Deo Domino nostro, quæ pertinet ad viam unitivam; ac de arcanis scientiæ mysticæ occultissimis, tam ordinarijs, quàm extraordinarijs, eo modo, ut intelligi possint. Quibus addentur etiam admirandi alij affectus conjunctionis, & amoris erga proximos, qui ipsam mysticam scientiam comitantur. Et quamvis harum rerum nonnullæ positæ fuerint in libro, ante paucos annos edito meditationum, circa sanctæ Fidei nostræ mysteria, & praxis orationis mentalis circa eadem: ibi tamen valde summatim id factum est, quia animus erat, materiam tantùm, & argumentum Orationis ac Meditationis, practicámque earum exercitationem proponere, fusiori declaratione virtutum, quæ comitantur orationem, & reliquarum rerum, quæ in actionibus vitæ contemplativæ eveniunt, in hunc librũ rejectâ: in quo, DEO bene favente, supplebimus, quidquid in illo altero defuit, theoriam ipsam praxi conjungentes, docentésque orare & agere cum Deo, quòd simul utriusque exercitium conspiciatur. Ideóque singula ferè capita, meditationum locò esse queunt, cum distinctione punctorum, quæ possint in ipsa orationis collectione expendi.

VII. Sed, quoniam perfecta oratio, & contemplatio non potest esse sterilis; *Quartum* his Tractatum addemus, de præcipuis vitæ activæ actionibus in omni genere virtutum: quæ actiones, cùm sint, in quodam minùs perfectò gradu, disponunt ad vitam contemplativam; in gradu verò perfectiori, sunt ejusdem fructus. Agemus autem de eisdem in utroque gradu, ut perfectionis cupidi in eo gradu eas inveniant, in quo illas desiderant; simul

ſimul etiam agemus de ratione Orationis, & Conſiderationis practicæ, quæ ipſas virtutes comitantur. De vita item mixta, quæ ex contemplatione deducit ea, quæ alios doceat, quò hujuſmodi fructus non ad ſolam noſtram perfectionem alligentur, ſed extendant ſe ad proximorum quoque perfectionem.

VIII. His autem declaratum & perſpicuum manebit, quidquid pertinet ad vitam activam & contemplativam, atque compoſitam ex utraque, & quam aliqui Theologiam Myſticam appellant, tam contemplativam, quàm practicam, cujus excellentias initio tantùm inſinuavimus, ſed eædem fuſiùs in hujus libri progreſſu tradentur. Quoniam autem in his materijs adferri interdum ſolent verba quædam grandiloqua & nova, quæ etſi ea dicentem, altiſſimum aliquem ſenſum habere inſinuent; rem ipſam tamen non ità declarant, ut omnes poſſint eam intelligere, operam dabimus, ut rerum altitudini verborum claritatem conjungamus, ea adhibentes, quæ communi uſu (quæ maximè vera propriáque ſunt) uſurpantur: myſteria enim per ſe ipſa ſunt adeò excelſa, ut ad eorum debitam æſtimationem opus non ſit, niſi ut declarentur.

IX. Ex his apparet, quantum Deus optimus Eccleſiæ ſuæ Virum in Ven. P. Ludovico dederit, ut talis ac tantus non vanè vocatus ſit à Viris magnis eximius Magiſter ſpiritûs, magnus mundi in aſceticis Doctor. Et verò planè ſapiens eſt eorum adverſio, qui meritò dixerunt omnino neceſſe fuiſſe, ut talis ac tantus Vir eſſet Venerabili Virgini Marinæ de Eſcobar à Confeſſionibus, ejuſdémque Vitæ ac Revelationum Cenſor, & Scriptor, ut tam inuſitati, innumeri, incredibiles favores DEI, reliquáque adeò admirabilia, fidem apud homines invenirent, ſub authoritate tanti per Orbem Chriſtianum támque clari Viri, & omni exceptione majoris.

CAPUT

CAPUT VIII.

Quomodo Venerabilis P. Ludovicus de Ponte approbaverit Vitam, & Revelationes Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar.

I.

VIx possibile est, ut Hominum sapientum Catholicorum ullus, qui Vitæ, Virtutum, ac Sapientiæ mysticæ Ven: P. Ludovici sit peritus, ac etiam utramque partem Vitæ Ven. Virginis Marinæ pensiculatè perlegerit, non temerè judicet hunc tam grandem Servum DEI, tam illuminatum in spiritu Magistrum, tam exactum in suis actionibus Virum, inconsideratè, temerè, imprudenter, non solidissimè, cautissimè, sufficientissimis cum fundamentis processisse in ijs, quæ Tomo uno de vita ac visionibus Venerabilis Marinæ de Escobar, assiduâ *per triginta annos* tractatione, consideratione, experientiâ, & attentissimâ inspectione conscripsit. Vidimus sapientiam ac profundissimam asceticam scientiam magni hujus Viri, audiamus illum ipsum, utrùm scientiam hanc, & ea tam præclara de discretione spirituum documenta diligenter applicuerit ad examinandas has revelationes, ut posset prudenter sententiam suam de omnibus proferre; & consideremus causas, quas ipsemet exponit se habuisse judicium tam favorabile de omnibus his rebus ferendi; nè ulla remaneat umbra suspicandi, eum temerè processisse.

II. Quin imò ut etiam constet, etiamsi (quod non videtur metuendum) etiamsi, inquam, ipsæ Revelationes non subsisterent, & ab Ecclesia Catholica repudiarentur, aut quâcunque nota sinistrâ afficerentur, vel suspectæ haberentur, aut non approbarentur; nullam nihilominus in ipsum Venerabilem P. Lu-

dovicum hinc maculam descendere posse, quia nimis imprudens, temerarium, ac Ecclesiæ Catholicæ injurium esset, ab ullo homine, quantumvis sanctissimo, doctissimo, ac præcipuæ etiam in universa Christianitate dignitatis Doctore requirere illam Prærogativam, illúdque Privilegium, quod CHRISTUS Dominus soli Sponsæ suæ Ecclesiæ concessit, nempe ab omni in quæstionibus similibus errore, immunitatis.

III. Neque hoc S. Ecclesia ab ullo unquam etiam ex Sanctis Patribus, & suis Doctoribus requirit; quin potiùs sibi supremum & ultimum super omnes Doctores, eorúmque doctrinam & Libros judicium & censuram reservat, & usurpat; neque per hæc ullum Sanctum Patrem abjicit, aut ullum indignum Canonizatione, vel Beatificatione judicat, quòd alicubi judicium protulerit fallibile aut falsum, dummodo cautè, prudenter, fundatè, circumspectè, atque omni eo modo, qui à sapiente & sancto Homine, sed tamen Homine, desiderari possit.

Exemplorum in Historia sacra habemus affatim, ubi Sancti Ecclesiæ Doctores in quibusdam diffidebant, in quibusdam dubitabant, in quibusdam aliter, quàm postea S. Ecclesia determinaverit, sentiebant. Quapropter dummodo certum sit, Ven. P. Ludovicum prudentissimè, ac consideratissimè, atque ex fundamentis solidis processisse, dum Revelationes Ven. Virginis Marinæ pro legitimis agnovit, nihil de reliquo potest ei dari vitio, nihil gloriam & æstimationem ejus imminuere, nihil ei apud Christianos ad Sanctitatis famam publicam obstare.

IV. Quàm autem cautè processerit, etiam ex hoc advertere est, quòd verbis usus sit modestissimis, & circumspectis. Hinc in Introductione operis statim §. 1. sic loquitur: *Certus sum, quantum præsentis vitæ constitutio patitur;* adeóque manifestè ostendit, & quasi protestatur, se procedere solùm fide humaná reservando omnia sententiæ S. Ecclesiæ. In quo satis admirabile est, quòd etiamsi tunc temporis necdum emanaverit

Urba-

Urbani VIII. Constitutio de non edendis similibus libris in lucem, nisi appositâ initio & fine protestatione, narrationes illas non excedere fidem humanam, ipse tantò antè Constitutionem hanc prævenerit, eodem haud dubiè spiritu, quo Constitutio illa postea constituta est; nempe quòd statim initio in ipsa Introductione operis apposuerit, se de his non esse certum, nisi *quantum præsentis vitæ constitutio patitur*: & in fine in ultimo capite iterum ultro suos defectus, & ignorantiam humillimè ingesserit, quasi ultro sensum, & ultimatum judicium ab Ecclesia implorans.

V. Deinde nunquam est usus voce: *Approbo*, aut ullo alio vocabulo, quod majorem saperet authoritatem, quàm Confessarij aut Magistri spiritûs ordinarij, vel librorum Censoris. Et sic non potest argui, nisi velimus, ut nullus Pater spiritualis judicium suum, de casu ullo, vel statu animæ cujuspiam, etiam post plurium annorum diligentiam adhibitam, audeat edicere, scrupulosorum dubia resolvere, eósque in perplexitate reddere securos; illi enim non nisi certitudinem à Confessario exigunt.

Illum ergo ipsum fundamenta sui de Revelationibus Ven: Virginis Marinæ sensus referentem, & modum ac verba ipsa audiamus, ut judicare possimus, utrum ullus alius in toto mundo cautiùs, & accuratius per triginta annos procedere potuisset, nè cogamur fateri, solas has in Christianitate Revelationes esse tales, ut nulli Christianorum dederit Spiritus Sanctus sufficientem discretionem spirituum, pro eis prudenter & *quantum præsentis vitæ constitutio patitur*, dijudicandis, etiamsi postea ultimatum infallibile S. Ecclesiæ Tribunal aliquid, quod præsentis vitæ constitutionem excedit, in eis inveniret.

CAPUT IX.

De eximia Scientia mystica Ven. Virg. Marinæ de Escobar, cognita Venerabili Patri Ludovico.

I.

Ut tantò evidentiùs appareat Ven. Patrem Ludovicum habuisse Rationes convincentes ad Revelationes Venerabilis Virginis Marinæ collaudandas, juvat scire, quantam & ipse in magna illa DEI Serva deprehenderit scientiæ sanctæ altitudinem.

Et quidem quod speculativa attinet, elegantissimus est locus Lib. 2. c. 25. his verbis: Post Pentecosten celebrat Ecclesia festum Sanctissimi Sacramenti, eò quòd id non possit facere feriâ quintâ in Cœna Domini. Utroque tempore habuit Venerabilis Marina insignes revelationes, ac visiones de hoc Mysterio; de modo, quo re ipsâ, & verè CHRISTUS Dominus existit in Sacramento, quas mihi enarravit, deditque scriptas, dum docerem Theologiam, An. 1595. in nostro Collegio Vallisoletano. Docebam autem tunc materiam de Eucharistia, atq; hoc punctum de Transubstantiatione. Referebat mihi id talibus verbis, & cordis affectibus, ut obstupescens, conferendo meas tenebras cum tanta luce, dicerem DEO: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelâsti ea parvulis. Ità Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*

II. Sed magis ad rem nostram pertinet scientia mystica practica, de qua L. 6. c. 21. habentur præclarissima, quæ cogebant Venerabilem P. Ludovicum de veritate rerum circa Ven: Virginem Marinam non dubitare. Sic narrantur: Extraordinarijs gratijs, quas DEUS suæ famulæ per decursum longævæ ejus vitæ præstitit, & istud accenseamus, quòd ipsi fuerit unà cum

cum illis communicata ſcientia ſpiritualis, quam communiter vocamus Theologiam myſticam, & Scientiam experimentalem, de qua loquens Divina Sapientia ait, quòd (*Sap. 1. v. 10.*) oſtenderit juſto Jacob regnum DEI, & dederit illi ſcientiam Sanctorum; quia ductu divini Luminis eſt ingreſſus ad percipienda arcana Regni cœlorum, quæ nimirum ſentiebat, & experiebatur in ſe ipſo, quod eſt proprium Sanctorum. In hoc mirè excellebat iſta Famula DEI, cui Divina Majeſtas ſenſim communicavit, quinque admirabiles experientias, quæ complectuntur univerſam ſcientiam ſpiritûs.

III. *Prima.* Quia imprimis experta eſt, ac attigit omnia concernentia Infantiam, Paſſionem, & Mortem Salvatoris, ac reliqua ipſius ſacratiſſimæ Humanitatis myſteria, quibus interfuit, acſi tunc denuò executioni mandarentur, ità ut ſentiret in ſe dolores, ac tormenta Redemptoris, uſque ad participata ejus vulnera pedum, manuum, lateris, & capitis.

IV. *Secunda.* Hinc eſt progreſſa ulterius ad cognoſcendam & experiendam immenſitatem DEI Trini, ac Unius, cum ſuis attributis, quæ beatos reddit Angelos, ac Sanctos: participando in ſe ipſa, ac deguſtando iſtam beatitudinem, videndo aliquid de eo, quod ipſi vident in ſuo DEO pro ſua capacitate, idque interdum eâ claritate, quamvis momentaneâ, inſtar relucеſcentis fulguris, ut poſſimus dubitare, an non fuerit viſio clara, qualem nonnulli per ſpeciale Privilegium concedunt Sancto Paulo.

V. *Tertia.* Tertiò experta eſt omnes modos familiaritatis & communicationis inter DEUM & animam, per alloquia, per inſpirationes, per ſpecies & viſiones imaginarias, perque viſiones intellectuales, per raptus, elevationes, & uniones, mille modis, jam in fundo ſui cordis, jam in Cœlo Empyrio, jam commorando ibi, quaſi ſtabiliter ſecundùm ſpiritum, jam idem percipiendo in ſuo cubiculo.

VI. *Quarta.* Ad hæc accedit experientia dolorum, cruciatuum, molestiarum, ac tormentorum internorum, & externorum, quæ est passa, partim ex divina dispositione, partim propter persecutiones dæmonum, DEO permittente; ità ut experiretur dolores esse scalas ad gaudium; & crucem esse viam pro adeunda cœlesti gloria.

VII. *Quinta.* Denique experta est, & probavit actus heroicos omnium virtutum; in quo consistit perfectio Evangelica; cum summa prudentia, circumspectione, & cautela in vijs extraordinarijs, quibus ducebatur, nè deciperetur. Unde factum est, ut esset adeò plena hàc divinà scientiâ, ut posset esse excellens illius Magistra; & Anima ipsius, ac modus vivendi, esset instar Libri vivi, ubi infinita Sapientia DEI descripsit atque expressit omnia mysteria nostræ sanctæ Fidei Catholicæ, admirabili artificio; adjunctis duobus raris privilegijs, quorum unum erat, quòd etiamsi Revelationes interdum essent admodum diuturnæ, & continerent multas ac minutissimas circumstantias; tam fixè tamen illas imprimeret suæ memoriæ, ut illarum non oblivisceretur: Alterum autem, quòd illi DEUS suggesserit verba convenientia, quibus posset declarare, quod viderat, & fusè referre, etiamsi aliquando esset res tam sublimis, ùt illi non suppetivissent verba, pro ea exprimenda.

VIII. Et quia omnes istæ experientiæ, ac res, quæ illi accidebant, fiebant arcanè & modo invisibili, manebántque in ipsius spiritu, quasi in libro clauso & signato; voluit Majestas Magni nostri DEI, ut iste liber aperiretur, omnésque prodirent in lucem, præcipiendo illi frequentiùs (sicut fusè dictum est in Prologo istius Historiæ) ut conscriberet omnes gratias, quas illi præstiterat per decursum ipsius vitæ, eò quòd eas ipsi non communicavisset pro illa sola, sed etiam in commodum multorum.

IX. Hoc fuit primum, quod DEUS præcepit Venerabili Mari-

Marinæ, & comprehendit generatim id, quod Divina Majeſtas extraordinariè in illa eſt operata; voluit tamen ſimul, ut obſervarentur conſvetæ leges Eccleſiæ, útque examen rerum publicandarum, & earundem coordinatio, ac diſpoſitio fieret, ſecundùm judicium, prudentiam, & ſcientiam Confeſſarij Magiſtri ac Directoris, quem habebat ex Societate: eò quòd non omnia, quæ DEUS ſecretò ſuis ſervis revelat, velit publicari: imò non expediret quædam propalare. Proptereà cùm germanus frater meus Andreas de Ponte ex Ordine S. Dominici conſcripſiſſet ea, quæ Venerabilis Marina ipſi dicebat, vel dictabat, ut illa mihi traderet, ùt dictum eſt in Prologo: retinuiſſet autem ipſorum apographa, mandavit DEUS, ut illa ab eo peteret, mihíque traderet, & ego ex ipſis demerem, quòd judicarem non convenire, ut publicetur.

X. Interpoſitis poſtea quibuſdam Venerabilis P. Ludovicus, totum Caput & totam Hiſtoriam concludit revelatione quâdam, in qua interroganti Ven. Marinæ, quid præmij habiturus eſſet P. Ludovicus pro eo, quòd eam in ſpiritu direxerit, & librum illum digeſſerit; Sancti Angeli reſponderunt: *Iſti ſervo DEI dabit DEUS ingens pramium, quia non ſolùm eſt Secretarius ipſius myſteriorum, ſed etiam Magiſter & Artifex ejuſdem operis, quod DEUS in te peragit. Etiamſi enim illi dentur pracipui ſumptus, & requiſita, pro exſtruendo adificio, ſolvatúrque & labor; ipſe tamen impendit operam & laborem ſuarum manuum, ac proinde in cælo pro mercede habebit ſuum meritum, & inſigne: ſicut dum egregius Magiſter, & Architectus, exſtruit ſumptuoſum & elegans adificium, etiamſi adificij Dominus ipſi ſolverit, dederitque pro eo neceſſaria, inſcribit tamen illi pro ſuo honore & inſigni: talis me fecit.* Et hoc dicto mihi valedicentes abiverunt.

XI. Subdit & totum opus claudit P. Ludovicus. Hanc revelationem volui referre, ut intelligatur, quantum placeat hoc opus DEO, quod eſt totum ipſius, demptis defectibus, quos habet

profectos ex ignorantia Artificis, cujus est operâ usus. Quemadmodum enim aliquis Princeps desiderans exstruere sumptuosum templum, vel palatium, dat Architecto vel perito Magistro multa præclara requisita, ligna & lapides pretiosos, ut ipse omnia designet ac elaboret, demendo superflua, ponátque singula suo loco: itá mihi Princeps cœli, per hanc suam famulam, dedit abundantiam necessariorum, & rerum mirabilium, quas illi communicabat: quia tamen mihi tradebantur à fœmina, erántque omnia dissipata, absque ordine, aut connexione, necesse fuit ea limare, ac demere, quæ videbantur superflua, & in ordinem digerere, singulis suo loco repositis. Omnium porrò simul combinatio, juxta ordinem, quo est facta, vocari potest *Synopsis Theologiæ, & Scientia mysticæ spiritûs*, seu scientiæ experimentalis ac practicæ universarum virtutum, quæ disponunt ad internam cum DEO familiaritatem, ac ad assequendam divinæ contemplationis & perfectionis Evangelicæ sublimitatem.

Quia autem facit Ven. P. Ludovicus mentionem sui Prologi, quem operi toti præmisit, in quo explicuit causas, cur Historiam Vitæ & Revelationum Ven. Virginis Marinæ fide dignissimam judicaverit, planè expedit, ut Prologum, seu Introductionem illam totam ejus verbis audiamus.

CAPUT X.

INTRODUCTIO Ven: P. Ludovici de Ponte Soc: JESU ad primam Partem Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar.

De Præstantia, Utilitate, & Certitudine illius Historiæ.

I. Magnus

I.

MAgnus noster DEUS ac Dominus, qualis omnibus fuit ætatibus, ac temporibus, éstque etiamnum in Sanctis suis, dignatus est sibi diebus nostris deligere Venerabilem Virginem, nomine Marinam de Escobar, ut in ea immensos infinitæ suæ sapientiæ, charitatis, & misericordiæ thesauros, atque inæstimabiles gratiæ divitias manifestaret, internè cum ipsa conversando, ac omnia illi declarando mysteria, quæ nos Catholica docet Fides, celebrátque Ecclesia; modis usqueadeò novis, miris, ac inusitatis, ut exhibiti eidem favores nullatenus cedant illis, quos S. Gertrudi, S. Mechtildi, S. Brigittæ, S. Catharinæ Senensi, S. Theresiæ à Jesu, aliisque consimilibus præstitisse scribitur; quandoquidem non est abbreviata potens manus Domini, neque exhausta ipsius sapientia, vel imminuta charitas, quò minùs sciat, possit, ac velit innovare miracula, quæ operatus est in Sanctis antecedentibus, & alia patrare, paria, atque subinde majora per nunc existentes.

II. Sunt etenim tot res eximiæ, quas DEUS de se ipso, déque suis divinis perfectionibus, nec non de ijs, quæ hominis egit causâ, revelare potest: sunt quoque tam varij modi, quibus talia revelare consvevit, ut, postquam illa cuipiam mortalium patefecerit, semper ei supersint alia infinita, adeò novis manifestanda modis, ut omnem superent imaginationem: quorum illustrissimum videtur voluisse facere compendium, communicando se Venerabili isti Virgini, quasi omnibus cœlestis, ac Divinæ Communicationis generibus, recensitis in Scriptura Sacra, atque in Vitis Sanctorum.

III. Et quantumvis verum sit, omnia ista, utpote interna, & secretè acta, DEUM inter & Animam, non potuisse sciri, præterquam ab ipsamet Virgine (quæ DEO jubente, illa conscientiæ suæ aperiebat Arbitris, & propter fines, quos mox intelligemus, conscribebat) non tamen propterea minùs creden-

da ſunt, & probanda, quàm creditæ & probatæ fuerint res admirandæ, prædictarum quinque Sanctarum, quamvis illæ ipſæ ſolæ eas manifeſtaverint; cùm ſint confirmatæ ijs operibus, ac ſignis, quæ nos ſufficienter convincant, quòd nec ipſæ fallantur, neque nos fallant, ex ignorantia, paſſione, vel malitia: & quandoque ſint ejuſmodi, ut quamvis illa voluiſſent, non tamen ſciviſſent confingere, niſi ab alio altioris ordinis ſpiritu, ad hoc permotæ fuiſſent.

§. I.

Fundamenta, quibus innititur Veritas, & Certitudo hujus Hiſtoriæ.

IV. Quamvis certum ſit, & experientiâ compertum, quòd his temporibus (quæ ſunt occulta DEI judicia) ſe transfiguret Satanas in Angelum lucis, fingendo, & ſimulando ea, quæ apparent Sancta, ac Divina, tam internè, quàm externè; certus nihilominus ſum, *quantum præſentis Vitæ conditio patitur*, ſpiritum, quo agebatur, Venerabilis Marina, quíque cum illa agebat, & ea ipſi manifeſtabat arcana, ac ſecreta, quæ referemus, non fuiſſe malum, ſed bonum; non dæmonem, ſed verum DEUM, ipſúmque Servatorem noſtrum ſubſervientibus illi, & ab eo commiſſa exequentibus bonis Angelis, ſanctíſque Cœlitibus, atque imprimis Sacratiſſimâ Virgine ipſius Matre. Siquidem rigido admodum, & *ſolicito plurium, quàm triginta annorum*, quibus mihi rerum ſuarum, tum oretenùs, tum ſcripto reddebat rationem, *examine*, univerſa, quæ illi eveniebant ſemper inveni, habere omnia boni ſpiritûs ſigna nobis à ſacris literis, & ſanctis Patribus indicata. Eorum ego, nè ſim prolixus, ſuccinctam duntaxat dabo epitomen, quam fuſa iſthæc comprobabit Hiſtoria.

V. Imprimis námque in verbis, operibus, & actionibus, atque rebus omnibus ejus ſpiritûs, qui ipſi loquebatur, quiddam

dam elucebat divinum; eam ſiquidem ſapientiam, & excellentiam, eam veritatem, & puritatem, eam gravitatem, & diſcretionem, eam denique ſanctitatem in ſummo perfectionis præſeferebant gradu, ut abundè oſtenderent fontem, ex quo procederent, eſſe Deum; cùm in Deo nihil reperiri poſſit, quod malum vel falſum, leve, aut imperfectum & indignum ſit tanti Domini Majeſtate.

VI. Præterea, quemadmodum arbor cognoſcitur ex fructibus, ità ſe Divinus Spiritus in iſta ſua Famula manifeſtabat, per ſeptem raras illi collatas virtutes, quæ ſunt ſeptem certa Sancti Spiritûs, ijs prædito aſſiſtentis, indicia.

Prima fuit ſingularis, quædam Animæ, & corporis puritas, atque ſummus cujuſcunque, quantumvis levis culpæ, vel nævi horror, nec non prorſus rarum Caſtitatis donum, quo fuit à tentationibus, & motibus illi contrarijs præſervata.

VII. Admirabilior erat altera, quòd illam in tam profunda ſui ipſius cognitione fundaverit, ut inter revelationes, & favores, uſqueadeò prodigioſos, ab omni fuerit ſuperbia, & inani gloria, atque etiam ejus tentatione immunis.

Tertia, quod ipſi Cor ità pacatum, & præſentiæ ſui DEI inhærens dederit, ùt in oratione, & contemplatione mentali, nunquam, aut rariſſimè paſſa fuerit, vel involuntarias mentis evagationes, quamvis illam ad multas horas produceret.

VIII. Quarta, ſummus fuit Timor, nè circumveniretur à diabolo in rebus extraordinarijs, quæ illi accidebant, ideóque omnem ſibi poſſibilem adhibebat diligentiam, ut eam DEUS ab hujuſcemodi illuſionibus liberaret, vel talibus vijs non duceret; ità ut nemo unquam tam fuerit cupidus ſimilium viſitationum, & gratiarum, quàm illa fuit ſolicita, ut reſiſteret, ac reluctaretur ijs acceptandis, donec ipſam Deus induxiſſet ad conſenſum.

IX. Quinta, fuerunt vehementia deſideria, quibus tenebatur, ut quoslibet toleraret contemptus, & cruciatus pro Deo.

Unde quando illam Divina Majeſtas poſtremo vitæ tempore, ſuſtinendis horridiſſimis moleſtijs, ac doloribus exercuit, tantopere acquieſcebat, ut ſe deſolatam diceret morituram, niſi modicum illud toleraviſſet, quod ipſi DEus ferendum obtulerat. Hinc etiam inter tam terribiles cruciatus perfectiſſimè ſuam divinæ conformabat voluntatem, neque ulla ipſi crux erat tam gravis, quàm timor, quomodolibet deflectendi ab ea conformitate.

X. Sexta eſt ingens zelus ſalutis animarum, ut mille dediſſet vitas, nè vel una damnaretur: támque tenera commiſeratio, quà proximorum condolebat miſerijs, in quarum deveniebat notitiam, ut illis conficeretur, & gravaretur, acſi propriæ ipſius eſſent. Et hæ ſunt virtutes, in quibus Evangelica eſt ſita perfectio, & de quibus in primo agetur libro.

XI. Denique ſummam habuit propenſionem, non tamen impetuoſam, neque præcipitem, ſed admodum moderatam, & circumſpectam, ad reddendam omnium rerum ſuarum rationem ſuæ arbitro conſcientiæ, à quo dirigebatur, noluitque ſe ipſam, ſeu proprio judicio, ſeu interno ſpiritûs impetu, regere, niſi accederet approbatio Magiſtri, ac Ducis viſibilis, quem illi dederat DEUS, in ijs rebus, quæ ipſius indigebant directione.

XII. Hæ ſeptem heroicæ virtutes, ſeu affectus Animæ, ità adverſantur intentionibus Satanæ, conveniúntque tam propriè DEO, qui deſiderat, ac prætendit ſalutem, atque perfectionem ſuorum Electorum, ut dum illæ firmiter, ac ſtabiliter in Anima perſeverant (quemadmodum perſeveraverunt in Venerabili Marina, quamdiu ego ipſi fui à confeſſionibus) ſint ſeptem indubitata teſtimonia, ſeptémque certiſſima indicia ejuſdem DEI, qui illam adeò inſvetis ducit vijs, reddendo ipſam immunem ab omni diaboli, vel proprij ſpiritûs illuſione ac deceptione. Et propterea illi dedit naturam indè quidem extremè reformidantem ejuſmodi dolos, hinc verò vividam perſpicacem, ac impigram,

gram, & celerem, in examinandis, & perſpiciendis rebus internis, quæ illi eveniebant; ità ut magnâ hujus ſolicitudinis parte, ſuos liberaret Confeſſarios.

XIII. Idcirco, non abſque ſufficienti fundamento exiſtimo, quòd ſicut Deus in ſua Eccleſia conſtituit Sanctum Franciſcum ad Paupertatis, & alios Sanctos, ad aliarum virtutum præbendum exemplum; ità periculoſis his temporibus propoſuerit hanc Virginem, ut timoris, & ſolicitudinis, cautelæ, circumſpectioniſq; ac diſquiſitionis exemplo doceret, quomodo Divinæ Revelationes, & inuſitatæ gratiæ tutò ſint ſuſcipiendæ.

§. II.

DEUS jubet Marinam, ob valdè ſublimes fines, ea ſcribere, quæ ipſi eveniebant.

XIV.

Ex dictis ſequitur Venerabilem Virginem Marinam de Eſcobar ea, quæ ipſi eveniebant, non ex ſua propria voluntate, neque ex animi levitate conſcripſiſſe, & propalâſſe; cùm potiùs ab hac re ſummè abhorruerit, uſquedum id facere juberetur à ſuo Confeſſario P. Petro de Leon; ut illa ipſe diutiùs expendere poſſet, atque diſcutere, & exhibere alijs authoritate pollentibus, rerùmque ſpiritualium peritis ac doctis viris, qui ſuum de ijs judicium dicerent. Cùm tamen is paulò pòſt connivens in illius repugnantia, ei dixiſſet, ſufficere id, quod ſcripſerat; ipſemet Deus, eam denuo juſſit cæpta proſequi, manifeſtatis illi admirandis hujus ſcriptionis finibus, & motivis, quod ipſa his refert verbis.

XV. Postquam à Deo multas obtinuissem gratias, & ingentia solatia, fuissémque ab illo multoties visitata, & illuminata, ut cognoscerem sublimissima ipsius mysteria, dicebat mihi aliquot continuis diebus: *Scribe, quod tecum ago.* Ego verò advertens mihi à Divina Majestate iterari ea verba, dixi illi quâdam vice: Domine, quare tua Majestas id à me vult scribi? anne forsitan idcirco, ut reddere possim meo Confessario rationem eorum, quæ fiunt in mea anima? Responditque mihi Deus: Non ideo. Tum ego rursum: Quare igitur mi Domine? Et Dominus mihi dixit: Facit ad meam gloriam, ut hoc scribas. Ideóque subito incepi scribere, quia istud dictum tantopere me ad scriptionem compulit, ut absque magno conscientiæ remorsu eâ supersedere non possem.

XVI. Verùm etsi scriberem, unà id spectabam, conabárque consequi à Deo, ac postulabam quàm enixissimè, & ex intimo corde meo, ut me illuminaret, darètque mihi gratiam, nè quidquam fieret adversum sanctissimæ ipsius voluntati: maluissem enim mihi eximere lingvam, & amputare manus, quàm vel unum verbum, Deo nolente loqui, aut scribere. Quocirca timens meam malitiam, & astutiam diaboli, continuè dicebam, Domine vísne id à me fieri? Et Divina Majestas mihi respondit: Ità; quia ista tibi, non tui solius tantùm fiunt gratiâ, sed etiam propter alios. Aliàs verò addidit: Noveris hoc sæculo reperiri in mundo homines, qui vehementer falluntur, dum cogitant, ac dicunt, non esse tempus, quale quondam erat; & â me non conferri gratias, neque esse, cui eas possim conferre, quas consveverim alijs præstare temporibus; quasi verò jam non essem idem, qui eram. Juverit ergo eos intelligere, aliter se rem habere. Post hæc nihilominus adhuc metuebam, ideóque illi dixi cum magna verecundia, & confusione: Domine, ergóne ego miserabilis esse debeo instar campanæ, quæ alios advocat, ut veniant ad templum, licèt ipsa remaneat in Campanili? fac

de

de me quod vis, neque enim ego aliud volo. Ad hoc mihi respondit quædam verba consolatoria, indicavitque nonnullas personas, quibus esset profuturum id, quod mecum agebat: Ego verò, reposui, plurimùm gaudeo, Domine, quod cùm ego tam parùm proficiam ex gratijs, quas mihi præstas, reperiatur, qui ex illis proficiat.

XVII. His animata, perrexit scribere ea, quæ illi contingebant, cùm tunc esset provectæ ætatis quadraginta quatuor annorum; sed Deus indulgendo ipsius naturali repugnantiæ, illi dixit, ut hâc vice scribendo consequenter impleret sexaginta circiter philyras chartæ; quódque deinde esset ampliùs aliquid sibi placiturum. Atque ità fecit, consignando quæcunque illi acciderant, & accidebant, usque ad ætatem quinquaginta annorum, aut aliquantùm ultrà; quo tempore cùm ipsamet scribere non posset, eò quòd tunc esset vehementer infirma, ac debilis; ego, qui jam eram ipsius Confessarius, mortuo P. Petro de Leon, illi mandavi, ut scribenda dictaret cuidam probatæ virtutis Virgini Adolescentulæ, quæ ipsi convivebat. Id verò illa ægrè tulit, ob ingentem naturæ suæ resistentiam, abhorrentis à talibus cuiquam alteri patefaciendis, quàm Arbitro Conscientiæ.

XVIII. Et cùm in hac re esset remissior, vidit à dextris Christum Dominum, quasi duobus à se distantem passibus, qui valdè graviter, & instar redarguentis ipsi dixit: Quæ est hæc tua repugnantia, Marina, cùm, tam ex doctrina ordinaria, quàm ex mea illuminatione, scias, me velle, ut obedias tuo Confessario? Nunc verò ego intervenio, præcipiendo, ac mandando, ut id facias, neque ultra repugnes. Nunquid fortè nosti, qualia sint mea judicia, ac intentiones? Et quam ob causam, aut cur, seu propter quem tibi ex mea misericordia has gratias conferam? atq; an hunc in modum tecum forsan agam, quòd id merearis? an potiùs propter multorum aliorum, atque alicu-

alicujus ſpeciatim, bonum & emolumentum? ſuperſede hàc difficultate, Marina; obtempera tuo Magiſtro.

XIX. Non multò pòſt incepit dubitare, utrùm non committeret aliquem errorem in ſcribendis ſuis rebus, dixítque CHRISTO Domino: Cuperem ſanè vehementer, Domine, bonum paucis, & multa ſignificantibus verbis ſcribendi modum aſſequi; ſicut tu interdum meam animam edoces de tuis myſterijs: quod enim ſcribo, recenſendo miſericordias, quas mihi præſtas, multorum eſt verborum, videntúrque mihi iſtæ narrationes fuſæ. Audivit me Dominus, & penetravit cor meum, reſpondítque mihi quàm graviſſimè, quaſi interpoſitâ aliquâ morâ, quæ indicabat magnam majeſtatem: Non dicis bene, quâ namque ratione modum, quo te ego inſtruo, tibique dicto, qualiter te conſcribere oporteat meas veritates, ac myſteria, ac gratias, quas tibi præſto, vocas narrationes fuſas? depone iſtam ignorantiam, & ſimplicitatem, ac tace, & obedi.

XX. Iſtà CHRISTI Domini reſponſione indicatur id, quod hæc ejus famula aliquoties mihi aſſeruit, ſæpe ſibi ab illo inſpiratum fuiſſe, & quaſi dictatum, quod ſcribebat, nè verbo mutato, in rebus majoris momenti, quas ſuggerebat ſcribenti; quod ſi quandoque evenit, ut non meminiſſet, quid acciderit, dum tamen ordiebatur ſcriptionem, id ipſi DEUS in memoriam exactè revocabat. Quando verò de re quapiam dubitabat, itáne ſe haberet, an ſecus, interrogabat de ea Dominum, vel aliquem aſſiſtentium ſibi Angelorum, qui illi eximebant dubium.

XXI. Tanto porrò tenebatur deſiderio non aberrandi à verò, ut aliquando dixerit DEO: Si tu velles, libenter dicerem meo Patri ſpirituali, cui committis mea ſcripta, ut omnia, quæ in illis reperiuntur, & quæ ipſi non integerrimè ſatisfaciunt, deleat, laceret, ac deſtruat. Reſpondit autem ei Dominus ſvaviter, & graviter illam corripiens: Dic age, Marina, quis te Dominam

minam conſtituit rei non tuæ, ſed meæ, quam ità velis, jubere deſtrui, ac aboleri? nunquid forſan plus es, quàm miſerabile meæ potentis manûs inſtrumentum? tace & relinque iſta, quæ ego facio pro meo beneplacito, ac providentia, & obedi, nullo verbo dicto.

XXII. Sic Anima ipſius reprehenſa fuit, & convicta, ut faceret, quod illi à Deo præcipiebatur. Hoc audito, incepit dictare, quæ ipſi denuò eveniebant, alicui ſuarum contubernalium, vel ſuis Confeſſarijs; brevi tamen adeò debilitata decubuit in lecto, ut illam oportuerit eſſe contentam, rerum ſuarum mihi rationem reddere oretenus, quas ego conſcriberem. Cùm autem ego etiam propter meos graves, & continuos morbos illi non poſſem adeſſe, paucis vicibus hunc defectum ſupplevit Pater Frater Andreas de Ponte, meus germanus, ex Ordine Sancti Dominici, Vir magnæ virtutis, zeli & ſpiritûs, qui magnâ charitate, ac diligentia, per plures annos illam bis intra ſeptimanam adibat, ut exciperet ipſius confeſſionem, & propter alia, quæ ei committebat: eâque occaſione, me volente, illi referebat, quæ ipſi cum Domino acciderant; ille verò omnia fideliter conſignabat, ac deinde ipſi exhibebat, ut diſpiceret, an aliquid addendum exiſtimaret, vel omittendum; atque ità correcta mihi tradebat, & ego eadem cum ipſa conferebam, ac iteratò corrigebam.

§. III.

Jubet CHRISTUS Dominus Confeſſarium è Societate JESU hæc ſcripta diſponere, ut ſuo tempore evulgentur.

XXIII.

POſt hæc intellexi ex revelatione Marinæ, Dei voluntatem eſſe, ut Societas, atque ſpeciatim ego (donec viverem) utpote ipſius Confeſſarius, haberem curam earum chartarum, ut redigerentur in ordinem, & ſuo tempore evulgarentur: at-

que à Sancto Patre Nostro IGNATIO, jussa fuit mihi dicere, ut hoc facerem, tanquam si ad me unicè spectaret, quemadmodum spectabat; sciremque esse partum domesticum: quibus ultimis verbis significavit à Domino DEO assumptam fuisse Societatem pro instrumento ad conferendas illi has gratias, atque ut ipsa illam suâ educaret doctrinâ, & institutione.

XXIV. Habitâ hâc monitione cœpi dubitare, bonúmne foret, statim hac de re agere, priusquam me è medio mors tolleret, quæ continuè meis oculis obversabatur: & quia id procrastinabam, Dominus in vigilia Sancti Petri anno 1614. (qui ætatis Marinæ erat sexagesimus) gravi & imperiosâ voce illi dixit: Audísne? jam est tempus, ut redigantur in ordinem, quæ tibi contigerunt, & gratiæ tibi à me præstitæ. Dic tuo Confessario, ut id citò faciat, ac si tibi vel ipsi paulò pòst esset moriendum: hoc enim statuto tempore eveniet. Isto monito, & judicio gravissimorum Patrum Societatis permotus, accinxi me ad opus quàm secretissimè, donec adesset tempus illius publicandi; quod esse consvevit post mortem personæ, cujus gesta conscribuntur.

XXV. Et quantumvis id exequi fuisset facilè, si secutus fuissem ordinem, quo suas ipsa res conscribebat, vel dictabat; quia tamen omnia erant indigesta, transiliebat enim ex his ad alia, & quædam interrumpebat, ut ad prorsus diversa transiret; judicavi è majore DEI gloria futurum, si assumerem aliquem modum, quo clariùs, ac distinctiùs exponeretur excellentia, & sublimitas mysteriorum nostræ Fidei, ac mirabilium operum, quæ Divina Majestas in ista sua Famula, & per illam operata est, etsi quandoque non haberetur ratio ordinis temporum, ubi illum sciri parùm referret: semper tamen fui sollicitus, ut non recederem ab ejus stylo, & verbis eò, quòd mihi viderentur ipsiusmet esse DEI, & ex ejusdem inspiratione magis genuinè manifestarent mysteria, quàm alia, quæ visa fuissent elegantiora; dem-

demptis etiam nonnullis, quæ ipsa adjungebat, ac repetebat, ut se magis aperiret, vel declararet repugnantiam, quam sentiebat, in acceptandis adeò insvetis gratijs, donec adigeretur ad illas admittendas.

XXVI. Quas equidem repugnantias repeto sæpius, ut sint instar theriacæ, seu antidoti, contra venenum, quod solent haurire Tirones, & imperfecti ex lectione hujusmodi revelationum, dum similium vana concipiunt desideria: quod non facient, videntes Venerabilem Marinam se ità illas recusando, cautéque admittendo, dignam reddidisse, ut eas consequeretur, dum conaretur pro viribus viæ communi, ac tritæ verarum ac solidarum virtutum insistere.

§. IV.

Partitio primæ Partis hujus Historiæ in sex Libros.

XXVII.

QVapropter contenta in hac Historia, quæ sunt innumera, neque minus proficua, quàm gloriosa, redigemus in sex libros.

Primus Liber comprehendet extraordinarias vias, quibus illam Deus duxit, combinatas ex admirandis favoribus, horrendis cruciatibus, & eximijs virtutibus; quæ tria hujus vitæ Sanctitatem reddunt undequaque absolutam, ac perquam stabilem; secundùm illud dictum Ecclesiastis: *Funiculus triplex difficile rumpitur;* quia favores, ac dona, absque crucibus, facilè consvevit vincere superbia, præsumptio, & vana gloria; cruces autem, ac tormenta, sinè gratiarum solatijs, nullo negotio præcipitant in impatientiam, tædium, & pusillanimitatem spiritûs; & virtutes absque prædictarum duarum rerum mixtura nunquam sunt solidæ, nec robustæ, neque bene probatæ; ideóque facilè illas superat pigritia, ac tepiditas cordis. Quando verò omnia tria sunt conjuncta, constituunt Sanctitatem excel-

lentem, & quasi inexpugnabilem. Atque hæc tria generatim erunt argumentum istius primi Libri, qui exhibet specialium rerum fundamenta, quæ singillatim referuntur in sequentibus Libris.

XXVIII. *Secundus* Liber erit de admirandis revelationibus, quas habuit de mysterijs nostræ Redemptionis, &c.

Liber *tertius* est de admirabilioribus revelationibus spectantibus ad mysteria Divinitatis, & Trinitatis Divinarum Personarum, &c.

Liber *quartus* complectitur speciales revelationes, quas habuit de officijs, & excellentijs Angelorum Custodum, ac Sanctorum, &c.

Quintus Liber erit de rebus memorabilibus, quibus juvit animas purgatorij, & promovit salutem proximorum &c.

Denique Liber *sextus* erit de heroica ipsius Perfectione, &c. Hactenus Introductio.

XXIX. Ad calcem verò totius Libri primi sic Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte concludit, & scribit: Sic finem imponimus primo Libro, qui est *Summa* quædam trium rerum, quas complexa est via extraordinaria, quâ illam duxit Dominus noster, contexta (1) miris favoribus, & delicijs: (2) terribilibus cruciatibus, & termentis: (3) non sinè illustribus virtutibus, quas inter elucebat illa profunda *Humilitas*, & cognitio vilitatis suæ: *Obedientia* exactissima ad nutus DEI, suorumque Angelorum, & Confessariorum: *Zelus* ardens salutis animarum: continua *Oratio*, & tractatio cum DEO, à cujus præsentia nunquam recedebat: insignis *Patientia* in suis necessitatibus, infirmitatibus, tormentis, & veluti martyrijs, quæ de manu DEI, operâ Angelorum, dæmonúmque patiebatur: atque hæc, ultra graves sui afflictiones, rigidas verberationes, frequentia cilicia asperrima, continua jejunia, aliaque genera pœnarum, quæ dum corporis vires utcunque sufficerent, sponte

te ſuſcipiebat, communicato conſilio cum ſuis Confeſſarijs; & exequebatur quantum hi permittebant accommodantes ſe ejus ardori tam flagranti; tametſi cum prudentia Chriſtiana. Hæc omnia declarabuntur, & magis patefient per ea, quæ ſingillatim referentur in ſequentibus Libris.

XXX. Concludamus hanc materiam ijs, quæ ad rem iſtam habet P. Henricus Lamparter in Vita Venerabilis P. Ludovici de Ponte, Lib. 1. cap. 8. §. 4. ſic loquens: Neque verò, Marinam de Eſcobar, Valliſoletanam Virginem, prodigio ſimilem, cavâ ſpecie imaginum, vel diabolicis præſtigijs deluſam fuiſſe, magnis argumentis Ludovicus collegit, quæ fuerunt, ſummus nitor, & caſtimonia mentis, & corporis cum horrore culpæ cujuſvis: maxima inter tantos favores cœleſtes animi demiſſio, quem nulla unquam gloria pulſabat, nec elatio: cogitatio ſemper abſque remiſſione intenta in DEI, magna cum tranquillitate, præſentiam: ingens cura, nè qua ſibi fraus diaboli ſubreperet; quo factum eſt, ut totis viribus obſtiterit his afflatibus, donec ipſi divinos eſſe certò conſtaret. Acceſſit ardens deſiderium patiendi multa DEI causâ, & in acerbiſſimis doloribus æquitas animi, & mirus conſenſus cum DEO: ſtudium vehemens alienæ ſalutis, & in miſerijs aliorum ſenſus tenerrimus: poſtremò cupido directionis alienæ, ut nihil quidquam ſuarum rerum celaret animi ſui moderatores, nihil ſuo ſenſu, judicióve auderet. Quæ omnia cum in iſta Virgine cumulata cernerentur, nulla potuit præſtigiarum, fallaciarúmve locum habere ſuſpicio. Cùm autem Ludovico per mortem ſibi erepto non parum doleret, ipſe illi de cœlo glorioſus adfuit frequentiſſimè ad eadem officia, quæ illi vivens præſtiterat, conſolando, dirigendo: donec eum poſt annos novem ſecuta eſt. nono die Junij 1633. CHRISTO cum innumeris Cœlitibus animam ipſius deducente: omni autem ordine funus ejus maximis honoribus proſecuto.

CAPUT XI.

Revelatio specialis de Excellentia Venerabilis Patris Ludovici in Magisterio spiritûs.

I.

PLanè admirabile, & omnem laudem humanam excedens est, quod habetur Parte 2. lib. 1. cap. 8. ubi Pater Andreas Pintus Ramirez, narrat ea, quæ post mortem Venerabilis Patris Ludovici contigerunt admirabili huic Virgini Marinæ: quam, ait, DEUS ad maximam suam Gloriam, nostro sæculo Virtutum statuit Exemplar, secuturis autem Divinarum Gratiarum Prodigium. Ibi ergo refertur, quòd Anno 1626. in medio Januarij, adeóque biennio ferè post mortem Patris Ludovici Venerabili Marinæ apparuerit CHRISTUS Dominus sollicitus de substituendo aliquo in locum Patris Ludovici eâtenus Directoris ejusdem magnæ Virginis; & nullum huic muneri parem invenerit, adeò ut ipsemet CHRISTUS Dominus munus hoc imposterum assumpserit.

Ubi & advertenda est Humilitas Patris Michaëlis Orenna, quicum Confessarij ac Directoris officium post mortem Venerabilis Patris Ludovici apud Venerabilem Marinam sustineret, bene advertit, in hac revelatione à DEO ipso declarari, quòd ipse muneri huic non esset par, nec sufficiens, qui in hoc succederet Venerabili Patri Ludovico; nihilominus tamen Revelationem hanc à Venerabili Virgine Marina sibi traditam non suppressit, sed in suam erubescentiam Mundo publicavit.

II. Sic autem habent verba ipsa Venerabilis Marinæ: Conspexi CHRISTUM Dominum delicium nostram, in specie duodennis Adolescentuli, comitantibus ipsum multis Angelis, qui illum adorabant eique inserviebant. Incedebat summam præ

se

se ferendo gravitatem, & amabilitatem, deambulans in quadam velut Aula: circumspiciendo autem huc & illuc, demonstrans solicitudinem, gravem sanctis suis manibus edidit gestum, dixitque: Non reperio, mi Pater, ullam creaturam, ullam personam, quæ mihi omnimodè sit apta, ut hujus Animæ necessitatibus prospiciat, eámque consoletur; non reperio, Pater mi, nec ullum possum exquirere. Dum hæc admiranda verba audirem, & judicarem mihi nihil quoad id deesse, de quo Dominus loquebatur, & querebatur, atque omnia mihi in rebus tam spiritualibus, quàm temporalibus abundè suppetere, obstupescebam, & recurrebam sæpius cum solitis meis timoribus ad magnum DEUM nostrum, rogando illum, ut me illustraret, daretque mihi lumen, ad percipiendas suas veritates. Sacratissimus verò ille Adolescentulus non cessabat prædicta iterare, & eosdem edere gestus cum Summa Majestate. Tandem vidi, quòd arcano modo ascenderit ad cœlum, & prostratus coram suo Æterno Patre eadem cum magna reverentia repetierit, indicans dolorem, ob non repertum id, quod optabat. Divina Majestas est illum intuita cum singulari complacentia, & amore, suámque ipsi impertiendo sanctissimam benedictionem respondit: Bene dicis, fili mi dilectissime, bene dicis. Et conversus ad me, dixit mihi: Veni jam huc Anima mea, veni huc, & respice ad illum in meo cœlo locum. Ego non potui tergiversari, & obtemperando conjeci oculos ad eum locum, quem mihi DEUS designabat. Vidi ibi gravissimam quandam personam, & intellexi ipsam esse prædicam sublimi spiritu, minimeque vulgari virtute, atque majestate, & sapientiâ, nec tamen mihi manifestabatur, quisnam esset. Dum hærerem attonita, dixit mihi Divina Majestas: Anima, spectabilis hæc persona, quam illic vides, erit tuus Dux, tuúsque Instructor, & Adjutor tuus in rebus omnibus, docebitque te omnes lingvas. Obstupescens his auditis, respon-

ſpondi humiliter, & verecundè: Mi Domine, tu es meus DEUS, meus Dux, mea Lux, & meus Magiſter; quomodo me alteri vis committere? qua in re mea anima videbatur ſentire difficultatem. Verùm idem Dominus DEUS noſter me eſt conſolatus dicendo: Ità eſt, Anima, & erit ſicut dicis: modò autem non intelligis, quo colimem ſic tecum agendo, donec tibi id magis aperiam, ac declarem.

III. Poſt quinq; dies declaravit ei Dominus myſterium, quòd Perſona illa eſſet ipſemet CHRISTUS Dominus, Filius DEI, qui ei tandem dixit: Anima, ego ſum tuus Dominus, tuus Dux, & tuus Magiſter. Ego ſum ille, quem videbas quaſi perſonatum, ut propterea obſtupueris, fuerisque perplexa & attonita. Quid autem præterea eâdem occaſione ei declaratum ſit, videri poteſt loco citato.

TRA-

TRACTATUS TERTIUS.

De Sanctitate Vitæ, nec non de altissima Scientia Ascetica, ac Spirituum Discretione VEN. VIRG. MARINÆ DE ESCOBAR.

Prologus.

INter Regulas examinandi veritatem Revelationum, allegavi Tractatu primo ex Præclarissimo illo Viro Alphonso Episcopo Giennensi, ùt & ex Doctissimo Joanne Cardinale de Turrecremata, esse etiam Vitam & Sanctitatem, bonam & piam mortem, nec non miracula Personæ illius, cui Revelationes factæ esse dicuntur. Res ergo ipsa exigit, ut ostendamus hæc omnia in gradu planè excellenti fuisse in Venerabili Virgine Domina Marina, adeóque hoc signum veritatis ejus Revelationum ei non defuisse. Et verò tantò id libentiùs faciam, quòd Viri aliqui graves, scientijs, Prudentiâ, experientiâ valde illustres, mihi fassi sint, se post perlectam primam Vitæ, hujus admirandæ Virginis Partem à Ven. P. Ludovico de Ponte conscriptam, de veritate harum

 Reve-

Revelationum adhuc hæsisse perplexos, donec secundam quoque ejusdem Vitæ Partem à P. Michaële de Orenia, Venerabilis P. Ludovici in confessionibus mirabilis hujus Virginis audiendis successore collectam, à P. Andrea Pinto Ramirez dispositam & editam perlegissent, in qua visa tam stupenda altitudo Sanctitatis Venerabilis hujus Virginis, intellectui eorum omnino persvaserit, non posse esse diabolicas illusiones, & falsas apparitiones ac revelationes Personæ tantorum apud DEUM meritorum. Nempe in secunda illa Vitæ Parte, post felicem jam Venerabilis Marinæ obitum, securiùs, & liberiùs Sanctitas ejus & stupendæ Virtutes vulgabantur, tam beatâ morte jam consummatæ; quas eâ adhuc superstite, cautiùs, & circumspectiùs enarrandas prudentia Venerabili P. Ludovico persvadebat.

Seligam autem solummodo pauca ex immenso cumulo Sanctitatis ejus, quasi ex mari paucos congios, cùm non solùm sint tanta, & tam multa, quæ in Vita ejus sunt consignata; verùm etiam plurima se omisisse ipsimet Conscriptores fateantur, ex quibus etiam aliqua in alijs libris, ùt & in informationibus, & processibus pro ejus canonizatione reperiuntur: ac deniqne P. Michaël de Orenia ejus Confessarius, qui Funeri ac Exequijs præsens aderat, Panegyricas tot præclarissimorum Concionatorum audierat, non dubitavit tamen pag. 409. in 2. Parte Vitæ illius lib. 3. c. 2. sequentia verba asserere: ***Sed quidquid dictum fuit, ac dicetur in justis funeribus & exequijs, quibus illi quidam seorsim & Viri Nobiles, & Communitates volunt parentare, nihil est comparatione multorum, quæ dici possunt.***

Nec potuit esse aliud: cùm enim Viri ascetici asserant (nempe ex propria etiam experientia) in Anima cujuslibet Sancti majorem reperiri varietatem, quàm sit rerum materialium omnium in toto mundo; quantam necesse est, fuisse in hac sanctissima Anima, quæ à præsentia DEI non recessit tanto vitæ suæ

suæ tempore per annos prope octoginta, tot millenis vicibus cum sanctis Cœlitibus, cum Sanctissima Cœli Regina Matre DEI, & cum ipsa Divina Majestate tam familiariter conversata. Dividam autem Tractatum itidem, ùt de Venerabili P. Ludovico feci, in partes duas, quarum Prima Virtutes ejus, ac Sanctitatem; altera Scientiam asceticam, ac Doctrinam de discernendis spiritibus, ac Revelationibus, reliquámque Prudentiam & Lumen spiritûs complectetur.

PARS PRIMA.

Vita, & Sanctitas Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar.

CAPUT I.

Ortus ejus, & Ætas prior.

I.

VEnerabilis Virgo Marina nata Vallisoleti (quod olim *Pincia* dicebatur) Anno 1554. die 8. Februarij, filia fuit Jacobi de Escobar Juris Doctoris, & Margaritæ Montanæ, filiæ Bernardini Montanæ, qui fuit Protomedicus Caroli Quinti.

Cùm Pater ejus pijssimus tres jam haberet filias, instantissimè à DEO (non tamen absque resignatione in ipsius voluntatem) masculam prolem petebat: sed internam sensit DEI vocem futurum, ut si illi filios negaret, daturus esset filiam plus ei allaturam emolumenti, quàm multi adferrent filij, & cui esset insignes præstiturus gratias. Nata igitur est hæc quarta filia, mansvetâ & svavi indole, ingenio docili, & prompto ad imbibenda

bona documenta: apto intellectu ad quidlibet condiſcendum; præclarâ memoriâ; judicio pacato & moderato cum naturali modeſtia & gravitate. Sed ſpecialiter placuit DEO dare illi naturam mirè verecundam, & vehementer in rebus proprijs meticuloſam; ità ut hic metus fuerit ei inſtar fræni, nè evaneſceret, nève ſibi fideret; ac ſimul inſtar calcaris, ut confugeret ad DEUM pro auxilio. Fuit præterea prædita ſingulari propenſione ad virtutem & pietatem.

II. In quanto autem periculo fuerit conſtituta adhuc intrà uterum Matris à diabolo, qui jam tunc præſagiebat, quanta eſſet futura ſerva DEI, eámque oderat, narravit illi ipſi jam ſeptuageſimum vitæ annum prætergreſſæ Divina Majeſtas his verbis: Oſtendi tibi limbum parvulorum, quibus multùm es compaſſa, ut te admonerem, quòd te liberaverim ex gravi periculo intrà uterum tuæ Matris, ubi te diabolus voluit enecare, conando te ſuffocare, ut devenires ad eum locum; atque ut mihi gratias ageres, pro præſtita tibi tunc à me gratia. Quo in loco (Parte 2. lib. 2. c. 28.) ſubdit Venerabilis Marina: quando mihi id à Domino fuit dictum, venit mihi in mentem, quod mihi mea Mater ſæpe narraverat, ſe, dum me pariebat, in ſummo verſatam fuiſſe diſcrimine, tantúmq; non extinctam. Addidit præterea tunc Divina Majeſtas: dæmon te in tua infantia voluit ex ſat alto loco præcipitem agere, & ego illum cohibui, nè id exequeretur. Paulò pòſt voluit tibi diabolus perſvadere, ut deſilires ex feneſtra, dicendo tibi eſſe ibi viciniſſimam terram, téque non lædendam.

III. Cùm eſſet unius ac dimidij anni, abduxit eam Marina Avia paterna in civitatem Roderici, ubi quædam ejus Patris ſoror eam ſpeciali curâ Chriſtianæ Doctrinæ rudimentis imbuebat. Cum attigiſſet vigeſimum ætatis menſem, DEUS illi dignatus eſt accelerare uſum rationis, ut Decalogi præcepta diſcere incipiens ſpecialiter expenderit primum: ſublatiſque ad

cœlum oculis interrogabat magno affectu, suam illam Amitam quidnam esset DEUM super omnia amare? Illa verò respondente, esse magis DEUM, quàm suum Patrem & suam Matrem, ac suam Amitam, & quam reliqua omnia amare; iterabat frequentissimè ipsa apud se hæc verba: amo DEUM magis, quàm meum Patrem, ac Matrem, & quàm Amitam, quámque reliqua omnia. Quin & sæpe dicebat: amo DEUM super omnia, & nihil magis, quàm illum, sed neque ità sicut ipsum. Hinc exquirebat abditos domûs angulos dicens ad DEUM: ibo ad solitudinem quæsitum te, Vita mea.

IV. Vitabat alias puellas, in quibus si quod peccatum adverteret, tenerè illacrymabatur, propter offensum eo, tantopere sibi dilectum DEUM. Quadrimula habitabat cum sua Amita quatuor à civitate Roderici leucis, in quodam loco dicto Robleda, ubi domum ejus præterfluebat rivulus, ultrà quem erat pratum. Accessit puella ad rivulum, & aspiciens versùs pratum intrà se dixit: volo transire istum rivulum, ut ibi quæram DEUM meum. Cúmque jam elevavisset pedem, ut ingrederetur aquam, dixit illi DEUS: Quid agis puella? exspecta quò vadis? Cui ipsa: volo quærere DEUM meum. DEUS verò respondit: ego ipse sum DEUS, quem tu quæris, & qui te priùs quæsivi; veni mecum. & deductam usque ad domum Amitæ reliquit in introitu portæ. Jam tum cæpit multis CHRISTUM Dominum venerari precibus; precatoriâ Coronâ Beatissimam Virginem, atque alijs orationibus alios Sanctos. Quin & supplicare pro Animabus Purgatorij, & existentibus in peccato mortali.

V. Nono anno ætatis completo domum ad Parentes redijt, ubi statim cœpit eam DEUS expolire pro extraordinarijs gratijs futuris, permittendo, ut varios in via virtutis prosperos & adversos experiretur casus, nunquam tamen, ut in aliquid grave scienter laberetur. Scrupulis etiam mirè fuit exagitata usque

ad periculum insaniæ, per annos ferè quatuordecim, usque ad annum ætatis 28. Tum se tradidit magnâ diligentiâ orationi mentali, ità ut etiam in ea noctes diebus conjungeret, partim magna in ariditate, partim ab omnibus dæmonis infestationibus, & scrupulis libera. Præsertim circa Passionem Domini, ut apud CHRISTI Domini Crucifixi pedes ejus essent deliciæ; non sinè profectu animæ. Pridie Sancti Michaëlis dum iret cubitum, apparuit ei improvisò CHRISTUS Dominus eâ figurâ, quâ Pilatus eum ostendit populo, dicens: *Ecce Homo*. Hanc novitatem ipsa admirans, vix potuit totâ nocte dormire, accensa tanto illius Domini amore, ut non posset cor & animam aliò avertere. Unde postridie adhuc stupens & ardens amore CHRISTI Domini, cùm à Matre secum ad spectandas in foro nundinas esset abducta, ipsa quasi nec videns, nec intelligens, quid secum ageretur, primò demum in foro inter tantum populum & strepitum, quasi excitata, vix scivit, quomodo illuc devenerit; ità præ Sancto illo intrà animam amore, habuit sensus exteriores veluti sospitos.

VI. Posthæc in morbum lapsa gravissimos dolores amore Domini libenter toleravit, & ter à febri eodem momento, quo Venerabile Sacramentum sumpsit, statim sanata est. Nihilominus dæmon sub specie virtutis, quasi orationis mentalis usui multa & magna subessent pericula, ei post diuturnam luctam persvasit, ut ex proposito orationem, quæ est animæ cibus, desereret. Ex quo in varias miserias prolapsa, etiam suis domesticis molesta, pacem animæ amisit, plena anxietate, ex insultibus iræ & melancholiæ, omissis suis consvetis devotionibus, ut nec libenter audiret conciones, confessionem diutiùs differret: videbatúrque illi impossibile emergere ex illo pelago miseriarum. Gemebat tamen ad DEUM, optans iterum illum statum tranquillitatis pristinum, dicendo cum lacrymis: quid est hoc mi Domine? quis me perduxit ad tam lugubrem & misera-

ſerabilem ſtatum? In hunc modum vixit circiter quinque annis. His elapſis, anno ætatis trigeſimo tertio reſpexit eam, & ex illa miſeria extraxit DEUS, diſponendo durum cor ejus pro favoribus, quos ei conferre ſtatuerat. Cæpit igitur in Quadrageſima experiri novum guſtum, ac deſiderium audiendi Conciones, qualibet feriâ ſextâ de Paſſione Domini, cujuſdam Patris è Societate JESU, cum magno ſuo fructu, ut cor indies illâ divini Verbi medicinâ magis magiſque mollefieret, præſertim cùm ipſemet Dominus DEUS aliquas occaſiones & impedimenta ei abſtulerit. Unde orti ſunt in anima ejus quidam guſtus ac ſenſus, & cognitiones DEI, ex ipſius mirabilium operum intermicantibus repentinis irradiationibus, ut ſæpe obſtupeſcens quaſi à ſenſibus alienaretur, cognoſcendo res tantas de magnitudine Perfectionum & Attributorum divinorum.

VII. Narrat ipſa ſe ſub hæc initia fuiſſe inſtar cujuſpiam rudis ruſtici, qui ad palatium Regis admiſſus, conſpectâ tantâ magnificentiâ nunquam viſâ, ſtuperet ad omnia, & perluſtrando interrogaret: quidnam hoc eſſet? quid illud? Hinc jam occupata divino amore cæpit ſui oblivisci, & tota ad dilectum ſuum DEUM anhelare, non ſinè ſolatio Confeſſarij ejus Patris Didaci Perez ex Societate JESU; qui tamen tunc mortuus eſt relictâ Venerabili Virgine multùm afflictâ à reſurgentibus quibuſdam ſcrupulorum reliquijs, donec poſt octo circiter ſeptimanas ſtabilem rurſus conſcientiæ ſuæ Arbitrum elegiſſet, Patrem Franciſcum de Lara Societatis JESU, nonnihil auſterum: qui tamen juſſit illam bis intrà ſeptimanam, & quandoque ſæpius ſacrâ Communione refici, cùm anteà ſoleret ordinariè octavo tantùm die.

VIII. Hoc divino epulo tantopere fuit corroborata, ut jam eſſet diſpoſita ad ſufferendas amore DEI cruces, nec eas ampliùs recuſaret: propterea Confeſſarius videns eam ità confortatam, cæpit eam variè mortificare & humiliare, quandoque

eam

eam repentè privando sacrâ Communione, nec causam explicando; severè reprehendo de eo, quod ipsa nec fecerat, nec cogitaverat: abigendo eam quandoque ex sua sede confessionali tanquam inobedientem, superbam, cum vehementi cordis ejus per aliquot etiam dies cruciatu: quem Patrem tamen ipsa per amorem DEI obsecrabat, ut eam reciperet, quia propter fructum, quem ex ejus institutione capiebat, desiderabat illum retinere à confessionibus, donec DEUS aliud statuisset. Quâdam vice mortificavit eam tribus mensibus, reprehendendo quotidie ùt ream (etsi esset innocens) negando etiam quibusdam diebus, aut ex alio in alios dies transferendo Sacram Communionem adeò, ut notabiliter ipsa ex his afflictionibus debilitaretur. Nè tamen illi in spiritu noceret, solabatur eam prædictus Pater explicando se ea adhibere ad promovendum majus animæ ejus bonum: eámque collaudando, quando aliquid grave toleraverat. Denique in longum & gravem morbum prolapsa, multas diversas, arduas passa est molestias, in quibus Pater Confessarius eam invisendo multum juvabat, & consolabatur.

IX. Quatuor annis sub hoc Patre elapsis, quamvìs non ampliùs tantopere ab eo mortificaretur; nihilominus ex verecunda sua natura etiam eum ità timebat, ut non auderet illi reddere prolixam statûs animæ suæ rationem; etsi adverteret hoc sibì opus esse, ut omnia fusiùs cuipiam exponeret, qui eam diutiùs audiret. Allocuta ergo est Patrem Petrum de Leon ejusdem Societatis, Virum svavioris naturæ, & magnæ charitatis, cui etiam Divina Majestas contulit peculiare lumen ad eam & res ejus intelligendas: donec tandem consilio etiam gravium Patrum valedixisset Patri Francisco de Lara, eóque factum hoc probante cœpisset confiteri Patri Petro de Leon, qui cœpit eam regere cum extraordinaria solicitudine: cui ipsa exactissimè obediebat, non prætereundo vel minimum quid, quod intelligebat ipsum velle; firmâ fide adhibitâ ipsius dictis, nè erraret,

&

& sic se conformando in omnibus voluntati DEI, cui desiderabat viribus omnibus placere.

X. Sic ergo Divina Providentia dabat illi semper Confessarios aptos ad regendam ejus animam in statu, in quo tunc erat constituta. Quando igitur incipiebat incedere viâ novâ mirabili ac extraordinariâ, adeóque secundùm se periculosâ ac difficili, tunc datus est illi iste Pater Petrus de Leon, qui perspecto jam aliquantùm bono spiritu, quo Venerabilis Marina agebatur, faciliùs eam dirigebat. Hanc specialem suam de ea providentiam revelavit ei ipsamet Divina Majestas posteriori tempore, quando in visione quadam huic ejus Confessario sic, eâ audiente locutus est: *Animadverte, tradidi tibi istam, ut tua sit: habe illam, ut talem, & custodi atque consolare ac gere ipsius curam.*

CAPUT II.

Ætas ejus posterior.

I.

EXcitavit tunc DEUS in ejus Anima desidesia ardentia, ut ex intimis præcordijs amaret DEUM, & investigaret, ubi eum reperiret, suspirando diu noctúque: ubi es Bonum meum & quies mea, quia tui desiderio emoriar? ubi moraris cor meum? ubi te quæram & inveniam infinitum Bonum Animæ meæ.

Cùm ergo DEUS hanc suam famulam jam videret bene dispositam, statim applicuit manus operi, quod proposuerat in illa operari; facto initio ab apparitionibus in somno. Somniavit ergo, quòd concitato passu, & quasi fatiscens, atque anhela quærendo CHRISTUM Dominum, obiret quoddam claustrum, & sacella cujuspiam monasterij; & sic ex improviso viderit ac invenerit CHRISTUM Dominum affixum cruci, lamentabiliter quidem, sed ut simul accenderit vehementem sui amorem; atque ideo sinè ulla mora cucurrerit ad amplexandos sacratissi-

mos ejus pedes dicendo: *Ubi eras Bonum Animæ, & cor meum, quòd te non invenerim? quærebam ego te omnibus meis viribus, & non te videbam: ubi te abdideras, dic, Bonum meum infinitum?* Dominus amantissimè ostendebat sibi non displicere, quòd ipsius pedes tanto amore stringeret. Expergefacta retinuit ardentissimos affectus erga Dominum, quem viderat, firmissimè statuens derelinquere amore ejus universa.

II. Aliâ vice somniavit, se in quodam cubiculo domûs suæ reperisse puerulum duorum vel trium annorum, quem existimaverit esse CHRISTUM Dominum, & mox cucurrerit ad ipsũ & sublatum in ulnas amplexata sit & osculata, ei blandiendo, donec menti occurreret puerulum illum esse DEUM: quo consternata subitò ipsum deposuerit humi; & sic fuit expergefacta. Postridie dum jam sumptura esset sacram Communionem, videbatur illi puerulus ille amplecti ejus Animam. Unde tanti affectus amoris fuerunt in ea excitati, ut putaverit se jam morituram; ídque triduo vel quatriduo duravit. Hæc somnia fuisse à DEO certum est, quia hos divini Amoris affectus, nec natura nec dæmon potest excitare. Post hæc incæperunt apparitiones in vigilia tam frequenter, ut DEUS aliquando illi dixerit, non esse multum, si quotidie semel invisantur amici; prout referuntur expansè in duobus voluminibus vitæ illius scriptis à Venerabili Patre Ludovico de Ponte, & à P. Andrea Pinto Ramirez, cui materiam præparatam reliquit P. Michaël de Orennia.

III. De his suis initijs scripsit illa: Ex eo tempore cœpi rejicere, ac deserere ex corde omnia propter hunc Dominum, & odio me ipsam prosequi, ac amare Divinam Majestatem ex omnibus viribus meis, optando & satagendo, ut in omnibus exequerer ejus voluntatem, útque honorarent illum, & ipsi servirent omnes creaturæ. Quo factum est, ut illius gratiâ adjuvante pervenerim ad eum statum, ut jam non in me, sed in CHRISTO Bono ac Domino nostro viverem, amando quàm possem maximè,

ximè, quod ipse amat & abhorrendo similiter ab eo, à quo ille abhorret, idque sine difficultate & repugnantia; jam enim caro quasi subjecta est spiritui, nec fertur vel propendet magis in quidquam aliud, quàm in id, quod ille vult. Et quamvis verum sit me deinceps passam fuisse aliquam tentationem diaboli, nulla tamen earum est fundata in passionibus immortificatis carnis & sangvinis, sed proveniunt à fraudibus inimici, qui cum strepitu armorum, ac tumultibus vult quasi extrinsecus animam invadere Deo id ex incomprehensibilibus judicijs permittente. Iste est status, in quo me Dominus Deus per suam tantam misericordiam modò tolerat, & ego fruendo istâ pace & quiete, amandóque Deum ex toto corde, & omnibus viribus, velut oblita omnis rei, quæ non est ipse, & omnem in illo spem reponens, vivo simul in magno timore, metuens ac timens in omnibus meis operibus, & verbis, & cogitationibus, dum semper omnia perscrutor, nihilque prorsus mihi ipsi fido, sicut qui semel iterúmque incidit in dentes lupi, didicit vivere cum timore, ac solicitudine.

IV. Ab eo statim tempore incœpit se illi spectandum exhibere Angelus Custos in specie decennis pueri, mirè formosum, ac splendidum, & candidâ veste indutum, præseferens in vultu magnam honestatem & potentiam. Reliqui Angeli agebant cum ipsa modo quodim humano, sicut amici solent: ille verò cum imperio & tanquam hospes domûs ingrediebatur & egrediebatur, exequebatúrque universa pertinentia ad salutem animæ ipsius, quæ prudens aliquis, amans, ac solicitus Pædagogus potest ac debet agere cum puero, cujus curam gerit. Procedente tempore, cùm miseriæ, infirmitates, ac dolores ejus augerentur, dedit ei Deus circiter quadragesimo quinto ætatis anno alios quatuor Angelos, qui ei aspectabiles assisterent; id quod ipsa humiliter imputabat suæ imbecillitati, quod alijs hominibus sufficeret unicus Angelus Custos, ipsa autem tot custodibus indigeret.

 V. Dein

V. Dein addidit illi DEUS in ſpecie bimuli pueri Angelum alium. Ac tandem alios quinque Angelos, qui admirabili modo ſemper cum ipſa verſabantur in cubiculo, quamvìs illos non ſemper videret, ſicut priores. Omnem admirationem longè excedunt immenſi, innumerabiles, inuſitatique divini favores ei poſtea totâ vitâ exhibiti, de quibus, cùm illa valde miraretur, (prout habetur 2. Parte Vitæ illius lib. 2. c. 28.) quòd DEUS ſecum, tam vili, & abominabili tam mira ageret, cauſámque hujus rei à DEO inſtanter rogaret, ac tandem diceret: dic mihi demum, mi DEUS, quod te interrogo, per te ipſum te rogo; tandem Divina Majeſtas reſpondit: Anima mea, magna profectò eſt tua interrogatio. Sciendum namque tibi eſt, quòd divina mea judicia ſint altiſſima & ſecretiſſima, quódque ego ſolus meâ æternâ ſapientiâ poſſim meipſum comprehendere. Nihilominus reſpiciens tuum ingentem purum, candidum ac ſincerum affectum, itemque amorem, quo erga te feror, volo te conſolari, tibique ad tuam interrogationem reſpondere, quantum à tua capacitate poteſt percipi.

VI. Vocavi te à principio tuæ primæ ætatis: & ſimul ac audiſti meam vocem ac vocationem, verè & efficaciter mihi reſpondiſti, ſicut ſcis: atque poſtquam te ad id diſpoſueram, ac dotibus non modò ſpiritualibus, ſed etiam naturalibus inſtruxeram, téque juvabam, & illuminabam per totum vitæ tuæ curſum, ſemper fuiſti cooperata progrediendo gradatim in fidelitate, & ſolicitudine, quæ tot meis debebatur miſericordijs. Sic Anima perveniſti ad ſtatum aptiſſimum, ut in te mea mirabilia operarer, tibique mea dona communicarem, quemadmodum tibi conſtat, & conſtabit deinde mundo. Ego te diligo, mihíque in te complaceo. Iſtud, Anima, eſt reſponſum ad tuum quæſitum. Nunc vale, & quieſce in me.

CAPUT

CAPUT III.

Humilitas Venerabilis Virginis Marinæ.

I.

VIxit Venerabilis Marina 79. annis, ad cujus obitum enarrandum priusquam accedamus, compendio enarrabimus virtutum ejus aliqua specimina, ut visâ ejus tantâ sanctitatis altitudine, manifestum fiat omnibus, quàm meritò sit Revelationibus ejus fides adhibenda, quantóque fundamento Venerabilis P. Ludovicus de Ponte tantâ veneratione sit eam, ejúsque visiones prosecutus.

Hoc etiam Lectorem admonitum velim, quòd sub finem hujus narrationis post funus & exequias sim daturus rursus aliud compendium Vitæ hujus mirabilis Virginis à Domino Francisco de Vinivela ex Concionibus funebribus de ea habitis concinnatum, quia eo loci illud collocare fuit magis opportunum. Nunc à virtutum fundamento humilitate exordiamur. Viæ, quâ eam duxit DEUS, Summa fuit, extraordinarij favores, extraordinarijs crucibus permixti, præsertim internis, minùs obnoxijs vanæ gloriæ: prout hæc fortunissima Virgo nunquam passa fuit tentationem vanæ gloriæ, præsertim cùm DEUS ei dederit profundissimam sui ipsius cognitionem, quæ illi erat locò crucis tam terribilis, ut temperaret abundantiam spiritualium deliciarum adeò, ut ipsa diceret, se, si hoc cognitionis propriæ tormento careret, victuram in continuo gaudio, sicut in cœlo.

II. Scripsit ipsa de se ad Confessarium sequentia: Dominus DEUS, pro sua infinita sapientia, indiderat meæ animæ pro ejus bono, tam profundam cognitionem mei ipsius, ut propter illam me tantopere & cum tali nausea, atque horrore omnium, quæ habeo, & in me interius, ac exterius deprehendo, vilipendam, ut sæpe mihi videatur impossibile, nisi me DEUS conser-

vet, ſubſiſtere cum tam gravi onere, quod me adeò opprimit, ac tam potenter compellit ad abyſſum meæ vilitatis & miſeriæ. Cùm autem ità me ipſam cognoſcam, frequenter me ipſa indignabundè ſic alloquor: Adeſto ſtolida, inconſtans & deſtituta judicio, ſterquilinium immundum, ac abominabile, quid agis? quomodo te geris? in quid aliud impendis omnes horas & momenta diei, quæ tibi concedit Deus, ut in illis ipſum ames, eique ſervias, quàm in committendos defectus, & multiplicanda peccata? Quomodo omnes decipis? Deum ſanè non latet, quod facis; vide ſis an hoc ſit verum; offendis omnes, præbeſq; illis malum exemplum, omnes affligis & vexas. Eritne tandem aliquis, inimica Dei, qui te aliquando exerceat, ſicut mereris? Propterea deſiderabam, ut me Deus puniret, ac ulciſceretur peccata mea, atque ut reperiretur quiſpiam, qui, ut mihi, & alijs benefaceret, me concluderet, & aliquò compelleret, ubi laterem: & inter omnes quaſi erubeſcebam ac pudefiebam, ità ut me ipſam ferre non poſſem. Conquerebar, quòd exiguam cognitionem haberem meorum errorum ac dicebam: Anima túne etiam me vis decipere miſerabilis? Ergóne non poſſum, neque ſcio mala, quæ à te ſuſtineo, aliter exponere, quàm ut, dum ijs tam graviter affligor, & illa volo explicare, ſim inſtar comœdi, qui dicturus videtur, aut facturus, magna, ac poſt omnia animadvertitur meram exhibuiſſe repræſentationem, & nihil ampliùs? ſic tu facis, quæ nec ſcis, neque potes dicere, ſicut ſe verè habet id, quod fit in tua anima. Et re ipsâ non eſt aliter. Cùm enim uſque adeò vera ſit noſtra miſeria, & vilitas; propria miſeriarum cognitio, eſt quædam comica iſtius veritatis, quæ exiſtit intra nos ipſos, repræſentatio.

III. Hoc agitur in mea Anima, & ſolus Deus poteſt dare cognitionem Intellectui, ac verba linguæ, ad explicandum modum, quo ipſe id facit, & exuſcitat iſtam crucem in Anima. Sicut enim præ mea ruditate non poſſum intelligere, neque exponere

po-

ponere admirabilem modum, quo Deus suâ infinitâ potentiâ res creat ex nihilo: scio tamen ipsius voluntatem sufficere ad quidlibet faciendum; ità nescirem dicere quomodo Divina Majestas id operetur in mea anima, ut in se est, & accidit, sed agnosco hoc ab ipso fieri. Nam licèt hæc omnia absque ulla fictione & exaggeratione sint vera, neque sit tantùm modus loquendi; nihilominus si me aliquis ex Reverentijs Vestris interrogaret: Tu dicis, quòd scandalizes omnes, & quòd illis præbeas malum exemplum, atque illos decipias, & fallas; dic ergo modò, si ità est. Fefellistíne, scandalizavistíne aliquem, & præbuistíne ulli malum exemplum? vel decepistíne quenquam verbo, aut opere, vel cogitatione, vel desiderio? ego verè responderem, nisi vellem mentiri: Pater, non, per Dei misericordiam! à cujus potenti & clementi manu nobis provenit omne bonum. Atque ista veritas replet magno solatio animam, redditque illam quietam & contentam. Cùm autem ità sit, quomodo possunt se compati, & conjungi hæ duæ veritates in speciem contrariæ? & quis sciet intelligere aut ediscere modum, quo Deus id facit, & conjungit has veritates, ità ut neutra illarum in ullo deficiat. Illud est secretum, & opus Divinæ Sapientiæ, quod Anima experitur, nec tamen lingva scit explicare: ac proinde Deo, qui hoc facit & intelligit, soli relinquitur, ac Animæ quæ idem experitur: mihi verò sufficit dicere utrumque esse verum.

IV. De hac re alibi lib. 2. c. 36. elegantissimam habet doctrinam in hunc modum. Anima, clarissimis divini luminis perfusa radijs, videt se ipsam tanquam in clarissimo speculo: videt suam naturalem miseriam, sua peccata atque defectus, ità ut illam nè minimùm quid hujus generis aut minutissima ulla atomus lateat. Aliunde illuminata à Deo, videt pro suo captu Immensitatem, Omnipotentiam, & Sapientiam cum cæteris perfectionibus illius infiniti Esse, atque unà, quomodo merea-

tur

tur ut ametur, & ipsi serviatur ob id solum quod Est. Horum veluti conspiciliorum ope, quæ ei Deus ipsius applicuit, procul & acutum cernens, quamvis ex natura sua cæcutiat, præclarè utrumque agnoscit, atque deinde sublimissimè videtur mutuò comparare: unde fit, ut illi levissima ipsius culpa, & minimus defectus dum cognoscitur commissus fuisse contra immensam illam Majestatem, tantus, adeóque deformis appareat, ut existimet esse montem insvetæ magnitudinis & horribile monstrū. Tale est illud spectaculum, ut Anima videatur extra se rapi. Incredibiles sunt affectus, & motus displicentiæ sui ipsius, quos hinc elicit, & in ijs solis invenit solatium: videtur namque sibi ab illis reduci ad locum, quem promeretur, ubi se deprehendit, quantùm ad ipsam attinet, quodammodo capacem esse omnium miseriarum, culparum, & peccatorum, quæ sunt reperibiles in omnibus creaturis. Est res admirabilissima, quomodo tunc advertatur hujus magni Dei Sapientia & Potentia, quòd hanc Animam ità illuminet, ut absque ulla sua ratiocinatione ob solam simplicem & acutissimam Dei atque sui cognitionem, indubitanter, & prorsus verè possit dicere, se esse omnium in mundo pessimam, & abominabilissimam creaturam.

V. Cùm hæc sint adeò sublimia, ut sive ductum sequendo humani Intellectûs naturaliter ratiocinantis, sive spectatis usitatis meditationis regulis, Anima difficulter possit dicere, qualiter id fiat, si interrogetur, aut quomodo intelligi queat ac verificari, quòd sit pessima creaturarum, siquidem scit, à se nunquam, per divinam misericordiam, commissa fuisse gravia peccâta, imò se totâ vitâ suâ anhelare ad majorem perfectionem, & amorem Dei, adnitendo omnibus suis viribus ac desiderijs, ut juvet suos proximos, quantum sibi est possibile: hìc non potest ulteriùs procedi. Infinita est Potentia, Sapientia, ac Amor magni Dei, & sicut scivit populo Israëlitico solum Manna condire, ut contineret saporem omnium ciborum, quibus singuli delecta-

lectarentur, ità etiam scit, dum cognoscitur, seque ipsum cognoscendum præbet, præparare animæ ferculum, in quo percipiat saporem omnium eorum, quæ sunt necessaria ad spirituale alimentum, & majorem ipsius profectum. Atque in talibus occasionibus vult, ut anima se sustentet profundissimâ humilitate, quin sciatur, unde in eo divino lumine,quo alitur,possit provenire iste sapor, qui facit, ut sibi ipsi sapiat, acsi foret pessima totius mundi anima.

VI. Ex omnibus gratijs tam mirabilibus sibi à Deo exhibitis proficiebat imputando eas suæ indigentiæ, ac tantæ imbecillitati, ut nisi Deus sic cum ea ageret, ipsa peritura esset, cùm tamen alij homines sinè tantis gratijs salventur. Ipsa de se sic narravit: agnoscens quid fuerim, & quid sim,ac fœtorem prodeuntem ex hoc sterquilinio, quod est intrà me, ità ut ego ipsa illum non possim tolerare, aut sufferre meos multos defectus, ac fragilitates, & malum exemplum, quod præbeo; erubesco & pudefio, vellémque omnes vitare, nè ullum scandalizarem. Video quoque totum, quod sentio, esse quasi nihil, ac veluti umbram respectu veritatis, & ejus quod est re ipsâ. Metuebam comparere coram Deo meo, eò quòd mihi Divina Majestas meritò diceret: quid fecisti? quantum tibi dedi, stolida, mente capta, & insensata? dedi tibi dona pretiosissima,ut cum illis mihi placeres, & tu mihi talia rependis lacerrimum mendicabulum miserabilis & absurda? Quomodo fuisti usa tot gratijs, quas à me accepisti? Tum nesciebam quidquam dicere, sed confidebam in miserationibus Dei mei. Unde illi ex intimo corde dicebam: mi Domine, noscitne me tua Majestas? videbatúrque mihi respondere: Ità nosco. Reponebam ego ac dicebam: heu me miseram? quomodo sum ausa huc venire, cùm sim tam immunda, & plena miserijs.

VII. Sciendum autem est eam,quando erat rapta & absorpta, fuisse quasi immemorem propriæ cognitionis de sua vili-

tate, utpote elevata à Divino Spiritu, ut amor purus & castus summopere ardens illam animaret ad acceptandum divinos favores, eisque fruendum. Cæterùm ipsa scripsit se cum tanta reverentia agere cum Deo, ut quando coram illo versabatur, contremisceret, velletque se intra terram abdere; amando nihilominus toto corde infinitam Bonitatem tanti Domini.

De profundissima sui ipsius cognitione & contemptu habet multa P. Ludovicus de Ponte Parte 1. lib. 1. cap. 7. Hinc proveniebat humillima illa reverentia, quà venerabatur Deum, ità ut magna cum ipso familiaritas, non pareret contemptum. Imò vel ideo ipsum magis æstimaret, quòd videret tantum Deum versari tam familiariter cum tam vili creatura. Quin & immersa huic abysso sui nihili videbatur sibi opus habere alio majori inferno, quàm sit is, quem Deus habet pro reliquis peccatoribus: & propterea Angeli ei dixerunt: etiamsi alij magni Sancti majora præstiterint opera pro Dei gloria eámque in hoc superaverint; nihilominus alios vicissim superari ab illa in eo, quòd se tam profundè cognosceret, ac despiceret.

VIII. Hinc etiam procedebat dolor & pudor, quem sentiebat, quando res admirandæ, quæ ipsi accidebant, spargebantur inter alios. Et propterea experiebatur, magnam difficultatem ac repugnantiam, in prodendis illis, quæ Deus ei manifestabat, & illam jubebat alijs dicere, conabatúrque talia ità proferre, ut non intelligeretur, quòd eas sciret ex revelatione.

Hinc etiam oriebatur, quod extremè refugeret omnia exteriora, quæ conciliant opinionem Sanctitatis apud homines, ùt est: pati raptus publicè, suspendi elevato corpore in aëre, vivere absque omni cibo, habere visibilia signa vulnerum, in manibus, pedibus, latere, & capite, atque alia hujusmodi, quibus non parvum subest periculum illusionum.

IX. Nomen *Ancillæ Domini* cordi suo infixum habebat intimè, adeò, ut conceperit desiderium efformandi cujuspiam annuli in-

insculptis in illo istis verbis: *Ancilla JESU CHRISTI mei Domini*, quem & illuminata à DEO, consentiente Patre Ludovico de Ponte fieri fecit, inseruitque minimo suo digito. Et cùm Angeli postea sæpiùs tum concinendo, tum aliàs eam vocarent Sponsam CHRISTI Domini, eos corrigebat, & humillimè rogabat, nè vocem illam unquam usurparent, sed ut se vocarent Ancillam.

Innumera sunt,, quæ sparsim de illius Humilitate habentur per totam partem primam à Patre Ludovico de Ponte conscriptam, quæ nimis prolixum esset hìc congregare.

CAPUT IV.

Mortificatio & Patientia Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar.

I.

MOrtificationum corporis usus proportionatus in hac Venerabili Virgine cæpit jam inde ferè à secundo tenellæ ipsius ætatis anno (multi namque testes, & cum bono fundamento, asserunt, acceleratum illi fuisse usum rationis, dum esset viginti, aut viginti duorum mensium) atque continuavit affligere suum corpus, toto tempore, quo non penitus fracta ipsius duravit valetudo, & quoadusque ipsi DEUS immisit morbos, per quos voluntarias afflictiones mutavit in dolores, longè magis penetrativos, & acutos, quibus à DEO expoliebatur. Quamdiu verò potuit, insolito se exercuit rigore vigiliarum, jejuniorum, ciliciorum asperrimorum, multarum flagellationum ad profusionem usque sangvinis, & rerum hujusmodi, uti erat imponere aliquid calceis, quo continuò pedes divexarentur.

Erat naturæ sangvineæ, & ardentissimæ; plerumque indigebat copiosiore aquâ, & hunc appetitum domabat, seu ità

hanc indigentiam defraudabat, ut multos consequenter dies summa cum molestia transigeret, nè guttam bibendo. Interula linea (quam ut suos falleret Parentes ac sorores induebat) illi tantummodo fuit velum ac tegmentum asperrimæ tunicæ è rudi panno, quæ à pectore usque ad pedes nudæ adhærens carni virgineum ipsius corpus discruciabat.

II. Diu abstinuit ab esu carnis & piscium, ac ab omnibus, quæ palato arriderent, eâ utens occasione, quod mensæ suorum Parentum non assidens, sed cibos numerosæ familiæ distribuens, poterat alijs minimè observantibus, nullo cibo degustato frequenter jejunare. Exibat postea coopertâ facie ad vestibula monasteriorum, immiscens se pauperibus mendicis, quibus meliora dabat ex ijs, quæ ei mendicanti obvenerant, & quandoque ab illis ipsis contemptui habebatur, quibus gratificabatur. Retinebat quosdam solùm bolos minùs appetibiles, quos libentiùs sumebat, asserens sibi eos esse instar sacrarum reliquiarum. Erat ex natura sua modici somni, & quædam socia illius jurat, auditam fuisse à se eandem Virginem, dum necessariâ aliquâ occasione diceret, quòd in ætate puellari multas horas continuas exegerit in oratione flexis genibus, itâ ut se loco non moveret. Lecti ejus deliciæ erant aspera sarmenta, donec eam Confessarius, visis illius morbis jussit mutare modum cubandi, & relinquere sarmenta ac lapidem, quo utebatur vice cervicalis.

III. Post annum vitæ ejus circiter 45. incepit in ea novo modo continuus status admirandæ Patientiæ in tolerandis horrendis doloribus per tres gradus: quorum primus est sustinere molestias æquo animo: secundus optare ex animo afflictiones: tertius gaudere in ærumnis, & exultare gloriando in cruce CHRISTI, amore illius tolerata. Et quidem tener ac svavis, & fervens DEI Amor illi interdum eam injiciebat aviditatem tolerandarum afflictionum, ut quidquid pateretur, ipsi videretur

mo-

modicum, aut nihil, tametsi re verâ esset multum, diceretque quàm cupidissimè ad DEUM: mi Domine & meum Bonum, estne possibile, quòd mihi nihil sit pro te patiendum? Verùm Dominus respondit: ità, pateris, sed non sentis. Illa nihilominus replicabat inquiens: aliquando mihi tua Majestas dixit; quid à me petivisti, quod tibi non concesserim? Quomodo ergo mihi non das, quod à te peto, dum tantopere desidero pro te pati? Et cùm nesciret, quomodo posset pro tantis gratijs exhibere se gratam, rogavit DEUM, ut sibi aliquem daret, qui se excruciaret, tametsi esset Diabolus.

IV. Licèt autem DEUS permitteret, ut affligeretur, & assiduè ac plurimùm pateretur, adeò ut, nè quidem momento careret afflictione; tamen etiam ità illam confortabat, tranquillabat, & quasi solabatur, reddebatque contentissimam omni eo, quod ipsius Majestas faciebat, & permittebat in illa fieri, ut in una eademque Anima invenirentur duæ res, in speciem oppositæ, quas solus DEUS potest componere, videlicet turbatio, timor, afflictio, dolor maximus; & aliunde solatium, summa confidentia erga DEUM, summum desiderium patiendi, quidquid ei placeret, nec non magna conformitas, cum sancta ipsius voluntate.

V. Unde ipsius cubicellum, quod lecto affixa inhabitavit 30. annis, erat quidem quasi Paradisus deliciarum cœlestium, & adumbrata quædam Beatitudo instar Cœli empyrei, eò quòd in eo semper reperirentur Angeli, vel Sancti, qui veniebant ad illam invisendam, cum supremo Rege, vel Regina universorum; aliunde tamen etiam fuit instar angusti, & luctuosi carceris, ac velut theatrum, & locus supplicij, ubi nunquam deerant cruces, unci, sagittæ, ignes, bestiæ, & alia instrumenta pro ipsa excarnificanda. Propterea sancti Angeli sæpe illam appellaverunt, Martyrem Domini. Imposuit CHRISTUS Dominus illius capiti coronam spineam, cum ingenti illius dolore, ut & sacratissima

tissima

tissima sua quinque vulnera ei indidit, eáque sæpiùs renovavit ingenti cum cruciatu; ac denique fecit eam participem dolorum suæ passionis, prout refertur Parte 1. c. 29. ac 30.

VI. Et lib. 3. c. 19. ipsa narrat, postquam octo horis fuissem passa terribile martyrium, ità ut non possem respirare, neque vel modicum quiescere, quasi conciderer novaculis, nocte sequenti me dignatus est Dominus visitare, cui dixi: Domine, quale tormentum fuit istud? Respondítque mihi: ego accendi ignem in tuum commodum, sed dæmon egit partes fœminæ irritantis ligna in furno, ut ardeant. Non vidisti tamen illum, nè nimiùm affligereris: sicut quando cooperiuntur oculi alicui, qui capite plectitur, nè videat gladium. Dixi illi: Domine, quæso nè in morte patiar tam terribiles dolores, quia me non permitterent, ut me præpararem; etiamsi meus Confessarius mihi dixerit, se non petere ullum certum mortis modum, sed eum, qui Deo placuerit, cùm ipse sciat, quis illi magis conveniat. Respondit: iste spiritus est bonus, sed tuus mihi non displicet.

VII. Lib. 6. part. 1. c. 1. §. 3. ipsamet narrat sumere cibum vel potum (ad quod me propter meam magnam imbecillitatem compellebant Medici) erat mihi martyrium, quasi gladij flammei ustulantis ac vulnerantis totum meum corpus & cor; unáq; patiebar ingentes angustias & afflictiones, ac destituebar omni solatio ac remedio, omnésque res naturales, idem in me òperabantur, ut etiam applicatio qualiscunque vel minimi remedij. Corpus meum & omnes illius sensus, ac pars inferior Animæ, omnésque ipsius potentiæ sustinebant perpetuò martyrium, & erant quasi in ardenti igne, simili meo judicio igni purgatorij: dolores quas patiebatur universum meum corpus, præter ea, quæ dicta sunt, erant intimi, vivacissimi & intensissimi, qui totum penetrabant, ac lancinabant, absque ullo levamine. Videbar mihi semper versari in craticula S. Laurentij, & in rota referta

ferta

ferta novaculis S. Catharinæ. Inter hæc martyria tam diuturna patiebar & illud gravissimum, quòd metuerem, nè non essem bene resignata in divinam voluntatem in his occasionibus, & tantis martyrijs, quorum author & causa principalis erat dæmon, à quo torquebar, permittente id DEO, ad majus bonum meæ animæ; quamvìs diu noctúque elicerem multos actus resignationis cum summo & vehementi desiderio placendi DEO in patientia, plurísque facerem meum martyrium, quàm omnes thesauros, & solatia à DEO condita. Eodem anno in Aprili sustinui (ait illa) quatriduo vehementissimum martyrium, ac terribiles dolores, ità ut nec de die neque de nocte possem quiescere, neque cum ullo agere, viderérque mihi ustulari & comburi, atque excoriari, ac pati pœnas Purgatorij.

VIII. Sed audiamus, quæ Confessarius ejus P. Michaël de Orenia post ejus obitum juratus retulit, quæ prope eadem etiam juravit P. F. Andreas de Ponte Ordinis Prædicatorum, frater Ven. Patris Ludovici de Ponte, & sunt sequentia: Tota hujus magnæ servæ DEI vita meritò vocari potest rigidissima & continua pœnitentia, propter continuos ac rigidos morbos, & acutos dolores, quos perpetuò fuerat passa: siquidem illi singulare tormentum erat lectus & cibus, quæ duo esse consveverunt ægrotis fomenta, & refocillationes, quia tres, quatuor & sex solebant elabi menses, quin ipsi dictus lectus sterni posset, eò quòd illi hoc esset summè molestum: & quia in eo prope semper in uno situ decumbebat, ità ut alium non posset capere, sæpe mihi dicebat, tanquam suæ conscientiæ arbitro, corpus suum frustatim diffindi, séque sic esse comparatam, acsi jaceret in magnis lapidibus. De cibo autem ajebat, se si solum spectaret tormentum, potiùs electuram cruciatum mortis, quàm illum, quem sentiebat ex sumptione cibi, propterea quòd iste non alios effectus in se produceret, quàm si stomacho ingereretur modicum arsenici. Quamvìs autem illi Ven. P. Ludovicus de Ponte jam

vitâ

vitâ functus revelaverit, cibum non converti in ipsius substantiam, atque CHRISTUS Dominus insinuaverit, quòd vivere posset absque cibo; noluit tamen hunc favorem acceptare, quin imo dicebat: Nequaquam Domine: oportet me comedere, sicut tu comedisti, & comedit Sancissima tua Mater: non sum enim Angelus, sed mortalis ac miserabilis fœmina. Hucusque Pater Orenia.

IX. Hæc veritas clariùs patebit, si expendatur conditio ipsius morborum, & heroica patientia, quâ illos sustinuit. Doctor Gabriel de Canseco, unus è Ministris Sancti officij, Protomedicus Regiæ Majestatis, vir pius ac doctissimus, & bis primæ Cathedræ in Universitate Vallisoletana Professor, qui hîc semper huic Virgini astitit; in multis & eruditissimis paginis, quas in suo jurato testimonio huic argumento impendit, exponit suam hac de re sententiam, quam redigam (ait P. Ramirez in 2. Parte Vitæ lib. 3. c. 5.) in compendium, quàm maximâ potero brevitate, nihil substantiale prætermittendo, eò quòd ista materia in historia hujus admirabilis Dominæ sit præcipui momenti, cujus vita potiore sui parte fuit in his morbis transacta, quorum tolerantiæ innitebantur illustriora spiritûs ipsius merita. Sic verò hic testis ait.

X. Audivi dici graves à juventute ipsius fuisse, & continuas corporis afflictiones, toleratas in periculosis & continuis morbis, quos ex eo tempore, quo bona mihi sors obvenit, ut illius Medicum agerem, jam à decennio magis habeo perspectos, quemadmodum, & magnam ipsius circumspectionem ac prudentiam & timorem profectum ex virtute, quo erat prædita. Siquidem ex præscripto & mandato expresso Confessariorum suorum (quod quidem prudenter statuerant, ut agnoscerem causam ejus infirmitatum, & earundem effectibus quopiam remedio obviarem) mihi recensuit terribilem ictum sibi inflictum à diabolo, mihíque modestè ac humiliter aperuit, grave nocu-

nocumentum ſibi propterea illatum: & ex eo die ſiniſtra illa pars, quæ crudeli illo ictu fuerat contuſa, tam malè manſit affecta, ut inde provenerit graviſſimus dolor, quem ibi patiebatur talem, ut ipſi interdum viderentur coſtæ, & os pectoris divelli. Atque ex illo tempore affixa fuit lecto, unde eam intelligo nunquam ſurgere potuiſſe ſinè miraculo. Erant graves & aſſidui dolores, quos in diverſis corporis partibus ſentiebat, & hi interdum adeò invaleſcebant, ut impoſſibile videretur vitam inter illos naturaliter conſervari.

XI. Scio præterea ab illa nihilominus fuiſſe tam patienter ac pacatè toleratos, ut licèt eorundem acerbitas ex ſenſibilibus indicijs appareret; ſpectatis tamen gemitibus hujus Virginis, ac ſuſpirijs, nequaquam ipſa videretur eſſe, quæ eos ſuſtineret. Tanta erat illius tolerantia, & conformitas cum divina voluntate. Solebat mihi ſummùm dicere: Domine Doctor, doleo præberi à me occaſionem, ut tua Dominatio, & meæ ſociæ moleſtentur: ſed ad nihil aliud ſum utilis, quàm ut ij, qui mihi aſſiſtunt, magnam erga me ſuam exerceant commiſerationem. Diuturnâ didici experientiâ, etiam id, quod alijs infirmis ſolet naturalem adferre ſublevationem, utì eſt ſomnus & alimentum in tempore, ac in qualitate & quantitate congrua oblatum, huic ſanctæ Dominæ præter naturæ leges, fuiſſe moleſtum, grave, & perquam difficile, uſque adeò, ut mihi exponendo quid hac in re pateretur, diceret: Domine Doctor, neſcio, quid ſentiunt moribundi, meâ tamen opinione, & judicio mihi non videntur poſſe plus ſentire, quàm ego ſentiam. Et propterea, pro animi ſui demiſſione, quæ erat profundiſſima, petebat à me veniam, quòd mihi incommodaret, advocando me ſæpe ut judicarem, an periclitaretur de vita. Talis erat ipſius ſolicitudo, ut ſe bene diſponeret, atque judicium ſuum & arbitrium Medico corporali in affectionibus corporis ſubmitteret; quemadmodum eſt notorium ſemper fuiſſe ſpirituali Medico in rebus ad animam ſpectantibus obſequentem.

XII. Ex bonis Medicæ Facultatis principijs agnovi tunc & modò agnoſco, ejus indiſpoſitionum & infirmitatum cauſam non fuiſſe naturalem, earundémque originem extitiſſe ſupernaturalem. Hinc accidit, ut aliquando dum non invenirem remedium, quo mederer morbis hujus ſanctæ Dominæ, illi quaſi joci causâ dixerim: Juva me Domina indagare cauſas tuorum morborum, ut tibi præſcribam remedium; quod idcircò deſidero, quia tuæ Dominationis ſtatum non capio: es enim Domina, methodo conſvetâ incurabilior omnibus quorum habui curam. Ipſa intelligens, quò collimarem, mihi perhumiliter, & gratioſè unáque graviter reſpondit: Talis ego ſum Domine, quæ ad nihil aliud proſum, quàm ut tua Dominatio & reliqui mecum laborent, atque ſuam mihi exhibeant charitatem. Poſtea verò obſtricta à ſuis Confeſſarijs, qui ipſi mandaverunt, ut mihi in hujuſmodi occaſionibus aliquid daret luminis, quo ſcirem qualiter me gerere debeam; hæc verba cum magna prudentia & elegantia, ſed profundâ animi demiſſione ſubjunxit: Jam Domine, dato caſu, quod diabolus, permittente id ipſi DEO, efficeret indiſpoſitionem alicujus corporis humani, eíque præberet occaſionem infirmitatis; hâc illatâ, productus effectus bene admittit remedium: quemadmodum ſi hic ab igne produceretur alius ignis, vel diabolus illum eâ ratione, quâ poteſt, accenderet; quando dictis ignibus affunderetur ſufficiens aqua, uterque videtur extingvendus. Conemur igitur, Domine, obviare producto effectui, ſive ex hac, ſive ex alia cauſa proveniat. Mea Domina, repoſui ego, ſi adhuc ſupernaturalis perſeveret cauſa ignis, quamvis illi contrarium agens naturale applicetur, non ceſſabit, eò quòd iſtud ſit ordinis inferioris, & illa ſemper actionem continuet; idem dico de morbo. Nihilominus, Domine, reſpondit ſancta Domina, faciamus, quod tua Dominatio judicat juxta ſuam ſcientiam, & reliquum permittamus DEO.

XIII.

XIII. Post hoc dictus testis fusè describit morbum, quem hæc Virgo sustinuit, quando coacta fuit à diabolo deglutire retrimenta, & sordes cubiculi, & hæ deinde coaluerunt in calculos, qui ipsi terribiles attulerunt dolores, quibus non potuit esse remedium, nisi supernaturale. Idem dicit de alijs casibus. Conformiter etiam juravit Doctor Torres Jordanus hanc Virginem vixisse miraculosè. Quales porrò fuerint dolores & cruciatus, quibus Infernalis Tortor hanc Ven. Virginem exercebat considerandum potiùs est, quàm confidendum calamo.

XIV. De admirabili autem Patientia, quam Deus illi in his afflictionibus largiebatur, gravissimi testes mira asserunt. Mater Soror Maria de Trinitate Monialis Recollecta Ordinis Sancti Bernardi, quæ à tenera ætate fuit educata in ejus domo, jurat hanc Virginem, quo magìs affligebatur, eò fuisse svaviorem, tantámque extitisse tolerantiam, quâ patiebatur, ut licèt lecto superpositam habuisset sanitatem, manum ad eam arripiendam non extendisset.

Domina Marina de Obregon Monialis Trinitaria, similiter quondam socia Ven. Virginis jurat, quòd ipsam in acerrimis ejus doloribus, ac molestijs semper viderit hilarem, ut nunquam fuerit magìs contenta, quàm dum ampliùs patiebatur, ità ut existimarem (ait illa) hanc famulam Dei sustentari ac vivere afflictionibus, & easdem esse diu, noctúque ipsius panem & alimentum.

XV. Mater Maria de Sanctissimo Sacramento Abbatissa Conventûs S. Brigittæ septennio fidelissima socia hujus Virginis, quæ illi adfuit usque ad ipsius obitum sic ait: Vidi semper hanc servam Dei valde patientem, ac resignatam, quamvis tales, támque continui essent dolores, víxque tantum dici valeat, quantum in re erat, adeò ut interdum non potuerit quiescere spatio, quo symbolum Apostolorum possit recitari, præterquam in nostris brachijs, quæ illam ex uno latere movebamus

in aliud cum ingenti ipſius moleſtia, eò quòd eſſet tam malè affecta. Et quanquam tantus eſſet naturalis dolor, ut neceſſe fuiſſet ſinè intermiſſione ejulare, in his tamen omnibus exhibebat indicia gaudij, & oſtendebat internam hilaritatem, quâ nos quoque replebat, dum illam videremus prorumpentem, prout poſſet, in hymnos & breves preces ad DEUM (licèt non polleret ijs viribus, ut multùm attolleret vocem) ac dicentem: Optimè eſſe ſuæ animæ ſuam cruculam patienti apud pedes CHRISTI Domini. Et cùm in ejuſmodi periculoſis ſymptomatibus metuerem (ait ipſa) nè moreretur, ipſámque interrogarem, quid ſentiret; reſpondit: non ſcio plùs, quàm tu; hanc mihi Divina Majeſtas præſtat miſericordiam, quòd relinquar ſola, dum patior, & in tali verſer obſcuritate, ut cœlum videatur eſſe æneum, ac terra metallina: niſi enim ità fieret, non foret crux; tantúmque mihi adfert gaudium & ſolatium, hoc modicum, quod mihi Divina Majeſtas offert patiendum, ut id non permutarem donis, & beneficijs, quæ mihi elargitur. Licèt enim ea æſtimem, tanquam ipſius favores & gratias, majorem tamen anima ſentit conſolationem in moleſtijs ac doloribus toleratis cum reſignatione. Utinam verò ſim bene reſignata! Examinabat ſe, an prorupiſſet in gemitum voce aliquanto elatiore: & petebat veniam mali exempli, id quod nos vehementer pudefaciebat.

XVI. Certum eſt, niſi fuiſſet tanta ipſius ſvavitas ac tolerantia, nemo eam patientem potuiſſet aſpicere, vel tot horis ei aſſiſtere: ideóque cùm jam interdum deficeremus viribus, & eſſemus feſſæ ac fractæ; animus tamen noſter non fatigabatur, optantes illi aſſiſtere certabamus, quæ ipſi diu, noctúque diutiùs eſſet aſtitura. Unam habuit ſpecialem, plurimúmque ſenſibilem occaſionem, quando illi DEUS abſtulit ſanctam ipſius ſociam Marinam Hernandes, quæ ei viginti quinque annis convixerat. Hæc tota erat genio illius accommodata tam in rebus ſpiritualibus, quàm temporalibus, tam pro converſatione cum pro-

proximis, quàm pro rebus alijs, cum qua poterat de quibusvis materijs conferre, erátque ætatis aptissimæ; nempe quinquagenaria. Abstulit illi postea Deus aliam sociam, quæ ipsi convixerat sedecim annis. Omnia nihilominus pertulit æquo animo, nihil aliud dicens, nisi: Fiat in omnibus sanctissima DEI voluntas.

Claudit P. Andreas Pintus hanc materiam lib. 3. cap. 5. his verbis: Exstant multi casus, iique acerbissimi, in quibus multi alij testes interposito juramento asserunt, heroicam istius Virginis Patientiam; quos omitto: nunquam enim finem facerem, nisi paucis duntaxat singula perstringerem.

CAPUT V.

Rabies Dæmonis.

I.

PArte 1. lib. 1. c. 15. §. 3. Venit ad me (narrat illa) diabolus cum multis alijs, intentans mihi furiosè minas, dixítque: ego tibi auferam cranium, ut nihil loquaris. Et quamvìs ego hoc non crediderim, interrogavi meos sanctos Angelos, an id Deus vellet. Responderunt mihi: Deus id permittit pro tuo bono, ac fructu illorum, qui te audiunt, & non proficiunt. Diabolus igitur & ipsius socij, derepente sciderunt circumquaq; totum meum cranium, & ego re verâ vidi cerebrum. Postquam dæmones cranium undique recidissent, avulserunt illud ex una parte, ac deinde ex altera, cum ingenti meo dolore; sic autem penitus avulsum cum quibusdam membranis & cerebro rapuerunt ex ipsorum manibus mei sancti Angeli, quorum unus afflavit, eodémque flatu redintegravit caput & cerebrum, méque magno replevit solatio & gloriâ, qualis potest hìc haberi: cùm enim fuissem afflata, repositum mihi ab ipsis est suo loco cranium, atque sanatum, & ego summo perfusa sum gaudio

 pro-

propterea, quòd Deus ità mecum dignaretur agere, quamvis, quia tantus fuerat cruciatus, etiamnum sentiam illius effectus, ut mihi videar interire.

II. Post hoc quâdam nocte quatuor dæmones in humana specie eam abreptam ad pontem superstructum majori fluvio urbis Vallisoletanæ, ex altissimo illius loco cum magna furia præcipitaverunt ad maximam fluvij profunditatem: & sic raptatam procul ultra pontem, cùm iterum emersisset, rursum abripuerunt secundò, ac tertiò eodem modo ex ponte præcipitaverunt. Unde corpus ejus mirum in modum alteratum horrendis vomitibus, confusione pessimi humoris, immixti sangvini, non absque molesta febri & convulsione, afflictum redijt.

Alijs vicibus eam in specie tauri cornibus procul ex lecto ejecit diabolus, quâ jactatione non aliter fuit concussa, quam si verè ipsum corpus corporaliter sic tractâsset. Aliàs excruciavit illius ventrem, acsi esset plenus vivis vermibus, qui intrà ventrem reptabant. Aliquando in specie molossi commordebat ipsius brachia & manus.

III. Anno 1616. prout ipsa narrat, prope Quadragesimam, eram majorem in modum afflicta, & patiebar gravissimos dolores totius corporis ac stomachi, amaritudinem oris, & ingentem sitim, nec poteram comedere, vel etiam bibere, neque dormire. Nesciebam, quid mihi esset, præterquam quòd versarer in continua cruce, & sentirem magnam inquietudinem corporis, quamvis totus spiritus esset valde resignatus in manus Dei. Venerunt ad me sancti mei Angeli, ut me consolarentur ac animarent, & videbantur mihi aliquid agere manibus. Atque tum adverti me esse indutam quâdam veste, confectâ ex durissimo corio, suffultâ carduis, qualibus uti solent lanarij pro carminanda lana, quorum cuspides erant acutissimæ; pertingebat verò usque ad genua, & manicæ ejus erant latæ, protensæ ad cubitos. Iste vestitus me vehementer torquebat, afferebátq; mihi

mihi prædictos dolores, & ingentes corporis ardores. Venerunt deinde Angeli, qui illum manibus modicum dimovebant, nè me tantoperè cruciaret. Quidam autem atrociſſimus dæmon in ſpecie deformis viri prodivit ex improviſo, quem eatenus non videram; murmurans intrà dentes, dicebátque ſanctis Angelis, quare me ſublevarent, cùm ipſi Deus dederit facultatem me induendi illâ veſte, ſicut fecerat. In hoc tormento exegi complures dies, qui erant tredecim vel quatuordecim.

IV. Poſt paucos dies, quodam die antecinerali manè venerunt mei ſancti Angeli, dicentes mihi, ſe juſſu Dei venire, ad exuendam me iſtâ veſte, & quamvis ego noluiſſem mihi ipſam ab illis auferri, re ipsâ me eâ, quàm ſvaviſſimè exuerunt. Fui ſublevata, utpote exonerata tam veſte moleſtâ: remanſit mihi tamen dolor, & retinui corpus totum afflictum. Angelus complicuit veſtem, poſuitque ſub brachium, & cum cæteris quatuor adivit Christum Dominum, coram quo flexis genibus explicuit veſtem dicens: Domine, hìc adferimus veſtem, quâ fuit excruciata illa, quæ tui amore patitur; aſpiciat ipſam tua Majeſtas. Aſpexit illam Dominus, ac dixit: eſtne iſta? Ità, iſta eſt, dixit Angelus, videat tua Majeſtas ſangvinem, quem profudit in hoc martyrio. Erat enim cruentata ſangvine, quam elicuerunt cuſpides carduorum. Interrogaverant quoque Angeli Dominum; quid dicemus Domine, nomine tuæ Majeſtatis iſti famulæ tuæ, & cui committemus hanc veſtem? Dominus reſpondit: dicetis illi famulæ & Animæ meæ nomine meo, omnia, quæ eſt paſſa, & patietur, ipſi profutura ad augmentum majorum coronarum in mea gloria, quam me illi daturum polliceor, atque ex hoc momento illi concedo, quod à me toties petivit, videlicet magnam conformitatem cum mea voluntate in patiendo pro me: veſtem autem tradite Angelo ipſius Cuſtodi, ut illam in die judicij ibi exhibeat & appareat, quid pro me hæc mea Creatura fuerit paſſa. His auditis ſancti Angeli poſt exhibitam magnam reve-

ren-

rentiam Domino, convolventes suam vestem redierunt ad meum cubiculum, quam minor expandit coram meo Angelo Custode, inclinánsque se coram eo usque ad terram, tradidit illam ipsi nomine DEI, qui eam accepit similiter, non tamen adeò se profundè inclinans, & asservavit cum alijs meis rebus sibi commissis. Iidem sancti Angeli mihi nomine DEI nunciaverunt, quod illis fuerat demandatum.

V. Quâdam nocte fui quasi in somnis à diabolo & ejus socijs cum magna crudelitate ac tumultu rapta, & suspensa per capillos, ut mihi videbatur, vel per collum, & collocata in quadam re altissima ac posita in aëre, ubi mihi inflixerunt multos & acres ictus quodam fune, qui habebat crassissimos nodos. Evigilavi ex hoc somno afflictissima, tam internè in anima, quàm quoad molestiam & cruciatum naturæ. Et fuerunt tanti dolores atque confractio miserabilis corporis, ut intrà quatuor vel quinque dies vix me potuerim movere.

VI. Parte 2. lib. 2. c. 48. narrat ipsa sequentem casum: Anno 1624. accessit dæmon & forcipibus velut ferreis, versavit prunas, tanquam illas suscitaret, non modici ignis, quem ipsemet sub paupere lecto succenderat, in quo à tot jam annis ægrota patior. Videns autem dæmon Angelum Custodem se moventem acsi mihi vellet succurrere, totus terrefactus celerrimè sibi fugâ consuluit: cùm sinè mora incepi sentire crudeles illius infernalis ignis effectus, qui spatio duorum mensium augebantur, ut incredibiles sustinuerim dolores ac tormenta. Superaddebat idem hostis alia, atrociter torquendo miserabile corpus, eâ vehementia, ut existimem potuisse brachium cujuspiam alterius, si tale foret, disrumpi. Tandem mei dolores intrà istud spatium temporis, usqueadeò incruduerunt, ut me nec interdiu, neque noctu, vel modicissimè sinerent quiescere. Tum Dominus misertus meæ afflictionis, mihi inspiravit, ut confugerem ad Sanctissimam Virginem suam Matrem; ad quam vix dum fini-

finiveram meam affectuosam petitionem, cùm humores velut in lapides concreti prodiverunt ex corpore, qui me tantopere excruciaverunt. Exstant hodieque illi lapides ante miraculosam Imaginem DEIparæ in Collegio Anglicano Vallisoleti, authenticum testimonium miraculi, à Beatissima Virgine patrati, ac dolorum, antè à Venerabili Virgine Marina toleratorum.

VII. Aliàs dixit illi S. Angelus Custos, quòd à dæmone (qui eam ultra viginti annos fuerat persecutus) tunc, quàm sollicitissimè DEO permittente dilanietur quibusdam acutis uncis ferreis, tam properanter, quàm textor celeriter jactat liciatorium, texendo telam. Vidit etiam juxta se quasdam flammas ignis excitati à dæmone, quas illi ingessit, unde provenerunt illi calores. Narrat etiam ipsa de se in Julio An. 1623. in alijs cruciatibus mihi videbantur dilacerari viscera, & putabam me comburi. Gemebam ob vehementiam dolorum, quibus non eram ferendis, & non sciebam tum, quis me discruciaret. Dominus autem mihi ostendit multos diabolos in specie rabidorum canum, qui latrabant, & me invadebant, ut me morderent.

CAPUT VI.

Paupertas Venerabilis Virginis Marinæ.

I.

AMavit semper Paupertatem, & primis annis ab obitu sui Parentis se voto Paupertatis obstrinxit non perpetuo, eò quòd ex justis considerationibus, à suo Confessario permissa non fuerit. Renunciavit legitimæ sibi à Parentibus relictæ, séque exspoliavit facultatibus, & vixit eleemosynis, quæ illi à devotis Personis dabantur. Tunc apparuit ei S. P. Dominicus, rogavítque illam, ut recurreret ad suos Religiosos, & ad suum Conventum pro petendis necessarijs, promisitque fore, ut in illius Ordine adjuvaretur, tam in spiritualibus, quàm in

temporalibus, quamdiu victura esset. In festo S. Thomæ Doctoris Angelici non habebat, quo vesceretur, gratias agens Deo, quòd se videret tam pauperem. Tum pulsavit ipsius fores quidam Religiosus Dominicanus ex Conventu S. Pauli, quem illa noverat, & ingressus ejus cubiculum, invenit ipsam abreptam in Deum, reliquitque penes illam, quod æquabat pretium duorum ducatorum, monetæ argenteæ; & subitò discessit. Obstupuit Divinam Bonitatem Virgo, & quomodo S. Dominicus sibi tam citò subvenisset per illum Religiosum, qui ad eum usque diem nunquam ipsius domum intraverat. Deinceps autem illi semper & omni occasione Ordo S. Dominici succurrebat, ut Patri Fratri Andreæ de Ponte solita fuerit dicere sanctè jocando: bene apparere, sanctum Dominicum fuisse nobili stirpe progenitum.

II. Afflictissima vixit, quòd sibi videret suppeditari necessaria, usque ad abundantiam, ideóque dicebat Deo: Mi Domine, quare à me vis haberi istud stercus? sic enim appellabat pecuniam; & rogabat, ipsum instanter, ut sibi illam auferret, daretque licentiam ejus non acceptandæ. Divina Majestas respondit: bene eam impendis, in sublevandos orphanos, & cætera, quæ tibi injungo. Ecce hæ eleemosynæ, si à te non acceptarentur, fuissent malè insumptæ: dantúrque tibi ex devotione, quâ erga te feruntur: & si tu eas non susciperes, ipsi non promererentur præmium, quod illis à me dabitur. Noli affligi, nescis enim meas intentiones; & propterea fac, quod te facere jubebunt tui Confessarij. Et verò ità faciebat: nolebat enim suscipere eleemosynas, nisi ab ipsis approbarentur, & habitâ ab iisdem facultate. Atque accidit aliquando, ut missam sibi à quadam Moniali ex Conventu Matris Dei, eleemosynam non attigerit, donec mihi suâ manu scripsisset schedam, quàm servo, petens à me veniam illius acceptandæ. Hucusq; P. F. Andreas de Ponte Dominicanus, germanus frater Ven. P. Ludovici de Ponte.

III. Pa-

III. Pater Michaël de Orenia poſt alia ſupradictis ſimilia, de hac materia dicit: Ea,quæ illi dabantur nomine eleemoſynæ, non habebat pro ſuis facultatibus, ſed ſumendo indè,quantum præcisè erat neceſſarium pro ſuſtentatione propria & Virginum, quas penes ſe habebat, reliquum exiſtimabat ſpectare ad DEUM,tantúmque impendebat in opera concernentia ipſius honorem, quæ illi Divina Majeſtas inſpirabat: ac proinde ex his eleemoſynis ipſi oriebantur curæ, partim ut ſe quàm gratiſſimam ijs exhiberet, à quibus afferebantur (quia gratitudinis virtute plurimùm excellebat) partim ut aſſequeretur voluntatem DEI in electione operum cedentium ad ejus obſequium, quibus à ſe eſſent impendendæ. Solebat dicere, maximum eſſe habituram ſolatium ſi nihil haberet: quæ autem habebat, deponebat ſemper ad pedes DEI rogans illum,ut ab ipſo edoceretur, in quid eas eleemoſynas ad majorem ſuam gloriam vellet inſumi: propter quem zelum & ſanctos affectus charitate plenos, illi DEUS tam opportunè & amanter uſque ad abundantiam providebat. Cùm verò deficerent nonnullæ eleemoſynæ, ob abſentiam vel mortem eorum, à quibus illi dabantur, ſtatim Divina Majeſtas excitabat cor aliorum, qui ipſorum vices ſupplebant. Nuncupavit quoque hæc Virgo votum, non habendi ulla bona ſtabilia ex ſua voluntate, niſi illi id injungeretur à ſuo Confeſſario, qui tunc erat P. Petrus de Leon, quod fecit Anno 1597. ſicuti mihi conſtat ex quadam ſcheda, quam ſuâ manu ſcripſit.

IV. Domina Angela de Oſorio jurat ſe audiviſſe hanc Virginem, poſtquam renunciaviſſet ſuæ legitimæ, ſuo ſe ſuſtentaviſſe labore, nihil temporis otiosè conterendo,tametſi eſſet admodum debilis & morbida; atque addit, ipſammet aliquoties narraviſſe, ridere fuiſſe ſolitas ſuas Sorores, quòd earum domum frequentarent fœminæ ruſticanæ, interrogantes de Netrice Fonſaldanenſi, ſiquidem ipſa pro eo oppido, & alijs vicinis pagis nebat, quæcunque poterat. Poſtquam illi DEUS ſub-

 venit

venit eleemosynis, dicebat: nihil eorum, quæ habeo, est meum, omnia sunt Dei: ego solummodò sum pauper œconoma, optans bonam reddere rationem. Faxit ipse, ut eam reddam exactam, méque conformem cum sanctissima ipsius voluntate. Quando illi agebantur gratiæ, quòd aliquam collocavisset in monasterio, respondebat: Ego nihil ago, neq; aliud sum, quàm miserabile instrumentum: meæ Dominæ & Amicæ totum præstant propter Deum.

V. Idem jurat Mater Maria de Sanctissimo Sacramento. Mater Soror Mariana de Christo, post alia, concludit suum juramentum his verbis: Quando isti Venerabili Virgini & Dominæ mittebantur aliquæ eleemosynæ, audiebam illam dicentem: Benedictus sit Deus, qui ità providet suis creaturis. Sorores meæ (sic nos appellabat) habetote magnam fiduciam in Deum, ipse enim vobis subveniet; non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus: & hac de re nobis multa dicebat. Ego novi omnes octodecim Virgines, quas ista sancta Virgo promovit ad Ordinem Religiosum, & vidi meis oculis quasdam emittentes professionem; alias suscipientes habitum, & omnes scio esse professas. Constat mihi quoque, precibus ipsius, & consilio factum esse, ut multi alij tam viri, quàm fœminæ ingrederentur Religionem, & alij inirent matrimonium, quibus illa præbuit necessaria subsidia.

VI. Mater Joanna de Christo Professa in Conventu S. Annæ, post alia narrat, quòd in hoc genere est singularis exempli, cùm nostra Virgo jam fuerit septuagenaria, ac ità morbida, sicut fuisse novimus, quando illa ipsi convivebat; sic verò dicit: Erat adeò accurata, ut si pauxillum carnis ex olla, quæ illi hodie coquebatur, remansisset, juberet sibi eam dari postridie. Atq; si interdum eveniebat, ut ipsi opus esset, propter magnam quampiam stomachi debilitatem, subvenire aliquo cibo; quamvis residuum illud minùs esset aptum, extaretque domi, quod illi

illi magis conduceret; nunquam poterat perſvaderi, ut ſumeret, ſeu comederet aliud, quàm illud modicum, quod eo die vel præcedenti ſuperfuiſſet.

VII. Concludo hanc materiam juramento Dominæ Magdalenæ de Ciſneros, quæ fuit amica hujus Virginis ultra ſexaginta annos, & inſignis ejuſdem benefactrix. Sic autem ait: Quando Domina Marina erat octodecim circiter annorum, conveniebam ipſam in templo Domûs Profeſſæ Societatis Jesu, & optimè recordor, illam tum habitam pro ſancta, atque ut talem obſervatam & æſtimatam fuiſſe. Ego attentè contemplabar ipſius vultum, & optimè in eo advertebam venuſtatem animæ illius ac virtutum. Rara erat ejus modeſtia, & in ipſo vultûs colore deprehendebatur quiddam ſupernaturale. Semper vidi hanc de ea famam continuari ultra ſexaginta annos, quibus dum familiariſſimè cum ea converſarer, quidquid in ea vidi, me confirmavit in hac opinione, de rara ipſius ſanctitate: atque poſtremis his vitæ annis, quibus cum ipſa egi, mihi in illius vultu fuit ea coloris ſupernaturalitas repræſentata, ut me redderet attonitam, ac demonſtraret divinos affectus, qui in corde ipſius ardebant. Novi quandam Perſonam fide digniſſimam, quæ egit teſtem, quando hæc ſancta renunciavit legitimæ ſuorum Parentum, & vidi meis oculis ſingularem providentiam, quam Divina Majeſtas habuit, ut tam ipſi, quàm illis, quas domi ſuæ alebat, de omnibus neceſſarijs proſpiceret. Experta quoq; ſum in me rem prorſus ſingularem & eſt, quòd non ſolùm magnâ animi voluptate ſuccurrere fuerim ſolita, ſed etiam nunquam notaverim in mea domo deficere id, quod dabam iſti Servæ Dei. Contigit quoque mihi, ut cùm reditus mei eſſent moderati, ipſi intrà unum annum dederim ducenta ſcuta, quin tamen adverterim illorum defectum, aut me ijs caruiſſe: quod ſemper exiſtimavi fuiſſe miraculũ, quo Deus volebat ſignificare, quantopere ipſi placeret data huic Dominæ eleemoſyna.

CAPUT VII.

Castitas Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar.

I.

DEUS Dominus noster (ùt loquitur Venerabilis P. Ludovicus de Ponte lib. 1. c. 12.) dedit huic suæ famulæ jam inde ab ipsius infantia singularem affectum ad Castitatem perpetuò servandam, cum speciali quodam ac raro privilegio, ut caro quoad hoc, non rebellaret spiritui, sed semper illi esset subjecta.

Aliam præterea gratiam non minùs raram illi præstitit, præservando illam à molestijs, tentationibus, & persecutionibus, quas contra hanc virtutem suscitant dæmones, ità ut quamvis assumerent horrendas figuras bestiarum, & truculentorum hominum, ad illam terrefaciendam, & cruciandam, dicerentq; ipsi enormes contumelias, ac blasphemias; nunquam tamen illis DEUS dederit facultatem, exercendæ fædæ alicujus actionis coram ipsa, vel proferendi verba turpia, quæ potuissent virgineos ejus oculos & aures offendere.

Præterea dedit illi DEUS quandam modestiam naturalem & inusitatam circumspectionem, ità ut, quando prodibat ex domo ad templa vel aliò, prout illi DEUS præcipiebat, vel inspirabat, semper ambularet intrà cellam sui cordis, cum assidua collectione, atque tali modestia, gravitate & quiete, ut nemo illi auderet dicere quidquam indecens, sed omnes componeret. Tam firmiter decreverat servare perpetuam Castitatem, ut ei non venerit in mentem consecrare illam, & confirmare voto, donec ipsam DEUS post completos 40. annos ætatis illuminavisset, id esse meliùs, sibique magis placere: atque tum collato mecum (ait Pater Ludovicus) consilio, hoc fecit in festo Nativitatis, Anno 1595.

II. Ex

II. Ex hac tam exacta puritate processit, quod etiam cum ipsis Angelis, qui illi semper aderant, ageret mirá circumspectione. Non intuebatur ipsorum vultum, nisi rarissimè & obiter. Diverso item modo aspiciebat Sanctos & Sanctas, atque eos, qui ipsi comparebant in specie infantili, vel ætate provectâ, cum omnibus se gerendo eâ modestiâ, quâ decebat, ut se gereret cum talibus personis. Quando in lecto decumbebat tam debilis, ut se non posset erigere, nec vertere ex uno latere in aliud, accedebant, quotiescunque eorum operâ indigebat, ad illam juvandam sancti quatuor Angeli, & Angelus Custos summa cum honestate ac decentia. Quamvis enim illi inservirent in ea apparente forma suis brachijs, juvabant tamen ipsam modo quodam spirituali, & Angelico, ità ut non sentiret contactum corporis humani; atque quàm verecundissimè averterent vultus.

Cùm quadam vice haberet brachia extra togam, velletque illa in ipsam imponere, nec posset ob suam debilitatem; accessit Angelus minimus, qui præ se fert speciem biennis pueruli, ut eam juvaret: ipsa verò retraxit brachia, & noluit juvari. Dixit illi Angelus: quid times, ego enim non sum caro, sed spiritus: & licèt essem præditus carne, ob ætatem tamen, in quâ me vides, tibi non esset timendum.

III. Aliàs cùm eam visitâssent Sancti, Franciscus, Ignatius, & Dominicus: & S. Franciscus pervenisset ad me (inquit ipsa) extendit manum quasi attrectaturus meam. Fui vehementer turbata propter solum illum gestum, retraxique me celerrimè, acsi esset homo mortalis, qui id vellet facere. Ipse autem subrisit, ac dixit: quare turbaris? an ignoras, hoc non esse verum meum corpus, sed umbram & figuram illius, quod habui, quam assumpsit meus spiritus? Ità recessit, ac appropinquavit S. Ignatio, intuendo ipsum cum quodam risu, quasi illi diceret, ut consideraret, quid contigisset, & quàm bonum fuisset illud experimentum. Sanctus Pater Ignatius autem respondit: admiranda est puri-

puritas hujus creaturæ, quoad istam materiam Castitatis. Propter hoc Sancti responsum fui turbata, & magis afflicta, quasi me puderet illius dicti, quod audiveram; S. Dominicus me animavit, & reliquit plenam solatio.

Similiter lib. 5. part. 1. c. 13. refertur, quomodo noluerit omnino colloqui cum duobus sanctis Angelis, eò quòd comparerent vestiti instar adolescentulorum, donec ei in alia specie apparerent.

IV. Et parte 2. lib. 1. c. 19. apparuit illi Ven. P. Ludovicus de Ponte, dixítque illi: modò Anima libenter cum Domino ires ad cœlestem Patriam: ego te ducam, veni mecum. Omnino, respondit Venerabilis Marina, libenter eò pergerem, fateor; nolo tamen sanctè Pater, ut à te ducar. Quare autem, quæsivit ipse. Quia es vir, ajebam ego, & non soleo comitari viros. Quamprimum id protuli, comparuit Marchio septem Ecclesiarum (nempe D. Rodericus Calderon, magnus in vita ejus amicus, de quo multa part. 1. l. 5. c. 8.) admodùm hilaris, dixitque: Etiam ego illam pari ratione aliquoties invitavi. Subjunxit tunc P. Ludovicus: nónne verò Sancti DEI, qui te visitaverunt, & interdum duxerunt, sunt Viri, quales nos? Ità est, respondi, sed quia illos in vita mortali non noveram, non me reddiderunt ità perplexam. Si Deo placet, ut proficiscar ad cœlestem Patriam, ducent me sancti mei Angeli, sicut plerumque solent. Sancti approbaverunt meam tergiversationem.

Denique circumspectio hujus Virginis, quâ in sua juventute cavebat virorum conspectum, & consortium, adeó illi profundè inhæsit, ut etiam grandæva modestè verecundaretur sanctéque metueret, visâ tantùm humanâ virorum specie, quâ se ipsi spectandos exhibebant Sancti: cujus rei mira sunt in ejus vita exempla.

V. Pater Michaël de Orenia ait se novem annis, quibus illi fuit à confessionibus, istud raræ ipsius puritatis indicium agno-

agnovisse, quòd ab ea nullum propè verbum audiverit concernens hanc virtutem aut vitium contrarium, sed profundo istam habuerit materiam silentio sepultam, acsi foret purus spiritus.

Mater Maria de Sacramento post enarratum votum & puritatem hujus Virginis, atque circumspectionem, quam suas socias docebat, subjungit: quanquam speciale habuerit à Deo donum, ad consolandum dandúmque consilium in afflictionibus internis, de rebus tamen spectantibus ad Castitatem, nihil noverat loqui, nisi obiter, nec illas intelligebat, dicebátque his occasionibus, se ignorare, quid posset dicere, eò quòd sibi Deus nihil in hac materia confidisset.

VI. Et verò admirabile est, quòd nec ipsa S. Fidei nostræ mysteria ei Deus voluerit revelari cum eis circumstantijs, quæ virgineo illius pudori potuissent videri minùs congruere. Ità parte 1. lib. 2. c. 8. cùm ei repræsentaretur mysterium Circumcisionis, omnia vidit usque ad ipsum actum Circumcisionis, quando Deus ei immisit somnum, ut obdormiret donec actus ille perageretur, nè Circumcisionem ipsam aspiceret. Sic ipsa narrat. Obambulabat ibi S. Josephus disponendo ea, quæ erant facienda pro Circumcisione. Ista omnia hinc mihi quidem cor præ dolore dilaniabant; indè verò me rubore suffundebant, & pudefaciebant, expendentem gratias, quas mihi Dominus præstabat, ità ut si Dominus permisisset, egressa fuissem ex stabulo: quocirca me subduxi; & quia habui caput vehementer fatigatum, volui modicum dormire. Cùm autem quasi essem sopita, audivi vagientem sanctissimum Infantem JESUM, ideóque fui subitò expergefacta, & vidi illum in brachijs suæ sanctissimæ Matris, jam enim fuerat cessatum à vulneranda ejus carne.

CAPUT VIII.

Obedientia Venerabilis Marinæ de Escobar.

I.

VEnerabilis Marina de Escobar tanti fecit obedientiam, quam exhibebat Confessarijs, à quibus regebatur, ut nec attentaret quidpiam agere contra illorum judicium: sed neque quod à DEO jubebatur facere vel dicere audebat exequi absque prævio Confessarij consensu: intelligebat enim hanc esse voluntatem DEI. Narrat ipsa parte 1. lib. 1. c. 19. sequentia: Cùm DEUM interrogarem: mi Domine egò persevero in eo proposito ac decreto, quod tua Majestas meæ indidit Animæ & est: quòd tanti faciam Obedientiam, quam me jussisti exhibere illi, quem mihi dedisti Magistrum, ac Ducem, qui me doceat, ac ducat per viam tuæ voluntatis, ut etiamsi tuo illustrata lumine noverim absque ullo dubio, quædam esse tuæ conformia voluntati, proptereàque illa facerem, possémque peragere, cum magno solatio; nihilominus si meus Confessarius mihi præciperet contrarium, subjicerem meum intellectum & voluntatem ipsius judicio, ac voluntati: quia existimo me tibi magìs ità placituram, & sic me esse à te instructam. Quæ est tua hac super re sententia, mi Domine? Respondit mihi Divina Majestas: mea sententia est te optimè procedere, neque mihi id displicet, quod dicis. Quando enim subjeceris tuum intellectum, ac voluntatem illi, cui teneris obedire, & qui te debet docere, tibique præcipere, non habebit locum diabolus, ut te possit decipere falsitatibus, erisque hoc modo securior. Æquum præterea est, ut hæc Obedientia exhibeatur ideo, quod ego in mea Ecclesia reliquerim hunc Ordinem, & hoc remedium ac solatium pro omnibus fidelibus, quò habeant Magistros ejusdem secum naturalis, ac visibilis naturæ, ut possitis ipsos intelligere, ac vicissim in-

intelligi ab illis: qui Magistri si sequantur *directionem Scripturæ Sacræ* non errabunt; ac proinde quilibet potest esse securus & acquiescere ipsorum judicio in suis dubijs.

II. Magno tenebatur desiderio nuncupandi votum Obedientiæ præstandæ suo Confessario; qui tamen illi ea in re contradixit, siquidem Confessarij Societatis expressam habent regulam, quâ jubentur non admittere ejusmodi vota eorum, quibus peccata confitentibus præbent aures, præsertim fœminarum. Ipsa tamen perseveravit ultra unum annum in petenda facultate à suo Confessario emittendi sui voti, & rogando Deo, ut sibi id concederetur. Cum his desiderijs aliquando inter orandum elevavi (narrat illa) oculos Animæ & vidi adesse nostrum S. Patrem Ignatium, qui mihi dixit, quasi ad me probandam: Quid tibi videtur de eo, quod petis? itáne vis, ut mei faciant, quòd illis prohibui in mea regula? Ego propterea fui vehementer confusa, & respondi illi: verè ego, sancte Pater, nolo à meo Confessario fieri, quod tu ipsi prohibuisti, & reliquis Religiosis Societatis: sed quòd vellem, est, si peragi potest, annuentibus Superioribus, sinè violatione regulæ, ut cùm ego sim quoddammodo Filia Societatis, quamvis indigna, cúmque ipsa me educaverit suâ doctrinâ, & instructione, mihi præstaretur ista Charitas, & hoc beneficium, quò admitterer ad ejus obedientiam. Tum mihi dixit noster S. Pater Ignatius: unde? nec enim es ità domestica, sicut tibi esse videris; statímque disparuit.

III. Egò magis mansi confusa, & cùm hærerem dubitans, quid mihi esset agendum, confugi ad Deum dicendo illi: mi Domine, vúltne tua Majestas, ut me obstringam hoc voto? Respondit Divina Majestas, ut convenirem Ignatium, & rem istam cum ipso transigerem, esse enim ipsius negotium. Quo responso aliquantum fui afflicta, quòd recordarer me non fuisse à sancto nostro Patre Ignatio exauditam.

Visitavit illam in suo festo sanctus Bonaventura, cui illa hoc suum desiderium aperuit rogando humiliter, ut ipse à sancto Patre Ignatio ei hanc facultatem peteret. Sanctus Doctor dixit se id facturum, statumque illa vidit ipsum in spiritu loquentem in cœlo cum glorioso Patre sancto Ignatio, & allegantem illi quasdam rationes propter quas non violaretur regula, tametsi ea licentia concederetur. Summè sancto Patri placebant illæ rationes, sed significabat id à se procrastinari, etiam ideo, ut disceret Ven. Marina esse patiens, evaderetque robustior.

IV. Narrat ibidem Ven. Pater Ludovicus de Ponte etiam aliam fortè fuisse causam; quia ipsa erat de se timida, & scrupulosa, ac facilè quâlibet re turbabatur, quam illi Confessarius dicebat, adeò, ut contremisceret; & quidem illis ipsis diebus præter morem magìs à colloquio cum Confessario recedebat turbatior plena imaginationibus ac scrupulis, etsi ignoraret, unde talis anxietas oriretur. Tandem post istam tempestatem cum facultate & benedictione nostri sancti Patris Ignatij emisit suum votum non perpetuum, sed ad vitam præsentis Confessarij, qui tunc erat Pater Petrus de Leon, neque de omni materia, sed solummodo circa solam Paupertâtem, in qua non angebatur scrupulis. Hoc votum permittente pro eo tempore Patre Provinciali acceptavit P. Petrus de Leon: quo vita functô P. Ludovicus de Ponte, qui ei successit non consensit, ut votum illud renovaret.

V. Pater Michaël de Orenia in processu pro ejus Canonizatione juravit se novem annis, quibus ipsius Confessarium egit, esse ejus obedientiam expertum. Quo tempore, ait, aliquoties evenit, ut illuminaretur à Deo ad aliquid agendum, aut dicendum: & cùm ego non consentirem, ut fieret, vel diceretur, obtemperabat, penitúsque intermittebat, quod statuerat, Deo semper commendans imperatam sibi ab eo executionem, ut ipse svaviter decerneret, quod esset, quàm convenientissimum. Et exau-

exaudiebatur à Divina Majestate, ut semper in hujusmodi occasionibus, meum animum ità disponeret, ut sponte atque ex interno motu, & inventis congruis rationibus, quibus ea refellebantur, quæ mihi antea contrarium svadebant, approbaverim, quod ipsa ajebat se intellexisse à Deo, illique injunxerim, ut sic faceret vel diceret. Ex bonis autem effectibus indè procedentibus, experiebar, ac advertebam eam prudenter agere, & regi à Deo.

VI. Demonstravit quoque Deus paternam in hoc genere suam providentiam; veluti quâdam vice, dum Virgo, quòd pateretur ardentem sitim, & quæ aderat aqua, esset valde calida, petijt à suo Confessario facultatem, ut afferretur modicum nivis, cui admoveretur poculum aquæ refrigerandum. Confessarius id ipsi negavit, putans non esse tantam necessitatem, ac aliàs, & revertebatur domum. Unde Virgo mansit afflicta ob vehementem efferatam sitim, cum eo tamen solatio, quod eam toleraret ex obedientia. Verùm vix Confessarius è Virginis domo est egressus, quando repentè fuit mutatus aër & cœlum, stupente dicto Patre tam subitam mutationem. Cúmque nimbus grandinis decidisset in aream ejusdem Virginis, quædam puella ibidem habitans, mota (ùt fuit existimatum) à Deo, eandem collegit, & superposuit lagenæ plenæ aquâ. Quando autem advenit hora vespertina, quâ Sanctæ ægrotanti præbenda erat illius cænula, infusa illi fuit illa aqua; dum verò animadverso algore quæreret, atque audiret causam, agnovit, cum sua magna erubescentia, effectum Divinæ Bonitatis, & Liberalitatis, mihique postea retulit, quod evenerat.

VII. Nullam alicujus momenti epistolam mittebat, quam priùs non tradidisset alicui Confessario suo manifestandam. Quando illi aliquid injungebatur à Deo, nihil exequebatur, antequam id Confessarij expendissent, & mandassent. Et frequenter dicebat, nullum sibi alium à Deo relictum fuisse modum

ſecurè procedendi, quàm regulam Obedientiæ ſuis Confeſſarijs.

VIII. In ſua Juventute optavit fieri Carmelitana diſcalceata, quod propoſuit ſanctæ Matri Thereſiæ, quæ tum degebat Valliſoleti fundando ſuum Conventum. Sancta Mater examinavit ipſius deſideria, & pollicita eſt, quòd ipſam ibi eſſet ſuſceptura. Ivit poſtea hæc Ven. Virgo, ut reſciret diem, quo ſibi conferendus eſſet habitus, & quomodo ſe ad id diſponeret. Sancta verò Thereſia illi ex revelatione dixit: ipſam à Divina Majeſtate ſervari ad majora; dimiſitque illam dicendo, nè de eo negotio ampliùs ageret. Hoc ipſa Domina Marina Patri Fratri Andreæ de Ponte ſæpius narravit. Svadebat ſuis Sociabus, ut omnia panderent ſuis Confeſſarijs ſuóque exemplo illas permovebat.

IX. Mater Maria de Sacramento refert frequenter eveniſſe, ut illi valde ſerò adferrentur litteræ alicujus momenti, quæ velox reſponſum pro ſolatio proximorum exigerent. Quia verò illâ horâ non poterant adeſſe Patres, & interea ipſa Maria videret eam dolenter optare, ut reſponſoriæ expedirentur, dicebat ipſi: mittantur nunc, mea Domina, hæ litteræ, poſtea id expones tuis Confeſſarijs. Reſpondebat: minùs refert illas non mitti, per hunc veredarium, quàm expediri non luſtratas priùs à meis Patribus; hoc enim eſt ſecurum. Benedicta ſit Divina Majeſtas, quòd nobis in ſua Eccleſia tam grande bonum reliquerit. Equidem ignoro, quomodo ſolatium habere poſſint, qui proprium caput ſequuntur. Inter alias vices aliquando vidi ſcriptam ab ipſa fuiſſe epiſtolam magni momenti ex inſpiratione DEI, qui mandaverat, ut illam mitteret. Conſenſerat etiam unus Confeſſariorum: ſed alter non ità erat promptus, quia ipſi res hæc videbatur continere aliquid minus conveniens. Quapropter expeditio iſtius epiſtolæ fuit diu dilata. Ego illi dicebam (ait Mater Maria de Sacramento) Domina expediatur

hæc

hæc epiſtola, cùm id Divina Majeſtas jubeat, & ille Pater approbet. Sancta verò mihi reſpondit: tace, quia id non intelligis. Egóne iſtud faciam? non incumbit mihi hujus rei cura, ſed Deo; ipſe de ea diſponat, quando illi placuerit, & ſicut fuerit ſanctiſſima ejus voluntas. Et re verâ ità Deus diſpoſuit; epiſtola fuit expedita, habuitque effectum deſideratum. Multa hujuſmodi ſunt viſa.

Caput IX.

Virtutes Theologicæ ac Cardinales Ven. Marinæ.

I.

PAter Michaël de Orenia, ùt & P. Fr. Andreas de Ponte, in ſuo juramento pro informatione ad Canonizationem Ven. Marinæ hæc protulerunt: Fides, quam hæc famula Dei habuit, de divinis myſterijs, agnoſci poteſt ex magnitudine luminis, quod illi Deus ad ea penetranda communicaverat. Dicebat enim ſe vehementer mirari, potuiſſe in ullum intellectum cadere dubium de illis veritatibus. Hinc fiebat, quòd diſſerendo de his myſterijs, non loqueretur, quaſi illorum notitiam haberet ex ſolo Fidei lumine, ſed acſi ea vidiſſet. Tanta erat claritas, ac facilitas, quâ ab illa explicabantur.

II. Pater Frater Andreas de Ponte, de ejus virtute Spei ſic loquitur: ſemper in ipſa, quamdiu cum ea ſum verſatus, ſpatio 36. annorum, agnovi illam cum magna ſuæ ſalutis ſpe vivere. Ac proinde licet in ipſius ſcriptis toties legantur anxietates, dubia ac timores, in quibus vivebat; nunquam tamen verſabantur circa ſalutem, ſed circa viam tot viſionum, quâ à Deo ducebatur, an foret ſecura.

III. Pater Michaël de Orenia addit: ſolebat mihi multoties dicere, ſuam animam eſſe inſtar aviculæ, quam aliquando vidiſſet uno pede alligatam filo, ſempérque ſurſum evolantem,

&

& conantem se folvere: quæ si id potuisset assequi, sustulisset se in aërem, effugiendo hominum conspectum: atque sic animam suam mortalitatis catenis vinctam semper volitare affectibus, cupientem dissolvi, ut frueretur stabilitate illorum immortalium bonorum, quæ ipsi diu noctúque ad ea aspiranti toties Deus ostendebat. Dicebat mihi quoque se interdum quærere ex Divina Majestate, quandonam futurum esset, ut illucesceret ille exoptatus dies: & responderi sibi à Domino, ut se non affligat, brevi enim futurum; statimque subjungebat: Ah Pater! quàm diuturnæ sunt breves moræ Dei. Hæc tamen ardentia desideria erant cum tanta voluntatis resignatione, ut diceret se, dummodo esset voluntas Dei, & aliquá ratione prodesse posset suis proximis, libentissimè hic permansuram, ad finem usque mundi. Domina Magdalena de Cisneros jurat, Venerabilem hanc Virginem de desiderio suo moriendi loqui consvevisse, cum magno affectu, immutatáque facie vultum præ se tulisse cœlestem, incitantem ad laudandum Deum.

IV. Cùm utraque pars vitæ ipsius plena sit innumeris argumentis, & exemplis, igniti illius Amoris erga Deum, nimìs prolixum esset velle exactè ea, quæ ad Charitatem erga Deum pertinent, conscribere, adeóque tantùm carptim, quædam huc adducemus, cùm sit cuique pronum, inspicere quodcunque, ut sic loquar, folium ejus revelationum, ut statim incidat in aliquod specimen talis Charitatis. Videatur Pars 1. lib. 1. c. 8. ubi inivit cum Deo pactum, ut omnia Deo daret, solùm pro eo, ut eum amaret: quod pactum scripto ab Angelis confecto confirmavit. Et cum his desiderijs dixit aliàs ad Deum: mi Domine, quid faciam, ut tibi placeam? emorior præ desiderio tibi placendi, & darem mille vitas, si eas haberem, atque omnem sangvinem meum pro eo, quod desidero. Impera mihi aliquid, Bonum meum; adsum enim prompta ad omnia, quæ mihi volueris imperare, quamvis me jubeas sustinere maximos dolores, & cor-

& corpus meum projici in grandem rogum, quo consumatur. Et in eo loco consequenter elegantissima habet documenta per suam experientiam, de insatiabilitate amoris Dei, illustrata. Unde etiam conscripsit lib. 5. c. 29. sex media consequendi perfectũ amorem Dei, nec non sex impedimenta ejusdem assequendi. Videatur etiam part. 2. l. 1. c. 9. 10. 11. ac 12.

V. Præterea supremus effectus divini Amoris, est intima unio animæ cum Deo; ipsa autem innumeris vicibus, fuit admirandis modis Deo unita. Sed & valde admirabile est, ac profundissimum, quod illa explicat part. 2. lib. 2. c. 34. pag 364. de illo actu S. Augustini, ubi dicebat: *Domine, si ego essem DEUS, & tu esses Augustinus, ego vellem esse Augustinus, ut tu esses DEUS.* Explicans ergo Venerabilis Marina stupendos effectus amoris Dei, & resolutiones Animæ concludit his verbis: Hoc autem Anima facit cum tam profunda sui judicij, & clarâ deliberatione, tam impetuosa sui affectûs vehementia, ut si per impossibile commutatis vicibus fieret Deus, atq; Deus in ipsam converteretur; indubitanter existimet, quòd se abdicatura esset Divinitate, ut eam possideret ipsius Dilectus: & redacta ad inopiam, mendicitatem ac miseriam, summè gauderet, quòd illam permutationem fecisset in ejus honorem.

VI. Hanc ejus Charitatem erga Deum sic P. Fr. Andreas de Ponte juratus describit: Æstuabat amore Dei, & hinc derivabantur in naturam magni ardores externi, ut ipsi necesse fuerit succurrere aquâ. Erat notorium inextingvibilem sitim, quam patiebatur, processisse ex incendijs hujus divini Ignis.

Pater Michaël de Orenia prolixiùs jurat sequentia: Effectus hujus amoris, qui sensibus percipiebantur, ego ipse frequenter observavi ex calore, quem respirando meæ manui imprimebat, dum illi porrigerem epulum Eucharisticum. Et quia illam videbam grave corporis patientem incommodum propter incendium, quod in illud derivabatur ex Anima, impera-

bam ipsi, ut temperaret vehementiam affectuum Amoris Dei, adlaborando, ut isti remanerent in superiore animæ parte, cohibitis, quoad fieri posset, potentijs materialibus. A Medicis ob notitiam & experientiam, quâ perspectos habebant hos affectus, jubebatur interdum sumere aliquos aquæ haustus, ad temperandos illos ardores, qui erant tanti, ut mihi aliquando Marina de Hernandez ipsius socia, magna Dei serva, dixerit, videri sibi Dominam suam torreri ad ignem.

VII. Mater Maria de Sacramento jurat sequentia; quia Amor Dei, qui in ipsius corde ardebat & pectore, adeò erat vehemens, tantique indè procedebant ardores in vultum & manus, ut nos in rigore hiemis oportuerit flabello chartaceo excitare ventulum, ad dictas manus refrigerandas, quod viderentur aduri; porrigebamus illi idcirco aliquot haustus aquæ frigidæ propterea, quòd cibus in ipsius stomacho combureretur. Aliàs in ea attollebatur ipsa pectoris latitudo, erátque necesse illud totis viribus, quibus ego & meæ sociæ valebamus, comprimere. Addit Domina Angela de Osorio tantâ interdum vi fuisse superficiem pectoris & stomachi elevatam, ut cùm nec ipsa, neque sociæ possent illum impulsum coërcere, solitæ fuerint adhibere patinam ligneam, quam ipsi omnibus viribus apprimebant, ad eum cohibendum. Medici quoque testabantur varia se in ea deprehendisse incendia, quorum causa non potuerit esse naturalis, sed processerint ex ardore amoris divini. Hinc non est mirum, quod omnes tituli, quibus Sancti Patres & Doctores compellant charitatem, fuerint tam vivaciter in hac felicissima Virgine expressi, ut nihil scripserit, nullum peregerit negotium, & nè verbum propè sit locuta, quod hanc virtutem manifestè non indicaret.

VIII. Quod Virtutes Cardinales attinet, de ejus Prudentia agemus in secunda Parte hujus Tractatûs. De Temperantia ejus non est, quod quæratur, cùm ex omnibus appareat fuisse

sum-

summam. Justitia emicuit in distribuendis eleemosynis, quas illi Deus submittebat, nihil amplius suis consangvineis tribuens, quàm alijs in simili penuria constitutis, ut nulla unquam importunitate posset flecti ad cedendum affectui carnis & sangvinis. Sed Fortitudo erat ad miraculum heroica in tolerandis tam gravibus,& tam coacervatis molestijs,quibus illam Divina Majestas probavit: in exequendis cum admirabili perseverantia bene cæptis, nè minimùm ab eis desistendo, quæ semel prudenter decernebat, esse è majore Dei gloria.

Caput X.

Charitas erga Proximum.

I.

TAnto admirabilis hæc Virgo deplorabat dolore calamitates suorum proximorum, ut solita fuerit suis Confessarijs dicere, quòd hac de causa sibi jam cor sit disruptum, & consumptum: atque si Deus molestari posset, pridem illum jam molestiâ affecisset, ac fatigavisset suis importunis postulationibus, diu noctúque ipsum invocando & rogando; ut compateretur imbecillitati, ac miseriæ humanæ. Multa illi Deus revelabat de corruptis moribus, perditione & damnatione Animarum: quod nihil erat aliud, quàm ligna adjicere ad ignem, quo vehementiùs ureretur earundem salutem instantiùs petendo. In diversis verò personis fuerunt animadversi rari eventus efficaciæ,quæ his inerat precibus,ut desererentur peccata,& obtineretur Gratia Dei.

II. Ex eadem charitate provenit ille conatus, quem à Deo significante ipsi expresse suum beneplacitum, compulsa, adhibuit in fundando & reformando Ordine S. Brigittæ in Hispania, ad tantam Dei gloriam, & fructum jam sub hac Regula militantium Animarum, ut speretur, Deo favente, magnis per totum

tum Regnum dilatandus incrementis. Animavit Deus hanc suam insignem Servam ad molestias, ac difficultates, quas in isto negotio erat perpessura; præscripsit illi, quid facere deberet, si ab ejus Majestate auferretur ex hac vita, antequam executioni mandaretur Fundatio primi Monasterij. Designavit ipsi novas Regulas, quæ essent addendæ, mutatis, aut reformatis antiquis & accommodatis ad præsentia tempora atq; genios nostrorum Regnorum: easdémq; illi Regulas, cùm jam conscriptæ fuissent, exhibuit insculptas cordi & pectori Jesu Christi Domini nostri, ut ipsi significaret, omnes esse suas, & illas velut sui opus à se amari: seq; velle, ut tanquam tales observentur.

III. Visitavit nostram Virginem initio hujus moliminis Beatissima Virgo Domina nostra unà cum S. Brigitta, quæ illi ostendit, qualis esset suæ Religionis proprius habitus, cujus antehac Venerabilis Marina nè minimam habuerat notitiam, jussítq; ipsam ad dictum habitum adjungere Scapulare, ut se communi Monialium in Hispania usui conformaret. Mandavit illi denique Christus Dominus, ut nomine ipsius diceret suo Confessario, P. Michaëli de Orenia, ut in se susciperet solicitam hujus operis procurationem; quod is diligentissimè est executus eo fervore, quo consveverat opera tendentia ad divinum honorem: promovit illud cum magna prudentia, adjutus consilio & precibus ejusdem Sanctæ Dominæ. Videns ergo id in hoc negotio ante omnia curandum esse, ut dicta Regula approbaretur à Christi Vicario, imploravit per supremum aulæ tum Præfectum, favorem Regis Catholici Philippi IV. Hic autem pro pijssimo suo zelo statim scripsit ad suum Legatum & Cardinalem de Borgia, ut id peteret à Sanctissimo Domino nostro Papa Urbano VIII: iste autem sufficienter informatus expedivit Bullam, quâ confirmavit Regulam, sicut illi à Venerabili Virgine Marina erat proposita. Rex non contentus hoc facto, primum Regiâ munificentiâ fundavit cœnobium.

IV.

IV. Fuit quoq; hæc fidelissima famula DEI admirabilis in benignitate, & commiseratione erga proximos, quos in CHRISTO tenerè diligebat, & propterea graves in sua juventute à quadam persona sustinuit persecutiones. Narrabat illa (attribuens humillimè eventum Divinæ Bonitati, quasi ea in re nihil virtus ipsius egisset) sibi quâdam occasione magnæ famis à suo Parente datum fuisse medimnum tritici, ut subveniret pauperibus, atque à se panem, quem indè suismet manibus confecisset, liberaliter distributum omnibus eleemosynam petentibus: totâ domo obstupescente, tam diu illam farinam duravisse, ut ex ea habuerit, quòd largiretur egenis, toto penè tempore, quo duravit necessitas.

V. An. 1630. qui in Castella vetere fuit sterilissimus, ipsi à personis beneficis fuerunt submissæ eleemosynæ ad sustentandas suas domesticas, & succurrendum nonnullis proximorũ necessitatibus. Videtur illi tum indubitanter, fidelissimorum testium judicio, fuisse multiplicatum, quod accipiebat: multa namq; in domo ipsius dabantur pauperibus mendicis; mittebatur subsidium quatuor, aut quinq; honoratis familijs, quas à mendicando retrahebat verecundia: sublevabat Monasteria indiga integris tritici medimnis: ut, nisi DEUS acceptum multiplicavisset, impossibile visum fuerit, potuisse sufficere ad tot expensas.

VI. Animadversum specialiter est, quod allato pane pisto, qualis prostabat venalis, tantúmque ponderante, quantum ipsius sociæ absumere consveverant; dum is postea revocaretur ad calculos, repertum fuerit omnibus illo refectis, tantundem tamen fuisse datum mendicis, ac si ipse nihil indè absumpsissent. Mirabantur illæ, & Sancta illis respondebat: Nolite mirari, filiæ, diuturnâ enim experientiâ didici, tantopere à DEO æstimari pauperes, & quod pro ipsis fit, ut modicum multiplicet pro eorum sustentatione.

VII. Quis non obstupescat, à Virgine Paupere, & carente

omni patrimonio, vivente eleemosynis fidelium, has nihilominus potuisse erogari tam copiosas, atque inde dotari octodecim Virgines, quas in diversis collocavit Monasterijs, & minimùm quatuor alijs provideri de statu matrimoniali; fundari in quibusdam cœnobijs reditus pro lampade arsura coram Sanctissimo Sacramento; in ijsdem institui aliquot Missæ Sacrificia: ac denique pro tot pijs operibus necessaria suppeditari, prout erat publicum, & exploratum, tot gravibus testibus, qui id jurato asserunt! Immensus erat labor, quo illi singula ista constabant, neque minor difficultas, ut puellis quibusdam, & pueris orphanis procuraret Dominos, ac Dominas, à quibus deinde protegerentur; útque impetraret à nonnullis Prælatis Religiosis susceptionem quorundam proborum adolescentium, qui se ipsi commendabant: præcipuè verò quòd se videret à Deo, à quo illi id expresè mandabatur (cùm alioquin quoad hoc naturæ esset verecundissimæ) impelli ad acceptandas & quandoq; petendas plures eleemosynas, quàm pro se ipsa indigeret, tantùm ut succurreret suorum proximorum indigentiæ.

VIII. Prædicta, quæ in bonum proximorum egit, non satisfaciebant generoso, & amantissimo cordi nostræ Virginis: sed etiam notabiliter illis profuit scribendo, quamdiu potuit, ac deinde dictando spiritualia documenta, & salutaria consilia pro omni hominum genere. Multoties magna cum admiratione (ait in suo juramento P. Michaël de Orenia) considerabam, quomodo mulier tam afflicta tot se rebus posset impendere, alijs aurem præbendo, alijs scribendo; solicitando de subsidijs pauperum, & de spirituali sociarum profectu, de solatio Monialium, de directione cujusvis status hominum: conscribendo admirandas, divinâ plenas prudentiâ instructiones pro animabus, earúmque Directoribus Magistris, extendente se ipsius charitate etiam ad procul dissitos: scripsit enim præclaram epistolam exhortatoriam ad Catholicos Angliæ.

IX.

IX. Petebat à Deo illius Regni conversionem, quamvis non futuram ipsâ vivente. Tantum diu noctúque tribuebat temporis his operibus charitatis, ut non solùm mirarer ei suppetere vires pro tam magno labore, verùm etiam eundem tolerari posse à sociabus, quarum vices dolebam, eò quòd ipsis inter has occupationes multùm noctu esset vigilandum: quia Venerabilis Marina per diem pérque noctem, non dormiebat ultrà sesquihoram circiter, & quibusdam diebus ab omni prorsus somno abstinebat; omne autem reliquum tempus transigebat contemplando cœlestia, patiendo & laborando, ut proximis suis benefaceret.

X. Dictis addit P. F. Andreas de Ponte: siquidem Venerabilis Domina nunquam ultra horam & dimidiam somnum protrahebat, nonnullis verò diebus penitus in somnis perdurabat, suppetebat illi inter alia, quæ agebat, tempus scribendi tot; ac tam admirabiles tractatus pro utilitate proximorum. Unus fuit de modis supernaturalibus, quibus se Deus communicat animæ: alter quomodo Anima Deum cognoscat per alloquia interna: tertius de medijs, quibus obtinetur perfectus Amor Dei, & de ejusdem impedimentis: quartus de causa, & medijs actualis in Anima præsentiæ Dei: quintus, qualiter Sponsa Christi amare debeat crucem ad ejusdem Domini imitationem: sextus, in quo consistat actualis præsentia Dei in Anima: septimus de instructione Confessariorum pro adjuvandis Animabus: octavus de Prælatis Religiosorum Ordinum. Omnes hi Tractatus, etsi breves, sublimem continent doctrinam, ac talem, ut eam doctissimi Viri fuerint admirati.

XI. Non possum silentio præterire, quomodo hæc Virgo inter suos dolores, non sinè divina inspiratione scripserit vitam Venerabilis Marinæ Hernandez, & ipsius obitum. Convixit illi hæc Sancta Matrona viginti quinque annis; operâ ejusdem utebatur Domina Marina in omnibus peragendis, eratque insignis

ſignis Dei Serva. Multa recenſet noſtra Virgo, tanquam teſtis oculata de ipſius virtutibus. Fuerat conjugata, atque tam in ſtatu matrimoniali, quàm in viduitate vitam agebat ſanctiſſimam: adeò ut noſtra Domina Marina lectum ſuæ ſociæ Marinæ Hernandez moribundæ viderit, circumdatum ab Angelis, & poſtea felicem illius Animam in cœlo magnâ conſpicuam gloriâ. Omnes hos tractatus ego habeo. Hactenus P. Fr. Andreas de Ponte Ordinis Prædicatorum, frater Venerabilis Patris Ludovici de Ponte.

XII. Tantus fuit in ea animarum zelus, ut præ compaſſione erga peccatores quodammodo emoreretur, quo Divina Majeſtas mota ei conceſſit, ut quotieſcunque ſumeret Divinum Sacramentum, ſi eo die intercederet apud Deum, pro quapiam anima exiſtente in peccato mortali, ipſa eſſet liberanda ex malo ſtatu, accepturaque talia, ac tanta auxilia, ut conſequeretur ſuam ſalutem prout refertur parte 1. lib. 5. c. 11. ut & admirabilis ejus zelus explicatur c. 10. ac 12. Verùm quia ea quæ charitatem ejus erga proximos concernunt plerumque ab ipſamet enarrantur, adeóque ab eis, quibus Revelationes ejus nondum plenè ſatisfaciunt, poſſent videri ſuppoſititia, aut fide minùs digna, ideo ab ijs commemorandis hic abſtineo, cùm ſcopus meus ſit Revelationibus illis authoritatem conciliare per vitæ illius ſublimem ac certam Sanctitatem.

Caput XI.

Quædam à Venerabili Marina præſtita Hiſpaniæ.

I.

Anno 1625. die 9. Aprilis vidit Ven. Marina quaſdam ſuas corollas precatorias, à quodam Angelo ſpecioſiſſimo Seraphino, radijs ſuis ferri.. Paulò pòſt autem apparens Ven. P. Ludovicus de Ponte eaſdem benedixit. Interrogavit

rogavit suum S. Angelum Custodem, quem in finem S. P. Ludovicus benedixisset eas corollas, quandoquidem ipsis jam virtutem communicaverit S. Seraphinus, dum eas suis attigit gratijs. Respondit mihi (scribit illa) meus S. Angelus: Adverte, Magnus DEUS noster communicat nonnulla privilegia Sacerdotibus, quæ non communicavit Angelis, quale est conferre virtutem rebus materialibus, ut per eas fugentur dæmones, sedentur tempestates, curentúrque morbi. Et quia is, cui datura es unam ex istis corollis, omnia hæc incommoda experietur in longo itinere, quod illi imminet, voluit DEUS, ut hic Pater, qui fuit Sacerdos & Sanctus, ijs impertiretur suam benedictionem, propter quam illis Divina Majestas virtutem indidit contra omnia prædicta pericula.

II. Quem Ven. Marina hic insinuat, unâ ex illis benedictis corollis donandum, fuit Joannes de Haro, qui tunc solvit in Indias, futurus Gubernator Portûs divitis, vulgò Portorico, in Insulis Oceani Americæ. Quid Dominus DEUS illic contra hostes Fidei & Hispaniæ sub finem illius añi 1625. præstiterit, fuit tunc notorium, & quantum illi profuerit subsidium spirituale acceptum à Ven. Marina, constat ex sequenti Epistola ad eam data.

JESUS.

Omnes meæ molestiæ, Domina, mitigantur, dum solummodo considero me à tua Dominatione protegi. Jam mihi id hac occasione patuit, siquidem sanctæ tuæ preces effecerunt, ut evaderem Victor, vitamque conservarem: quod fuit evidens miraculum. Quamvis enim mihi fuerint inflicta quatuordecim vulnera, & quædam prorsus periculosa, non corripuit me tamen febris, quanquam cibum sumam tantùm unciatim, & quidem salitam bubulam, ac panem ex herbarum radicibus confectum, & aquam bibam valde insalubrem. Scribo fusè meæ sorori: ipsa referat omnia, quæ ego propter occupationes meas non possum. Tua Dominatio sit mei, per Amorem DEI rogo,

singulariter memor; & ego per omnem vitam recordabor, me esse tuum obedientem Filium. Dominæ meæ Elisabethæ exosculor manus, eámque obsecro, ut mei meminerit in suis precibus: id quod etiam ab omnibus in hac sancta domo commorantibus efflagito. Deus mihi tuam Dominationem servet, sicut desidero, & indigeo. Ex Portorico 14. Febr. An. 1626.

Tuæ Dominationis

Joannes de Haro.

III. Huc spectat Revelatio, quam habuit eodem Anno 7. Decembris Venerabilis Marina, quam ipsa describit parte 2. lib. 2. c. 9. p. 251. Sum ducta ad cœlestem Jerosolymam, & præsentata Beatissimæ Trinitati, quæ mihi dedit suam sanctissimam Benedictionem. Indè fui ducta ad quendam altum locum, plenum inæstimabili gloriâ, &c. Hinc jubente Deo inclusa in quandam velut nubeculam auream sum translata ad longè dissitum locum, qui habebat speciem commodi oppidi, seu parvæ urbis. Ibi vidi castellum munitum, quod obsidebatur ab hostibus, non circumquaque, sed ab una parte & quasi ex adverso. Pugnabatur utrinque & aggressoribus fortuna minùs favebat. Ex nube autem, in qua ego eram, emicabant quidam radij luminis, quibus excæcati hostes, aliqui præfocabantur calore, & alij despondebant animos. Conabantur nihilominus iterare oppugnationem, ut de novo invaderent obsessos, qui erant Catholici & Hispani. In hoc statu illos reliqui, sperans tamen fore, ut Divina Majestas concederet victoriam nostris. Locus, quantum ex indicijs mihi datis collegi, est Portus dives. Deus sit in æternum benedictus, Amen.

IV. P. Michaël de Orenia, jurat se multis mensibus, antequam ea in Hispania scirentur, audivisse ex ore ipsius expressissimè, quæ apud Portum divitem fiebant. Scribit præterea, qualiter liberaverit classem Hispanam interpositâ nebulâ, nè ab Anglica

glica classe hostili invaderetur. Atque id, quod in Hispania innotuit, postquam nostri ex navibus exscendissent, jurat uterque Confessarius se longè priùs intellexisse, sibique de die in diem ab ipsa fuisse narratum, quid cum classe nostra ageretur, quam illa semper comitabatur.

V. Item ambo jurant, quòd hæc Ven. Domina ipsis aliquando dixerit, ostensum sibi fuisse in mari ingentem tumultum, & interceptum esse argentum ab hostibus, quod advehebatur ex Indijs. Fuit ab uno illorum interrogata, quid evenisset tot animabus (solita enim erat in hujusmodi conflictibus videre, quæ salvarentur, & quæ damnarentur) & respondit, nullam sibi à Deo exhibitam esse. Cùm id audirent, ac divinarent Hispanos se nequaquam dedidisse absque conflictu, & moraliter esse impossibile, ut si conflixissent, nulla fuisset edita strages hominum: dixerunt illi: videtur non fuisse intercepta classis, sed naves aliquæ mercatorum venientes in Hispaniam. Non, Patres, reposuit illa, sed argentum, ac thesaurus, qui ex Indijs Regi & privatis advehi solet, est perditus ablatúsque ab hostibus. Post aliquot menses viderunt ità evenisse: spectavitque post aliquot annos Hispania capite plexum classis Ducem, quòd nullo exploso tormento bellico, neque educto gladio, tam opulentam prædam Hollandis tradidisset.

VI. Anno 1626. cùm Deus varijs modis ostendisset se parare calamitates Hispaniæ, institit Ven. Marina ex inspiratione divina, ut ejus Confessarius adiret Aulam (nonnullis vehementer obmurmurantibus) atque de hoc ageret; qui singulari sua Religiositate, ac prudentiâ, multóque magis adjuvante divinâ gratiâ, alloquendo & exhortando præcipuè Aulæ Magnates, obtinuit, ut decerneretur de gravioribus quibusdam negotijs & obviaretur aliquibus majoris momenti damnis; quod tum Deus fieri volebat. Nonnemo è summis Proceribus ejus ætatis gratias egit Ven. Marinæ epistolâ manu propriâ scriptâ quin-

que paginarum in folio integro, implorans plures preces, pollicitus se pro viribus facturum, quidquid fuerit possibile.

VII. Part. 1. lib. 4. c. 9. habetur memoratu dignissimum, quod illa ipsa refert his verbis: Frequenter me Dominus consolabatur, appellabatque filiam, ac dicebat mihi: Quid vis? quando autem ego ipsum invocabam, & dicebam: ubi es mi Domine? Ille mihi dicebat: hìc sum tecum, hìc me habes. Semper tamen eram sollicita de his præsentibus necessitatibus, & implorabam ejus misericordiam, atque etiam cogitabam, an non Deus propter nostra gravia peccata esset aliquando derelicturus hæc regna, sicut dereliquit alia, quæ id promeruerunt suis sceleribus. Et dum ea de re agerem cum Divina Majestate, dixit mihi: nè timeas, quia tu id non videbis. Tum ego dixi: cæteri autem, mi Domine, qui nunc vivunt, videbúntne tantum malum & afflictionem? subindicavit mihi, quod etiam non. Rursum dixi, eveniétne tamen aliquando, Domine, tantum malum & infortunium? nam dolor, quem indè percipiebam, me adigebat ad hoc dicendum Deo, qui mihi respondit: nè id velis scire; quasi mihi hoc nollet manifestare, nè me affligeret. Ego suspicata fore, ut eveniat, mota commiseratione dicebam illi cum multis lacrymis: non, non, mi Domine, per tuam misericordiam, neque jam, neque unquam. Et petebam id perseveranter à Divina Majestate, quæ videtur me voluisse consolari, dicendo mihi: quid tandem tuâ refert, quòd hinc transeam aliò, vel hìc maneam, cùm tu id non sis visura? Ego verò dicebam eâ animositate, quam mihi Deus dabat, alioquin enim non essem tam audax: refert, mi Domine, multùm meâ refert. Domine, per tuam clementiam, nè id facias nunc, sed nec unquam, propter tuam infinitam Bonitatem. Dum hæc atque alia dicerem, advertebam, quòd mihi Divina Majestas compateretur, videns me ità afflictam, ideóque mihi dicebat: omnia bene fient, satisfaciam tibi, & consolabor te. Nunquid autem nihil voles aliud,

quàm

quàm quod ego voluero? Ego illi dixi: procul dubio, Domine, ego nihil aliud volo, quàm quod tu volueris, & hinc solatium capiam. Dicebat mihi præterea Dominus: ecce adhuc multum præteribit temporis, & multa effluent sæcula; multa etiam contingent, & varia evenient. Ego attendebam, quid diceret, neque poteram non advertere, ac intelligere à Divina Majestate, mihi ista dici, ac manifestari.

VIII. Quando primogenita filia Philippi III. quæ postea fuit Regina Galliæ, erat infans, dum Aula moraretur Vallisoleti, ægrotavit, habuítque caput & faciem coopertam, quibusdam crustis, ut aspectus ipsius moveret ad commiserationem; visitavit Deipara Venerabilem Marinam, & expressit modicum lactis ex suo sacratissimo ubere ad volas manuum ipsius, dixítque ei: Visita filiam Regis, & applica istud lac illius capiti, ac faciei, sanabitúrque sinè mora. Ipsa invisit Dominam Marchionem de Valle, quæ tunc erat nutrix filiæ regiæ, sicut illam aliàs consveverat invisere; quia hæc Domina vehementer delectabatur illius conversatione, & ex ea proficiebat. Rogavit ipsam, ut sibi ostenderet primogenitam Regis, & valde dissimulanter; ità ut non adverteretur, quid ageret, contrectavit illius caput, ac faciem, atque intra quatriduum ipsi deciderunt illæ crustæ, & abscessit omne malum, quod fuerat passa.

CAPUT XII.

Venerabilis Marina, Gustavum Adolphum Regem Sueciæ Hæreticum, prostravit.

I.

QUando Gustavus Adolphus Sueciæ Rex ingressus est Germaniam, Venerabilis Marina cùm intellexisset damna ab ipso Catholicis illata, & pericula graviorum, quæ intentabat; cœpit hoc negotium impensè Deo commen-

 dare.

dare. Tametsi verò à Divina Majestate peteret hujus hæretici conversionem, dolens, ùt ipsa ajebat, hominem tam nobilis naturæ, tot præclaris animi dotibus, ac tam egregiâ indole præditum, ruere in exitium; nihilominus in suo corde aliud & vehemens sentiebat desiderium ipsius interimendi, & exterminandi tanti hostis fidei, quandoquidem obstinatè nollet converti. Admiranda hoc negotium concernentia fuerunt acta cum Deo, quæ ab ipsa scripta sunt An. 1632. initio Julij, undecim mensibus, antequam ipsa migraret ad meliorem vitam, ubi P. Michaël de Orenia apposuit sua manu in margine hæc verba: *Istud scriptum continet ea, quæ Venerabili Marinæ acciderint versanti cum Deo, quando Rex Sueciæ gerebat bellum in Germania; & Hollandi invaserant Trajectum.* Nec dubium est, quin ipsa huic suo Confessario, cum quo coràm conferebat de omnibus specialibus circumstantijs, plura dixerit, quæ in suis scriptis non exprimebat.

II. Scriptum autem illud refert P. Andreas Pintus Ramirez, parte 2. lib. 2. c. 24. ubi legi potest: cui P. Michaël de Orenia suâ manu adjungit eodem anno & mense, quid Venerabili Marinæ quoad hæc bella evenerit, & quantum ipsa suis precibus juverit, ut furor Suecicus cohiberetur. *Die Sanctæ Annæ, An. 1632. (quo id scribitur) Venerabilis Marina mihi dixit, se ante octiduum vidisse, quòd grandis armatorum Angelorum exercitus fuerit egressus è cœlo cum vehementi tympanorum, tubarum, ac fistularum strepitu, & pulchro ordine proficiscens processerit ad eam Regionem, in qua manent exercitus Catholici, & hostiles, quódque isto Angelorum exercitu conspecto, innumerabilis ibidem existens cohors diabolorum deseruerit suas stationes, ijdemque diaboli incredibili celeritate fugientes, se præcipitaverint ad mare, ac descenderint sub aquas, ità ut illos tum ultra non conspexerit. Sancti verò Angeli postquam fecissent quendam circuitum, veluti ostentantes suam potenti-*

am,

am, rediverint ad cœlum. Aliâ die vidit eos dæmones, qui se immiserant aquis, prodivisse ad terram: verùm tanquam contusos, afflictos, & viribus fractos.

III. Dixit præterea Venerabilis Marina se nudiustertius in vigilia Sancti Jacobi vidisse prodeuntem ex cœlo eundem exercitum Angelorum, eodem, quo dictum fuit modo. Non conspexit tunc dæmones, vidit tamen multos ex innumerabili exercitu cœlesti remansisse inter milites Catholicorum exercituum. Contemplabatur ipsos, factáque suâ supputatione, prout illi id hîc repræsentabatur, videbantur ei contra quaternos hostes mansisse singuli Angeli. Cæteri regressi sunt ad cœlum. Hucusque ipsius Confessarius P. Michaël de Orenia.

IV. Sæpe Venerabilis Marina in spiritu allocuta est impium illum Regem, mirúmque fuit, quod illum tam genuinè descripserit quoad colorem, formam capillorum, lineamenta facici, staturam, habitum corporis, & ætatem, ut ambo ipsius Confessarij jurent verissimam illius effigiem ex Ungaria allatam, exactissimè respondisse verbis, quibus ab hac Virgine fuit repræsentatus. Confessarios suos, qui metuebant & angebantur, propter periculum, quòd adire posset Fides Catholica, semper, etiam dum Tyranni illius prosperitas maximè videretur fore durabilis, & insuperabilis potentia, jubebat esse bono animo, moriturum enim esse hæreticum Principem. Atque ità prorsus contigit, quia suis precibus à Deo impetravit, ut ipsi auferret dæmones familiares, quos sibi habebat assistentes. Cúmque etiam postea maneret obduratus, & in magnam ageretur rabiem, quòd infernali esset destitutus subsidio, cui priùs innitebatur; jam tanquam imbellem hæc Virgo armis invisibilibus sibi à Deo datis (quæ precum ipsius repræsentabant efficaciam) est aggressa, prostravitque illum humi, & vidit coram oculis suis extinctum. Hæc jurant P. Michaël de Orenia, & P. F. Andreas de Ponte, se audivisse à Virgine, multò antequam acciderunt.

V.

V. Mater verò Maria de Sacramento, arcanorum ipsius particeps, fatetur in suo jurato testimonio, se aliquot mensibus citiùs, quàm isthic aliquid sciretur, manu suâ scripsisse, quæ ex ore suæ sanctæ Dominæ excepit, dum intima sua manifestaret Confessarijs, de morte hujus Tyranni: & quomodo illi DEUS in eum finem dederit gladium invisibilem, quo in os ipsius infixo eundem coram se mortuum conspexerit. Similiter jurat Domina Angela de Osorio ejusdem socia, & alia socia nomine Domina Dorothæa.

VI. His concordat, quod Excellentissimus Cæsareus Generalis Dominus Comes Casparus Kaplirz de Sulevitz referebat, qui olim hæreticus, è Bohemia, nè hæresim deserere cogeretur, cum suis amicis egressus, ephebum apud hunc Regem Gustavum agebat, eo ipso tempore, quo illum occidi contigit in prælio, contra Cæsareum Ducem Albertum de Waldstein Principem Fridlandiæ, ubi prædictus Dominus Kaplirz toto tempore lateri prædicti Regis, usque ad mortem proximus ab obsequijs cum Francisco Alberto uno è Ducibus Saxoniæ adhæsit. Narrabat ergo prædictus Dominus Kaplirz, Regem Gustavum ultimo vitæ suæ anno fuisse factum tam furiosum & rabidum, ut omnibus esset intolerabilis, adeò ut non dubitaverit asserere Ludovicum XIII. Regem Galliæ, arma sua, quæ cum eo contra Ferdinandum II. Cæsarem conjunxerat, fuisse paulò pòst rupto fœdere sejuncturum, ob intractabilem ejus furorem.

VII. Audivi autem ego bis eundem Comitem Kaplirz (qui postea Pragæ à P. Bernardo Oppel Societatis Jesu, ad Fidem Catholicam conversus, desertis hæreticis partibus, etiam Regis Hispaniæ copijs in Ducatu Mediolanensi præfuit, dein Cæsarea, usque ad ultimam senectutem, auspicia secutus Viennam Austriæ contra Turcas An. 1683. bellicâ suâ tot annorum in tam varijs occasionibus conquisitâ prudentiâ, consilijs & directione Christianitati integram conservavit) Audivi, inquam, bis

bis ſuper menſam, nempe ſemel apud Excellentiſſimum Dominum Bernardum Comitem de Martinitz Supremum in Regno Bohemiæ Burggravium; alterâ vice apud Celſiſſimum Principem Joannem Fridericum Comitem de Waldſtein Archiepiſcopum Pragenſem narrantem mortem Regis Guſtavi, de qua mirè Scriptores variabant ſic accidiſſe.

VIII. Dum Rex ille caſtra ad oppidum Lutzen haberet, eum cuipiam menſæ ſolum manè aſſidentem circumſtantes ſuos Duces bellicos conſultabundum interrogâſſe, eſſetne cum Cæſareis vicinis confligendum. Hæſiſſe tacitos omnes, & Franciſcum Albertum è Saxoniæ Ducibus, baculum Ducalem, cui incumbebat, manu rotâſſe in ſignum perplexi animi, & anxiæ ſuæ cogitationis. Fit interea rumor adduci militem Cæſareum captivum, quem ſibi ſiſti juſſum Rex ipſe cæpit examinare; cúmque is nominaret Legionem, ad quam ſe dicebat pertinere, Rex prorupit: mentiris! Legio enim hæc cum Generali Popenheim abeſt. Cui miles: Domine (nec enim ſciebat ſe loqui Regi) hodie Generalis Popenheim cum Legione illa, & omnibus ſuis copijs tranſit pontem per Albim. Tum Rex: ohe! pugnandum ergo eſſet mihi cum duobus (nempe cum Duce Fridlando, & Generali Popenheim) ſtatim detur ſignum pugnæ, priuſquàm Popenheim adveniat. Tum ipſemet, aſſumptâ cataphracturâ, aciem obequitans ordinabat, atque alâ dextrâ conſtitutâ, transivit ad conſtituendam ſiniſtram, ipſo ephebo Kaplirzio, ei ſemper famulandi gratiâ proximè adequitante: cùm repentè ſolliciti accurrêre nuntij, Equeſtre Regimen Svecicum Steinbok dictum conſternatum hæſitare, eò quòd adverteret ſibi pugnandum eſſe, contra Legionem equeſtrem Piccolomini, quæ profectò, ùt affirmabat Dominus Kaplirz, horrida fuerit omnibus aſpectu, toto corpore ità cataphracta, ut quodammodo merum ferrum aſpicientibus videretur. Hoc nuncio Rex in ſolitam ſuam rabiem actus, equo calcaribus quàm vehementiſſimè

 ada-

adacto, fulminis instar ad eam Legionem solo Saxonico Duce Francisco Alberto, & ephebo prædicto Domino Kaplirz comitatus accurrit, verbisque acerrimis, admixtis contumelijs, suos illos Svecos proscissos jussit se præeuntem sequi.

IX. Fuisse autem tunc tam densam nebulam, ut necdum exercitus potuerint se mutuò videre, adeóque nec Regem putâsse Cæsareos esse jam proximos; cùm ecce jam Piccolominiani ei obviarent, nullo adhuc ab exercitibus facto bombardarum ictu, sed tunc omnium primus aut certè (prout Comes Kaplirz repetitò asserebat) summùm secundus ictus bombardæ, aut minoris sclopi in dextrum Regis humerum incidit. Hoc accepto, Rex Duci Francisco Alberto dixit: Nos sumus tacti; statímque equum vertit ex acie abiturus, deducente prædicto Duce Francisco Alberto; cùm ecce alter ictus globi majoris (prout hodiéque in ejus ex corio Alcis gravissimo thorace, seu collobio in Cæsareo Viennæ repositorio apparet) supervenit in medium dorsi, jam lethalis, quo etiam videtur spina dorsi ejus fuisse confracta; & Rex moribundus in brachia ponè adequitantis Ducis Francisci Alberti decidit, qui eum conatus est sustentare, donec ex acie educeret. Sed Legiones interea acerrimè conflixêre, sic tamen, ut Picolominiana Svecicam Steinbokianam retruderet tanto impetu, ut ipsi Duci Francisco Alberto jamjam immineret adeò, ut ipse Regem, quem videbat se ampliùs eripere non posse, ex equo deciduum dimiserit, ut suam saltèm vitam morti subduceret. Sic ergo tota adventans Legio Piccolominiana super jacentem Regem progressa soleis equorum proculcatum, laceratum deformavit. Dux autem Franciscus Albertus unà cum ephebo Kaplirz è vestigio intra Svecicum exercitum evolantes, triste nuncium, occisi Regis attulerunt; sed jussi rem habere tacitam, nè in medio fervore pugnæ Svecorum animi debilitarentur, congregato celerrimè fortissimorum cuneo, qui illuc ubi corpus Regis jaceret, perrumperet, ipsi locum ostensuri,

ri, præiverunt, & Cæſarianis tantiſper repulſis Regium cadaver eis Dominus Kaplirz oſtendit, collobio, ſeu thorace (mirùm in tanto fervore pugnæ!) jam ſpoliatum. Sublatum ergo cadaver ſilentio ad ſuos detulerunt, donec prælium abſolveretur.

CAPUT XIII.

Revelationes præviæ de morte Ven. Marinæ.

I.

Quia multa Ven. Virgo Marina futura prædixit, quorum eventus necdum conſtat, adeóque non defuit, qui objiceret has ejus prophetias poſſe eſſe ſuſpectas, præſertim cùm non determinaverit tempus, quando ea eſſent eventura; ideo videtur mihi valde expediens ad faciendam fidem ejus prophetijs, ſi ea, quæ pridem de ejus futura morte P. Ludovicus de Ponte novem annis ante eam mortuus, aut etiam Pater Michaël de Orenia ante ejus obitum conſignata reliquit, hîc adducantur, & expendantur, quàm correſpondeant ad ungvem ijs, quæ re verâ in morte ejus acciderunt. Neque enim poſſibile eſt hic dolum interveniſſe, cùm ſcripta fuerint omnia, & in manibus extiterint priùs, & quidem aliqua tot annis antè, quàm poſtea in conſpectu tot millium hominum, publicè evenerint.

II. Optaverat illa, prout retuli ſuprà in fine Capitis IV. in ipſa morte non habere terribiles dolores, ut meliùs ſe poſſet præparare; cui deſiderio annuens Divina Majeſtas fecit, ut dolores præcederent, & poſtea mors ipſa in quiete & ſolatio ſequeretur, prout infrà refereتur. Hoc ergo circa annum Domini 1623. ei DEUS repræſentavit viſione ſequenti, quam P. Ludovicus de Ponte part. 1. lib. 3. c. 16. §. 5. refert. Quâdam nocte derepente me inveni extra meum lectum in terra ſtantem, oneratam cruce graviſſimâ, ità ut me non poſſem movere ex lo-

co, in quo ſtabam. Aſpiciebam meos Sanctos Angelos, qui aderant, modò hunc, modò illum, qui ſe oſtendebant vices meas dolere, & animabant me ad ferendam meam crucem. Sanctus meus Angelus Cuſtos illam modicùm ſuſtentavit, & ſic potui incipere cum ipſa progredi, comitantibus me Sanctis Angelis, qni dicebant: lentè, lentè; quaſi dicerent, ut incederem paulatim, & pedetentim. Poſtquam diu hoc modo ambulaviſſem, deſcendendum mihi erat procul deorſum ad profundam vallem, qui deſcenſus fuit moleſtior. Perveni ad quendam fluvium, quem faciliùs tranſivi; atque trans ipſum erat via inſtar Paradiſi: dixerúntque Angeli eſſe mihi eundum per illam viam. Ego verò illis reſpondi: non, mei Domini, nolo enim in hac vita paradiſum: & hoc bis térve conſtanter aſſerui. Illi iterum dixerunt: opus eſſe illac tranſire, & me tunc non experturam ejus viæ jucunditatem. Ità conſenſi, ac tranſivi per illam viam, geſtans meam crucem humeris, quaſi ipſam non tranſirem.

III. Poſtquam autem aliquamdiu ambulaviſſem, ex improviſo me inveni apud portas cœleſtis Jeroſolymæ, ac vidi CHRISTUM noſtrum Dominum, qui mihi venit obviam, & ſuſtulit meam crucem, quam portabam, dedítque illam uni ex illis Angelis. Deinde me amplexatus eſt, introduxitque me in eam cœleſtem Civitatem, & conſtituendo me in certo loco, dixit mihi: ſede & quieſce, ac aſpice magna bona, quæ hìc reperiuntur, quibus fruitura es in æternum. Tum ego cum eo lumine, quod mihi Dominus contulit, incepi contemplari beatitudinem Sanctorum, & aliquantùm illâ frui, ac deinde me ſenſi quaſi ſubmerſam in abyſſo Divini Eſſe, unitam Divinæ Majeſtati. Et poſtquam ità ibi aliquamdiu manſiſſem, quando mihi ſum reddita, reperi me in meo lecto. Deinde mihi fuit declaratum myſterium totius hujus rei, dum mihi diceretur, quòd illa crux ſignificaverit afflictiones & anguſtias, quas patior, & maximâ illâ moleſtiâ, quam ſenſi in deſcenſu ad eam vallem, fuiſſe repræ-

ſen-

ſentatas ſummas anguſtias, quas, vicina morti eſſem perpeſſura; ſed non diu duraturas, atque potituram me magnâ pace,& quiete, ſignificatâ per illum Paradiſum.

IV. Aliâ vice aliquando manè mihi oſtendit Dominus quaſdam ſcalas, quæ à terra pertingebant ad cœlum. Erant ex auro puriſſimo, ac tenebantur à quibuſdam Sanctis Angelis, in parte poſteriore, dixitque Dominus: Aſcende ſurſum Anima per has ſcalas, non enim eſt, cur illas taliter aptatas reformides. Auditâ voce Domini aſcendi velociſſimè, quia virtus divina ſublevabat meam Animam, adeò ut videretur eſſe inſtar triremis, quam ſulcantem mare ſvavis ventus velociter impellit. Pervenit mea anima uſque ad ſummitatem illarum altarum ſcalarum, & ſtatim videbantur aperiri cœli, quaſi in momento diſrumperentur: atque Dominus ſubitò dixit ſublimi & benigno quodam modo: intra Anima in gaudium tui DEI. Lætata eſt tum mea anima, in ea regia & beata Civitate DEI, in qua illi fuerunt oſtenſa admiranda bona, quibus aliquamdiu fuit fruita, ſicut aliàs. Revelavit mihi Dominus ſuo lumine, ſcalas aureas fuiſſe figuram & ſymbolum meæ mortis,in qua in momento,ac facillimè per ipſius Bonitatem & miſericordiam eſſet tranſferenda mea anima, ad illam felicem Patriam, manibus Sanctorum Angelorum. DEUS novit confuſionem, quam mea anima ſentit, quòd hoc ſcribam, & ipſa id intelligat à ſuo DEO; quámque timeam, ſi propter meas tepiditates ac peccata deberem perdere theſauros ſuarum miſericordiarum. Confidam in Domino DEO meo, qui eſt infinitè bonus, & dives in miſericordijs.

V. Hoc tempore, quo mihi DEUS toties revelabat ſuam gloriam, dixi meis Dominis Sanctis Angelis, me relinqui incertam à DEO, quoad meum tranſitum. Ipſi contraxerunt humeros, & Dominus mihi reſpondit: non eſt incertus is, cui proficiſcenti ad ſuam Patriam & Civitatem oſtenduntur illius tur-

res, & portæ, ac ædificia & palatia. Signum eſt ipſum eſſe vicinum. Hoc Dominus dixit, ut me conſervaret, ſicut me conſervat unà cum cruce, quam patior, in illa unione Animæ, cum ipſius Divinitate, & quaſi inter cœleſtis aulæ incolas.

VI. Lib. 3. c. 17. §. 5. dixit illi Deus: Etiamſi te ſim conſolaturus, tibíque ſatisfacturus, quod à me petiviſti, concedendo tibi mortem ſvavem, & plenam ſolatio, atque ità ſis finitura vitam, ac migratura ex hoc exilio in meis brachijs; tamen animadverte, te paulò ante tuum obitum paſſuram tentationes & oppugnationes diaboli, qui te affliget, ac ſtringet pro viribus, me permittente. Sed noli timere; confide in me, quia cum mea gratia & auxilio tibi omnia bene ſuccedent, & diabolus confundetur, atque tum occludetur tuum cor, ac adveniet ſolatium tuæ beatæ mortis, quando exſpirabis, in meis brachijs, & in meo corde, hoc enim eſt præmium eorum, qui moriuntur in Domino.

VII. Ibidem cap. 20. §. 1. Anno 1621. in Decémbri circa feſtum Nativitatis dicit: Rogavi Dominum, ut dignaretur, ſi ipſi placeret, me auferre ex hac præſenti vita, & facere, ut morerer abſque doloribus, qui me diſtinerent, ac impedirent, nè obirem quietè: quod mihi Dominus conceſſit, dixítque: Ubi hoc tempus advenerit, ego occupabo ſpiritum tuum, atque nè priveris uſu ſenſuum, abſtraham tali raptu, ut te non perturbent dolores, & tamen audias ac intelligas.

Lib. 4. c. 16. §. 3. dixit illi S. P. Ignatius: Ego veniam horâ tuæ mortis, ut te inviſam, teque comiter, & eam tecum ad cœleſtem beatitudinem. Comitabuntur te quoque alij Patres Societatis. Hæc Revelatio congruit cum ea S. Benedicti, quam paulò pòſt referemus.

VIII. Lib. 6. c. 19. §. 1. ipſa refert: Vidi Deum colloquentem cum Sanctis Angelis, qui mecum manent, quaſi ſecretò. Ego auſcultabam, & nihil audiebam; dixítque mihi Divina Majeſtas:

jeſtas: nè ſis ſollicita; quod dicebam meis Sanctis Angelis, erat, ut quando te tollam, exſpires in ipſorum brachijs. Ah mi Domine, ajebam ego, tua Majeſtas ubi erit? etiam ego, dixit, tibi adero, & ſuſcipiam tuam animam.

§. 2. ſcribit: Derepente mihi viſa eſt à DEO avelli anima, ità ut corpus remaneret quaſi mortuum in lecto: univítque animam ſecum in abyſſo Divinitatis, ubi diu manſit; poſt hoc denuò anima reviſit corpus. Intellexi à DEO fuiſſe mihi ità repræſentatum modum, quo eram moritura, cum aliqua exſtaſi & elevatione ad cœlum.

IX. Alio die vidi venientem CHRISTUM Dominum ſtipatum multis Angelis, valde affabiliter, & jucundè cum ipſis converſantem, venienſque ad me, dixit mihi víſne mecum venire? Ego ſtatim reſpondi: ità Domine; tum eſt quaſi amplexatus meam animam, univítque illam cum ſua Divinitate, eo modo, quem ego neſcirem verbis exprimere; & tulit me ſecum ad cœleſtem Jeruſalem, remanente hìc meo corpore, quaſi ſemimortuo, quia viginti quatuor horis, quibus ea res duravit, erat quodammodo deſtitutum animâ, tantúmque mihi videbantur remanſiſſe in meo corpore aliqua accidentia, quæ illud ſuſtentabant, ità ut cùm ad me veniſſent iſti mei Domini, qui hìc manſerant, & neſcio quid mihi dixiſſent, reſponderim illis, quaſi intra dentes: Sum mortua: uſque dum elapſo hoc tempore redij ad me, & Dominus mihi ad hoc propoſitum dixit: non recordaris quòd tibi dixerim, te ità morituram, ſicut dum noctu quæpiam Domina exuitur togâ, ut collocetur in ſuo lecto?

X. §. 3. Cùm longa mirabilis apparitio præceſſiſſet, tandem mihi dixit (ait illa) Divina Majeſtas, totum fuiſſe quoddam experimentum meæ mortis, quæ brevi eſſet futura, daturúmque ſe mihi tempore mei obitûs, quendam vehementem raptum, ut omnes ſint cogitaturi me exſpiraviſſe; redituram autem ad me, & toleraturam tantillum moleſtiæ, ac deinde morituram.

turam. Ibidem Angeli ei promiserunt, quod usque ad diem Judicij non essent derelicturi ejus cineros & ossa.

XI. §. 5. Quâdam nocte, inquit, egit mea anima diu cum Deo, atque interea me reperi, quasi in momento in ipsius manibus, ac divinis brachijs. Occupavit me ibi quædam mystica mors, & somnus spiritualis, cum affectibus, & sensibus spiritualissimis, pacatis, ac svavibus, & quadam luce, atque cognitione de ipsius Esse, & illa, ut ego eam voco, divina ipsius caligine; neque enim aliud scio. Post hoc dixit Dominus: sic tibi fiet Anima, sicut vidisti. Cùm enim tua vita fuerit plena continuis doloribus tui corporis, æquum est, ut illos non patiaris extremâ tuâ horâ.

XII. Eodem libro, cap. 20. § 5. apparuit illi Sanctus Ignatius cum multis Beatis Patribus Societatis, cum suis pallijs, & luminibus in manibus, cantantibus Psalmos, sicut fit, dum sepelitur defunctus. Erant tamen Psalmi jucundi, & canebantur tono læto. Tum magnâ pompâ processit processio, in qua illam Angeli detulerunt usque ad cœlum, ubi multa mira ei sunt repræsentata. Post omnia cùm iterum esset in suo angulo, dixit illi S. Ignatius: Filia mea, & Soror nostra, omnes nos, quos vidisti, intererimus tuæ sepulturæ. Cúmque illa inciperet turbari, addidit: meliùs convenis cum Angelo tuo Custode, ipse tibi declarabit. Vale. Sanctus Angelus ei dixit eam rem fuisse quandam adumbrationem ejus, quod eventurum esset in ejus sepultura, & corpus ejus priùs inferendum cœlo ad conspectum Dei, quàm hìc sepeliatur.

XIII. Anno 1626. decimâ quintâ Januarij rapta fuit in cœlum, & collocata coram Beatissima Trinitate. Ibi, narrat ipsa, vidi meum corpus exanime, atque tanquam tale expansum in pavimento illius cœli. Hæc Revelatio congruit cum alia, quam pridem antè habuit, quòd corpus ejus, priusquam sepeliretur, esset deferendum ad cœlum. Subjungit ipsa: postea mihi

mihi Dominus declaravit, quid significârit illa figura mei defuncti corporis, dixítque, quòd ante meam mortem essem passura tam magnam ecstasim, ut omnes sint judicaturi, me exspiravisse, licèt re verâ sim victura; futurum enim, ut ex ea revertar ad me, & paulò pòst moriar. Hoc ipsum mihi aliàs fuerat à Deo dictum. Anno 1627. undecimâ Augusti habuit Revelationem, quòd adhuc victura esset septem annis: id quod omnino impletum est, prout narratur à P. Pinto Ramirez, parte 2. lib. 1. cap. 16. pag. 72.

XIV. Non diu ante ejus obitum venit ad eam gloriosissimus Patriarcha S. Benedictus (prout refertur eâdem parte 2. lib. 3. c. 1.) cum comitatu multorum Sanctorum Monachorum sui Ordinis, & Angelorum Dei, & postquam cum magna majestate consedisset in quadam mystica sella, dixit: Magnus DEUS noster sit tecum, Anima, venio ad te jussu & nomine hujus Domini, propter duas res maximi momenti, quas DEUS te vult scire, ac nôsse. Et postquam ei explicuisset primam pertinentem ad gubernium ejus Ordinis, subjecit: Alterum cujus causâ ad te venio, & quod tibi magnum adferet solatium, est, ut te doceam, quis sit futurus modus tuæ beatæ mortis, transitus ex hac præsenti vita ad æternam, & possessionem tui DEI. Quapropter tibi dico, hunc transitum brevi futurum, idque postquam longo tempore manseris abrepta in DEUM. Quando reverteris ex exstasi, invenies, videbísque Sanctissimam Virginem in tuo paupere cubicello, & Beatos Patriarchas S. Ignatium, S. Augustinum, S. Dominicum, S. Franciscum, & me, qui comitabimur Celsissimam Reginam Dominam nostram, erimúsque tibi vicinissimi. Aderunt unà multi Angeli DEI præter illos, quos tibi Divina Majestas attribuit socios. Paulò pòst descendet cum summa pompa Majestas Christi Domini nostri in habitu regio, gerens coronam in suo Sacro Capite, atque accedens ad te cum sua magna complacentia, & tuo solatio complectetur

tuam animam, & exſpoliando te corpore mortali, ac veſte veteris Adami, ut te induat veſte immortali, & pretioſa, te ſecum, ac in proprijs ſuis manibus feret ad eam cœleſtem Patriam, ubi in ſempiternum vivimus, ſumuſque beati in eodem DEO, comitante ipſum Sanctiſſimâ ejus Matre, & nobis Patriarchis, aliíſque Sanctis, tuo Angelo Cuſtode, & reliquis antè dictis. Atque hunc in modum Divina Majeſtas te conſtituet in loco, quem tibi ab æterno deſtinavit, juxta ſuam infinitam bonitatem, & merita tua, ac multa, quæ es paſſa, per longævæ tuæ vitæ decurſum. Dum hoc fiet, idque operabitur magnus hic DEUS, vehementer, mirabitur Aula cœleſtis, multiſque DEUM extollens laudibus, canendo dicet: quæ eſt hæc anima tam felix, & beata, quam potens Dominus immenſæ Majeſtatis fert ſuis manibus, & in loco tam excelſo conſtituit? Talis erit, Creatura DEI, tuus obitus. Habe ſolatium in tuo DEO, & age illi infinitas gratias.

XV. Hæc Revelatio non contradicit ei, quam initio ex P. Ludovico de Ponte p. 1. l. 3. c. 16. retuli, ubi aſſeritur, quòd anima ejus manibus Angelorum transferetur in cœlum: quia illud intelligitur eo ſenſu, qui ibi in apparitione exprimitur; ibi enim fuit repræſentatum, quòd Angeli ſuis manibus tenuerint ſcalas aureas, per quas ipſa aſcendit in cœlum, adeóque hoc ſenſu Angeli animam ejus tranſtulerunt ad cœlum, quatenus eam juverunt in ultimo ejus tranſitu, & via, uſque ad ipſiſſimum punctum mortis, ſeu uſque ad finem illarum ſcalarum, quas moriendo, & ad mortem properando decurrerat, quàm diu mors (ut ſcholaſticè loquar) erat in fieri. Quando autem ventum eſt ad mortem in factum eſſe, ſeu quando ex illis ſcalis egreſſa eſt, nihil ibi dicitur de Angelis, quòd eorum obſequium intervenerit, nec quòd ipſi animam ejus ſuſceperint, ſed narratur, quòd ſubitò ibi Dominus adfuerit, adeóque quòd ipſemet eam ex ſcalis illis egredientem ſuſceperit, & cœlo repentè aperto inſerue-

ruerit dicendo: Intra in gaudium DEI tui. Et sic optimè congruit, quod in utraque Revelatione narratur, prout & magis illustratur per Revelationem suprà ex parte 1. l. 3. c. 17. allatam, ubi promittitur in brachijs CHRISTI Domini expiratura. Imò plenissimè totum combinatum est in illa Revelatione, quam ex p. 1. l. 6. c. 19. §. 1. paulò antè legimus.

CAPUT XIV.

Mors Venerabilis Marinæ de Escobar.

I.

NOn potest meliùs felicissimus beatæ hujus Virginis obitus describi, quam adducendo quandam epistolam in universa Hispania, aliisque Regnis typis vulgatam, scriptam à P. Michaële de Orenia, qui tanquam hujus Ven. Virginis Confessarius semper illi adstitit, usque ad extremum vitæ ipsius momentum, & omnia, quæ in ejus exequijs fuerunt acta, spectavit, Rector tunc existens Collegij Societatis JESU ad Sanctum Ambrosium Vallisoleti. Sic autem ad Excellentissimum Dominum Comitem Ducem de Olivares, Dominum Casparem de Guzman, Primum tunc Ministrum Catholici Regis scribit.

Ignoscat Tua Excellentia, quòd manu utar alienâ, cùm nequeam propriâ, ad perscribendum, quid actum fuerit in morte Dominæ Marinæ de Escobar. Quia verò Excellentiæ Tuæ tempus non suppetit, ad prolixas legendas historias, paucis hanc perstringam verbis.

II. Feriâ quintâ, quæ fuit Solennitas Corporis CHRISTI, me contuli ad excipiendam ipsius confessionem, ac dicendam illi Missam, horâ quartâ & dimidiâ matutinâ, sicut alijs diebus consveveram. Atque dum suæ mihi conscientiæ redderet rationem, dixit mihi, visum à se ante duas circiter horas in suo cubiculo dæmonem, transfigurantem se in personam JESU CHRI-

sti Domini nostri, sed subitò à se agnitum fuisse. Et subjunxit: Metuo, nè mihi quodpiam damnum intulerit, & ingesserit aliquod venenum: statim enim ad me accessit meus Sanctus Angelus Custos, & contrectavit manu meam frontem atque caput, quasi me demulcendo, & applicando mihi quoddam medicamentum. Paulò pòst vidit descendentem ex cœlo Jesum Christum Dominum nostrum, stipatum multis Angelis, qui apud ipsam mansit, consolando illam & animando, eámque communicavit spiritualiter.

III. Hoc & alia, quæ evenerunt, mihi admodum prolixè recensuit, & ego celebravi Missam, ipsíque sacrum Eucharistiæ epulum præbui, ac redivi domum: quò non multò pòst advenerunt illius sociæ, ad peragendam sacram Confessionem, & Communionem, mihique dixerunt me vix ex ejus domo fuisse egressum, quando ipsarum Dominam vehementissimus invasit dolor lateris, quo graviter affligeretur. Audivi id, licétque fuerim suspicatus, esse opus diaboli, non curavi magnopere, eò quòd dolores ipsius essent perfrequentes, & valde magna cruciatuum variatio, quos continuè patiebatur.

IV. Dolor iste duravit eo die, & inceperunt alij pectoris, ac stomachi, atque etiamsi ipsam hi vehementer affligerent, gravissimus tamen oriebatur ex oppressione cordis, tantisque angustijs, ut illa, & Medici, etiámque ego, qui ei assistebam, & ipsius domesticæ, animadverteremus, illos effectus non posse procedere ex causa humana. Quia nihilominus ipsa summè semper propendebat, ut consvetis procederet vijs, uteretúrque remedijs, permisit se curari à Medicis, qui illi applicuerunt remedia, quorum erat capax ipsius debilitas. Sed omnia nihil proderant, quinimo, sicut ab ipsísmet notabatur, augebantur dolores, qui occupaverunt omnes corporis partes, adeò, ut nulla ab ijs esset immunis, præter caput, eo loco, quem Sanctus Angelus attrectaverat, præservando illam partem, ut posset prosequi

ſuum exercitium præſentiæ DEI, cui continuè inhærebat, & converſationem cum ejus Majeſtate & Angelis, beatíſque Cœlitibus.

V. His tam acerbis cruciatibus tantopere natura debilitabatur, ut Medici judicaverint expedire, ut ipſi conferretur Sanctiſſimum Sacramentum pro viatico. Quia tamen eo die mane ſacrâ ſynaxi refecta fuerat, & eſſet contra communem Eccleſiæ uſum bis intra unum diem communicare, feci, ut id differretur in diem ſequentem, quo illi dedimus CHRISTUM Dominum horâ ſextâ matutinâ, allatum ex ipſius Parochia, pro communi exemplo; quamvis quotidie domi ſuæ communicaverit. Suſcepit illum magna cum quiete, licèt in hac non multò diutiùs permanſerit, quàm ſpatio unius horæ: ſubitò namque rediverunt dolores cum ingenti vehementia, eáque tanta, ut Medici obſtupefacti ſpectaculo, tantùm contraxerint humeros nullo applicato remedio, & nè verbo dicto. Sociæ quoque & ego, ipſi noctu diúque aſſiſtentes aliud agere non poteramus, quàm lacrymari, eique compati præ magno dolore, videntes tam multùm ſuſtineri, à tam ſancta creatura. Interrogabam illam interdum, quo modo internè quoad animam eſſet conſtituta, & reſpondebat mihi: Pater, magnis me DEUS exercet obſcuritatibus, & derelictionibus; ſed fiat in me ſanctiſſima ejus voluntas, veniántque ſuper me in nomine Domini omnia tormenta, quæ ipſius bonitas permiſerit. Quanquam me vehementer affligit quædam rabies (ſic enim loquebatur) quam in me ſuſcitat hoſtis, ut me magnopere ſolicitam reddat.

VI. Neutrum ceſſabat, & quamvis ex natura ſua eſſet pacatiſſima, ac propter ſuam ſanctitatem, adeò patiens, ut ob graviſſimos dolores (ſicut patebit ex eo, quod mox dicam) raró quereretur; in hoc tamen noctu diúque tam dolenter exclamabat, ut ſatis appareret vehementia cruciatùs. Ut verò id aliquâ ratione concipiatur, referam Tuæ Excellentiæ, quod decem

hinc annis evenit, paucis diebus ante obitum Sancti Patris Ludovici de Ponte.

VII. Vidit eo tempore dæmonem, qui in horrida specie ad ipsam veniebat obverso dorso, & retrogradè incedens, atque in modica distantia se ad illam convertit, & incredibili celeritate, congerens pulverem cubiculi, aperuit ipsius os, illúmque deglutire coëgit: deinde verò eadem velocitate supposuit ejusdem dorso prunis refertam acerram, quasi referebat ab eo esse adustam, & non minus sensisse tormentum, quàm si injecta esset in grandem rogum. Ex illo pulvere & calore coaluerunt in ipsius corpore quinque calculi, à quibus paulò minus, quàm quinque mensibus fuit vehementer excruciata. Quamvis autem unicus calculus magnitudine non excedens nucem avellanam, aut etiam minor, soleat graves adferre cruciatus, quod multorum docet experientia: & singuli hi calculi, dum illos ejecit, æquaverint vitellum ovi; omnia nihilominus illa tormenta tamdiu adeò patienter, & pacatè sustinuit, ut rarò fuerit audita attollere vocem gemendo. Hàc tamen occasione dæmon, quia erat ultima, quam DEUS illi indulgebat (quod ipse desideravit, & ipsa sibi ab eo frequenter prædici audivit, mihique retulit) usus fuit, omnem suam exerendo potentiam, permittente id DEO, ad majorem suæ famulæ coronam, & nè illi deesset martyrium, quod ipsa tantopere desideraverat.

VIII. Sic fuit constituta usque ad feriam secundam ante suum obitum, quando mihi horâ primâ noctis dixit: se putare bonum fore, si sacro Oleo ungeretur. Misimus pro eo, & fuit inuncta, sedatis tum per breve tempus doloribus, qui statim cum eadem furia sunt reversi, & eodem ipsius cruciatu, ac gemitu, qui à multis extra cubiculum cum ingenti commiseratione ac dolore auscultantibus, fuit auditus; id quod duravit usque ad feriæ quartæ horam nonam & dimidiam noctis, quo tempore omnes dolores cessaverunt, potuitque illi nonnulla verba loqui, sed

ſed pauca: quia ſubitò cæpit abripi in ecſtaſim, quæ ab ea hora perſeveravit uſque ad feriam quintam paulò ante horam decimam diei.

IX. In his raptibus & mentis exceſſibus illi DEUS tam ſingulare præſtabat beneficium, ut licèt intimè eſſet unita DEO haberetque ſublimes revelationes, poſſet reſpondere, dum vocaretur, & converſari, ſi quis tum alloquij cauſa ingrederetur, quamvis, ùt ipſa ajebat, id naturæ accideret nonnihil moleſtum, eò quòd Anima eo tempore eſſet adeò abrepta ab amore DEI, ac attenta myſterijs, quæ illi DEUS manifeſtabat & arcanis, quæ illi pandebat. Cùmque ego id ſcirem, interrogavi illam præſentibus ipſius ſociabus, an meminiſſet DEI, reſpondit mihi valdè pacatè & gratiosè, quaſi ſubridendo, dixitque: quoad hoc bene agitur. Sciebat enim mihi conſtare ipſam à multis annis nullà unquam occaſione, dum converſaretur cum creaturis, aut pateretur dolores & cruciatus Animæ ſuæ, obtutum à DEO avertiſſe.

X. Nolui illi plura dicere, quia recordabar revelatum ipſi fuiſſe à DEO ante complures annos, & poſt primam vicem, deinde frequentiùs, quòd illi nollet dicere horam mortis, quia id ipſi non expediret; ſed daturus eſſet ſignum, quod videlicet ante ſuam mortem paſſura eſſet raptum, & abalienationem à ſenſibus duraturam multis horis: ſolebatque mihi dicere, ut attenderem ad illam revelationem, nè viva ſepeliretur, Videns igitur hunc raptum tam diu durare, judicavi adeſſe ultimum indicium, adeóque etiam, quamvis eſſet quietiſſima, nec malum haberet pulſum, appropinquare mortem, ac felicem tranſitum illius Animæ, quæ tam impensè DEUM amaverat, eíque ſerviverat, in vita mortali.

XI. Unde ſumpſi in manus ſacram Crucifixi effigiem, quam multis annis habuerat ad caput ſui lecti, & obverſam illius vultui tenui, uſque ad dictam propè decimam horam diei (quæ fuit

nona

nona Junij) quâ se modicum commovens tradidit suum spiritum DEO, à quo ad tantam gloriam condita fuerat, relicta mihi firmâ spe, quòd implenda esset revelatio, quam S. Pater Ludovicus de Ponte habuit, & illi perscripsit in schedula, dum gravibus pressus doloribus decumberet: ubi hæc ipsi verba manu suâ exarata, & à se subscripta dicit: Volo tibi pro solatio tuo dicere, quod te hactenus celavi. Esto certa, te ex lecto evolaturam ad cœlum, atque multum tibi satisfactionis superfuturum. Et est revelatio conformis alijs, quas ipsa quoque habuit à S. P. nostro Ignatio, & alijs Sanctis Patriarchis, à quibus illi etiam dictum fuit, quòd essent adfuturi, in ipsius transitu, cum multis Angelis, & Animabus beatis, eamque ducturi ad cœlestem Jerosolymam, ubi per omnem æternitatem esset possessura bona, quorum illi aliquam particulam toties DEUS ostenderat.

XII. Rescita isthic fuit continuò mors hujus Sanctæ Dominæ, & populus permotus affectu ipsius videndæ, atque exosculandi ejus pedes, tam frequens accurrit, ac numerosus, ut, nè se invicem suffocarent, & domus, quæ est exigua, ac vetusta corrueret, fuerit necessarium, ùt Dominus Petrus Carilius Collegialis S. Crucis vicesgerens Domini Episcopi, mitteret sex Sacerdotet, qui intentatis pœnis & censuris populum arcerent, ac prohiberent ab ingressu. Verùm cùm id non sufficeret, jussit Magistratus illic propterea adesse Prætores, qui statim advenerant. Licèt autem noctu diùque assisterent Dominus Joannes Arias de la Rua Judex Criminalis, nec non Dominus Didacus Calderonius Præfectus Satellitum Cancellariæ, ac etiam Vice-Gubernator Urbis, quorum unus manebat ad januam, cum multis apparitoribus, alius ad gradus, & tertius ubi jacebat Sacrum Corpus, omnes stipati Satellitio; non poterant tamen multitudinem submovere ex omni statu Vallisoletanorum magna cum pietate ac devotione accurrentem, tam Religiosorum, quàm Sæcularium, universis sese provolventibus ingenua ad exoscu-

lan-

landos ipsius pedes,& petentibus corollas suas precatorias ejusdem, manibus applicari.

XIII. Taliter fuit transacta illa dies, & magna pars noctis: deinde feria sexta usq; ad horam quintam vespertinam. Quamvis enim copiosa caderet pluvia, madefiebant in platea, nolentes recedere, revertentibus semel ac iterum multis è nobilioribus ad pedum ejus oscula. Hactenus P. Michaël de Orenia, cujus epistolam hic interrumpo tantisper, ut interpositis ijs, quæ Dominus Franciscus de Vinivela ad Dominum Ludovicum de Castilia, Assessorem Consilij Granatensis, & Gubernatorem Guipuzcoæ perscripsit, lucem aliquam dictis addam. Sic habet:

Ignosces mihi, quòd me non possim in recensendis, quæ his diebus acta fuerunt, diffundere, pro rerum ipsarum exigentia, cùm id integrorum potiùs sit librorum argumentum, quàm adeò brevis epistolæ.

XIV. Ante felicem Dominæ Marinæ de Escobar transitum metuens hæc Civitas, nè istius thesauri faceret jacturam, convocavit suum Senatum, ad designandos Deputatos, adstituros dispositioni eorum, quæ facere meditabatur, in hujus Dominæ honorem. Deputatio fuit prensata ab omnibus Dominis Senatoribus, & cùm nullius affectus cederet affectui alterius, oportuit rem sortibus peragere, quæ obtigerunt Domino Petro de Vega, & Domino Petro de Barcena. Vix benedicta illius Anima est egressa è corpore, quando id toti innotuit Urbi, quæ universa interno permota impulsu, se contulit ad videndum, & venerandum ipsius Sacrum Corpus. Credat mihi Tua Dominatio, tanquam testi oculato, non unum, sed millena contigisse miracula, quòd non interierint suffocati tot, qui tam angustam habitationem adeò impetuosè intraverunt, dum quisque magni se jacturam thesauri facere putaret, nisi ea illi obtingeret felicitas, ut testem ageret pulchritudinis, quæ huic Sanctæ inerat, post tam diuturnas, & extraordinarias afflictiones octoginta

propè annorum, quibus vixit. Fuit absque dubio prodigiosa vultûs ipsius venustas, ac teneritudo, seu tractabilitas, unaque fragrantia corporis & manuum, quæ omnia manifestè indicabant ejusdem sanctitatem.

XV. Toto eo die mansit expositus hic thesaurus, & populus nunquam satiabatur illo contemplando: perseveravit ad fores domûs, usque ad horam undecimam noctis, quâ fuerunt meliùs obfirmatæ, cùm timeretur, nè everterentur. Custodiverunt ipsum eâ nocte quinque Religiosi Societatis JESU, & Dominus Didacus Calderonius Præfectus Satellitum hujus Cancellariæ. Vix autem illuxit dies, quando maturè adfuit turba ad videndam Sanctam: hoc enim nomine illam omnes compellant. Satisfactum fuit paulatim tam pijs desiderijs, tot integrarum communitatum religiosarum, qui ad pedum ejus oscula advenerunt, unà cum flore totius urbis tam Ecclesiasticorum, quàm Sæcularium, admoventibus omnibus suas cruces, & numismata, & corollas precatorias benedictis illius manibus, ac desiderantibus aliquid habere ex ejus vestibus & reliquijs. Plures fuerint decem millibus, quibus janua patuit. Reliquis autem est satisfactum promisso, quòd ferenda esset ad sepulchrum discooperta,& palàm omnibus exponenda in templo per triduum. Stratagema hoc fuit sanctum, quo non sunt delusa, sed dilatata tantæ multitudinis desideria, quamvis nihilominus ad januam perseveraverit ultra tres horas, quibus copiosus duravit imber. Hactenus Dom. Franciscus de Vinivela.

XVI. Redeo ad epistolam P. Michaëlis de Orenia, quam is sic prosequitur. Interea Ecclesia Cathedralis, & quidam Capitulares optantes habere ipsius reliquias consultaverunt, an adesset aliqua ratio, ob quam sanctum illud Corpus possent auferre; quem ego conatum intelligens egi cum Senatu, ut mihi in casu necessitatis faveret, quo satisfieret DEI ac Defunctæ voluntati, quam ante complures annos declaraverat, ut suum corpus

pus humaretur in templo Societatis, ubi Anima illius, ab ipsis infantiæ suæ principijs divina didicit mysteria. Verùm nullis opus fuit suppetijs, aut auxilio Magistratûs. Cùm enim P. F. Andreas de Ponte ex Ordine S. Dominici hanc DEI voluntatem manifestavisse t Capitulo & Civitati, postquam ipsum secretò de suo proposito consuluissent, conformaverunt suam cũ divina voluntatem submissis mihi utrinque Commissarijs, duobus Præbendatis, & duobus Senatoribus, offerentes se ad suscipiendam curam omnium, quæ essent agenda, tam in sepultura, quàm in novendialibus exequijs, quas in memoriam hujus sanctæ Concivis celebrare cogitabant.

XVII. Tanta siquidem fuit devotio, quâ hæc pia Civitas est amplexa istud consilium, ut fuerit uniformis, & universalis; atque singulis pro se sortem hujus executionis exoptantibus, & nemine alteri volente cedere, judicatum fuerit expedire, ut de ea sortirentur, quod & factum est: statimque Civitas jussit fieri tumbam, rubro coopertam holoserico, latis fimbrijs aureis exornato, suffultam intus albâ attalicâ, additis sex inauratis seris, quarum claves duæ darentur Capitulo, duæ Civitati, & duæ à nobis servarentur; quod libentissimè admisi, quia securus eram id non fieri aliâ intentione, quàm ut sanctum illud Depositum custodiretur.

CAPUT XV.

Funus Venerabilis Marinæ de Escobar.

I.

DE hoc P. Michaël de Orenia sic scribendo prosequitur: Postquam sacrum hoc Corpus fuit impositum tumbæ, & ex speciali DEI Providentia cessavit pluvia, quæ eò usq; duraverat copiosa; confluxerunt omnes Ordines Religiosi, Clerus Urbis, & Capitulum hujus Ecclesiæ, omnesque Confrater-

ternitates cum ſuis labaris, ſubminiſtrantes ſuis ſumptibus ceram Vice-Comite de Viloria, quæ non alia fuit, quàm candida, cujus quoque coloris cera arſit per integrum novendium. Senatores Urbis extulerunt Corpus ſuis humeris, & pro populi ſolatio, qui totus erat effuſus in plateas, & feneſtras, bajulaverunt illud per celebriores vicos, ſupponentibus humeris alijs ac alijs, eò quòd nemo illius officij pietatis eſſe vellet expers.

II. Cúmque pertigiſſent ad primam ſtationem, ubi erant ſubſtituri cum ſacro Corpore; quando collocabatur ſuper menſam, quæ eum in finem erat præparata, tantus fuit populus, qui turmatim accurrit, ad applicandas corollas precatorias, & alia, quæ idcircò adferebant, ut à Satellitibus abigi non poſſent. Quare ad evitandum omne infortunium, decretum fuit à Capitulo, & Civitate, nè ampliùs ſubſiſteretur; atque ità proceſſerunt per cæteras plateas, & forum majus, reſonantibus, interea omnibus Urbis campanis, donec pervenirent ad Domum Profeſſam Societatis, ubi jam aderant Prætores, Dominus Petrus Alarcon Ocon, & Dominus Joannes Arias de Rua, ut pararent aditum Eccleſiaſticis, & ijs, qui ex his tribus Societatis domibus convenerant. Equites verò Hoſpitales ad Eſquevam præſtolabantur ſacrum Corpus: ibi illud ſuſceperunt, & collocaverunt in Tumulo honorario, bene copioſis candelis, & facibus inſtructo. Officium funebre perſolvit Eccleſia Cathedralis, aſſiſtente ſolenniter Capitulo, & Magiſtratu, præſentibus multis ex omni conditione: quo finito diſceſſerunt, relicto ſuper Tumulum Corpore, quia promiſſum fuerat populo, quòd illo ibidem per biduum, aut triduum eſſet fruiturus, ut id videre & ſuæ poſſet indulgere devotioni.

III. Ità videlicet honorat, & conſpicuos reddit DEUS, volentes ſe amore ipſius occultare, & ſepelire, dum vivunt, uti hæc Sancta Domina fecit, quæ triginta annorum ſpatio graviſſimos tolerando cruciatus, in obſcuro carcere latuerat: tale enim erat

ipſius

ipsius cubiculum, ubi nullum aliud conspiciebatur lumen, quàm candelæ, quæ per noctem & aliquot diei horas ardebat, continuato illic perpetuo miraculo. Siquidem in eodem cubiculo, licèt ibi peragerentur, quæcunque exigunt necessitates, quibus humana miseria est subjecta, corpúsque ipsius adeò varijs morbis divexaretur, nunquam animadversus fuit odor adversus, non aliter, quàm si in medio esset campi situm, vel undique pervium.

IV. Elapsâ eâ nocte, postridie sub diluculum matutinum, redivit Dominus Episcopus, qui pridie adfuerat occultus: & existimans difficilem admodum fore sepulturam, si constaret de hora; jussit illam recondi in concomerato repositorio, quod in hunc finem paratum fuerat, intra ambitum summi Altaris. Cùm autem ventum fuisset ad Corpus, atque istud repertum nonnihil malè præter spem conceptam olens, & essem de hac re domi meæ ad S. Ambrosium monitus, curavi advocari ipsius socias, quæ composuerant Corpus defunctum. Cúmque eæ comparuissent, & illud lustravissent, repererunt, quòd per os magnam ejecisset sangvinis copiam, & puris, unde scilicet oriebatur ille malus odor: quia ablato eo pure, caruit corpus omni graveolentiâ, fuitque non aliter tractabile, quàm si viveret.

V. Tunc apparuit verùm esse, quod mihi dixerat, ingestum sibi absque dubio fuisse aliquod venenum à diabolo: & ex illo provenit apostema, sicut aliàs calculi ex igne & sordibus cubiculi: indè quoque cruciatus fuerunt derivati, ad reliquas corporis partes, quarum nulla à capite usque deorsum fuit ab ijs immunis: passa enim illos est vehementissimos in gutture, pectore, stomacho, latere, brachijs & cruribus, ultra omnem modum, ut nemo possit concipere, quid tum fuerit actum, præter nos, qui id spectavimus. Ipse etiam Doctor Cansecus, qui illam curabat, cùm accessisset visurus, an aliquam haberet inflammationem in gutture, notavit odorem oris ipsius (qui in alijs

occaſionibus defluxionum, ac doloris dentium fuit, qualis eſt corporis ſani, & bonæ complexionis) hâc vice fuiſſe gravem, ortum ex apoſtemate. Et quamvis tum cauſam non animadverterit, deinde tamen re meliùs conſideratâ, illam agnovit. Hactenus P. Michaël de Orenia.

VI. Dominus Franciſcus de Vinivela verò hoc idem funus ſic deſcribit. Convocati fuerunt omnes Ordines Religioſi, Parochiæ, & Confraternitates, ut adeſſent feria ſextâ poſt veſperas, decima hujus menſis: & adfuerunt omnes abſque metu incommodorum in captando honoratiore loco, ardenter exoptantes videre, & venerari tam ſanctas reliquias. Datæ fuerunt omnibus candelæ ex cera alba, & hanc, quia Sancta fuerat pauper, donavit eleemoſynæ loco, Vice-Comes de Viloria.

VII. Toto pomeridiano tempore illius diei cœlum reſolvebatur in pluviam, & cùm eſſet conſtitutum, ut ſepultura differretur in diem ſequentem, derepente fuit totum ſerenatum, prodiitque Sol clarus, quaſi cupidus illius ſpectandæ, quæ tot annis in angulo obſcuri cubicelli à videnda ipſius luce abſtinuerat. Quæ res pro cœli favore habita eſt, ideóque concurrerunt univerſi ad ſepulturæ illius Feſtum: ſic ajunt, ante complures menſes à Sancta vocatum fuiſſe iſtum diem. Civitas honore ſemper proſequens ſuos indigenas, ſibi hoc die aſſumere honorem voluit, geſtando Beatam ſuis humeris: & quia omnes iſtius oneris fieri voluerunt participes, fuit decretum, ut per intervalla, in aliorum ac aliorum humeros deponeretur.

VIII. Egreſſum eſt ex ſua domo cum eo triumpho, ut major his ſæculis vix fuerit viſus. Erat induta veſte, quâ uti conſveverat antequam affigeretur lecto. Habebat ſolitum ſuum capitis operimentum, pallium goſſipinum, togam è rudi panno, & ſuperpoſitum ſcapulare, in quo erat expreſſum nomen JESU, à Sancta, ſerico citrij coloris pro hac die, ante 40. annos efformatum: & tanto tempore permanſerunt veſtes tam mundæ,

quam-

quamquam paupertinæ, atque si paucis mensibus fuissent gestatæ. Ut autem satisfieret communi desiderio, deportata fuit per plateam domicellarum ad fontem regium, processúmque est per eam, quæ est sita ad rivum Esquevam & Aurificum ac Negotiatorum, per forum summum, plateam angularem, & Benedictorum, usque ad templum Societatis. Multi existimaverunt, neque cum exiguo fundamento, Vallisoletum hâc occasione, solito fuisse copiosius, siquidem non fuit parvula fenestra, aut subdiale ambulacrum, unde conspici posset Sancta, ut non replerentur hominibus, qui etiam adeò in plateis erant addensati, ut difficulter possent perrumpi. Quod verò tum maximè sum miratus, est neminem adfuisse nisi detecto capite; quod ipsum accidit, in omnibus concursibus per novendiales ipsius Exequias, & in panegyricis, de ea habitis concionibus.

IX. Fuerant in quatuor locis platearum dispositæ stationes, ubi sacrum Corpus erat substiturum, ut cum omni solennitate caneretur responsorium. Primus erat in platea ad Esquevam: sed vix fuerat ex humeris depositum à Senatoribus, quando confertissima confusi populi turba voluit accedere, ad applicandas suas corollas precatorias. Quapropter cùm se viderent opprimi, necesse ipsis fuit abruptâ deinceps omni quiete resumere Corpus, & non dimittere ex suis humeris, nè simile periculum incurrerent, à quo illos eximere non poterant satellites, quantumcunque prompti essent ad arcendam ingentem hominum multitudinem, cùm id, quia erant infiniti, esset impossibile.

X. Pervenit ad Domum Professorum Societatis JESU, ubi illi ab ijs Sanctis Patribus fuerat exstructus Tumulus honorarius, eâ gravitate, & concinnitate, quæ ipsis est propria, etiámq; circumdatus crate ferreâ, quæ impetuosos populi impediret assultus. Evenit, ut templum splendidè esset peristromatis convestitum, pro festo Sanctissimi Sacramenti, quod ibi fuerat ce-

le-

lebratum, & quamvis illa Ecclesia sit semper quoddam Cœlum; hôc tamen annô & istâ occasione fuit majore curâ, quàm aliàs antehac, exornata. Hic illius honori justa Exequiarum solenniter peregit, Ecclesia Cathedralis, suâ adhibitâ musicâ; & Dominus Decanus sacro apparatu vestitus obivit in hac functione munus Sacerdotis. Occlusum fuit templum reliquæ multitudini, quòd licèt par sit magnis concursibus, pro hoc tamen nimis erat angustum, siquidem à multis fuerunt occupandæ parietum prominentiæ, ut non privarentur aspectu Sanctæ. Repletum fuit templum communitatibus Religiosis, & præcipuis è statu tam Ecclesiastico, quàm sæculari hujus Urbis: nam etiam provectiores ætate, & venerabiliores Prælati Religionum, honori sibi ducebant aliquid operæ conferre ad ipsius Exequias, ac testes agere oculatos inusitatorum affectuum, quos DEUS omnium cordibus inserebat. Quæ commotio non erat affectata, sed manifestè cœlestis, eò quòd tam universali animorum à DEO impulsorum conspiratione omnes optaverint adesse testimonio tam rari eventûs.

XI. Mansit ibi per totam noctem feriæ sextæ, & Dominus Episcopus ad evitanda majora incommoda, quæ accidere possent ex inconsideratione vulgi, svasit Patribus, ut die Sabbathi sepulturæ mandarent sacrum Corpus; cui Illustrissima ejusdem Dominatio adfuit singularia exhibendo indicia venerationis, ac devotionis; atque peracta est eâ solennitate, quam harum reliquiarum exigebat æstimatio. Collocaverunt illam in repositorio concamerato, intrà ambitum summi Altaris ad latus Epistolæ, qui locus dicitur fuisse designatus à Domina Comitissa de Fonsaldania Fundatrice illius templi, ex amore, quo ferebatur erga hanc Famulam DEI & ejusdem æstimationem. Hactenus epistola Domini de Vinivela.

XII. Notandum tamen est Venerabilem Marinam ex divina revelatione habuisse, quòd locus sepulchri ejus erit latus dextrum

dextrum Evangelij, prout scriptum reliquit Ven. P. Ludovicus de Ponte in fine primæ partis, quò postea translata est, etiamsi initio fuerit quasi raptim collocata in latere sinistro ex parte Epistolæ. Unde post septemdecim annos fuit illi in parte dextra altaris formata decens urna, & in ea sunt collocatæ sacræ ejusdem Reliquiæ dempto uno brachio, quod pro solatio Filiarum ipsius fuit datum Regio Conventui Sanctæ Brigittæ. Atque ibi exspectantes ultimum diem suæ gloriosæ Resurrectionis requiescunt in Domino: quibus is honor, quem pietas præsentis status patitur, à tota illa urbe felice ipsius Patria defertur.

CAPUT XVI.

Exequiæ Venerabilis Marinæ.

I.

HAs P. Michaël de Orenia sic in sua epistola describit: Feriâ tertiâ (quæ erat 14. Junij) cæptum est novendium distributum inter Ordines S. Dominici, S. Francisci, S. Augustini, Carmelitas Calceatos, Trinitarios, Mercenarios, Clericos minores, Societatem, Ecclesiam Cathedralem, & Civitatem. Quamvis verò præteritis diebus magnus fuerit hominum concursus, affluentium ad visitandum sanctum Corpus; ab eo tamen die usque ad ultimum, tam fuerunt conferti, ut licèt multi abirent, essetque templum adeò capax; totum tamen à porta usque ad summam aram impleretur, nullo relicto spatio vacuo, præter illud, quod occupabatur à celebrantibus Missam, cùm etiam, qui possent, conscenderent sedes confessionales, prominentias parietum templi, & subsellia chori, perseverando ibi à matutino tempore, usque ad horam primam pomeridianam, quâ plerumque finiebantur conciones; in quibus multa sunt dicta de ipsius virtutibus, & aliquid de revelationibus, Prophetijs, ac miraculis. Sed quidquid dictum fuit, ac dicetur

in justis Funebribus & Exequijs, quibus illi quidam seorsim, & Viri Nobiles, atque Communitates volunt parentare continuandis à feria secunda, nihil est comparatione multorum, quæ dici possunt.

II. Duo verò (præter complura miraculosa, quæ deinceps evenerunt) fuerunt in his concursibus animadversa. Unum est, quòd ex quo Corpus ipsius elatum est ex domo, donec inferretur in templum, nemo sit visus, qui caput cooperuerit: neque per totum novendium videre fuit in templo ab ullo fuisse appositum pileum, quatuor, aut quinque personis exceptis.

Alterum, quòd licèt in hujusmodi concursibus sæpe videantur Juniores Nobiles, & alij Viri advenire, ut confabulentur cum fœminis, etiam dum est expositum Sanctissimum Sacramentum; hac tamen occasione in tanta multitudine, ac tam numeroso affluxu, nemo virorum sit conspectus, qui fœminam alloqueretur, neque ullus fuerit in templo strepitus, sed altum silentium, acsi longè adessent pauciores. Hæc P. Orenia.

III. Dominus Franciscus de Vinivela exactiùs, quoad quædam, has ipsas Exequias describit his verbis. Decrevit Civitas spectabilem horum dierum celebritatem reddere novendialibus Exequijs, quibus singuli Religiosi Ordines sibi suum sumerent diem, servato ordine suæ antiquitatis, & præstantiores eorundem Concionatores in suis panegyricis publicarent eximias ipsius virtutes: quod est factum. Et incepit sacra Religio S. Dominici, quæ utpote plurimùm æstimata, ac honorata ab hac insigni Matrona, illi pro affectu, quo ab ea semper colebatur, scivit reddere gratias per P. Fr. Franciscum de Peralta. Si namque illustre semper fuit ipsius ingenium, nescio quid illi splendoris, procul dubio, DEUS hoc die addiderit, quo tum gratiosè peroravit, tum totius sui auditorij, quod erat infinitum, sibi conciliavit æstimationem. Sit verò dictum anticipatò, prorsus nunquam auditum, aut visum fuisse talem auditorum con-

concursum, qualis fuit per omnes hos dies: & exaggerationis gratiâ, quæ tamen nullum hîc habere locum potest, sufficiat dicere, nunquam celebrari potuisse Sacrificium Missæ, ministris suo ordine dispositis, sed innitentibus altari. Quódque omnem excedit fidem, est, nemini curæ fuisse, quam occuparet sedem aut locum: semper enim decens ac honoratus judicabatur locus, etiam pro magnis Dominis, quisquis inveniretur, unde possent audire hujus Dominæ encomia: quandoquidem insolita erat præoccupatio locorum. Hoc primâ die accidit, quæ fuit feria tertia.

IV. Seraphicæ Religioni S. Francisci obtigit feriâ quartâ. Dixit pro concione P. Fr. Bonaventura de Salcedo, primarius hujus Conventûs Concionator. Satisfecit populo, ac debito.

Feriâ quintâ secutus est Ordo S. Augustini, & concionatus fuit P. Fr. Joannes de Bonavalle.

Feriâ sextâ Conventus PP. Carmelitanorum Calceatorum; Dixit P. Fr. Alphonsus Perez.

Die Sabbathi Ordo Sanctissimæ Trinitatis, cujus Prælatus P. Magister Frater Joannes de Avendanio noluit laudes tam insignis Dominæ alteri committere, & deprædicavit illas, cum insolito applausu, ac præclaro ingenij specimine, quòd jure meritò omnes magnifecerunt.

Sequens dies Dominica, 21. hujus, fuit Conventûs Beatæ Mariæ de Mercede, & suggestum conscendit P. F. Didacus de S. Agatha, Commendator hujus domûs; cujus consveta eloquentia magnam reddidisset hanc diem, nisi eam virtutum ac elogiorum Sanctæ argumentum effecisset maximam. Tantus fuit concursus & applausus

Collegium PP. Clericorum Minorum sibi sumpsit diem sequentem; concionem habuit P. Hieronymus Pardus miram quoad thema & res ipsas. Auditus est cum gustu universali.

V. Domus Professa, felix hujus thesauri Custos, suam exhi-

hibuit gratitudinem feriâ tertiâ, & obvenit Concio P. Michaëli de S. Romano, cui ob magnam cum hac Sancta habitam familiaritatem, breve est visum tempus, quod horæ spatium excessit, pro heroicis virtutibus, & singularibus prærogativis Defunctæ exponendis. Fuit dictio elegantissima, & plena rebus pretiosis, depromptis ex ipsius vita. Bene eventum ominabatur Civitas, quia ad illum audiendum confluxit indicibilis hominum multitudo, adfuitque Concilium Regiæ Cancellariæ hujus Urbis.

Nona & ultima dies feriæ quartæ fuit Illustrissimi Capituli S. Ecclesiæ, & Magistratûs nobilissimæ Urbis. Hi adfuerunt Missæ & Concioni Domini Doctoris Ferdinandi de Bastida, cujus licèt exigua esset corporis valetudo, egregia tamen fuit dicendi gratia, & ingens applausus, quo sunt audita eximia decora, quæ de hac Sancta recensuit. Hæc Dominus de Vinivela, qui interpositis nonnullis infrà referendis sic prosequitur.

VI. Istis diebus celebriores à sæculis non fuerunt, & necdum illos terminari permittit devotio, ac affectus, quem DEUS omnibus indidit. Siquidem feriâ secundâ 27. hujus, Exequias celebravit Collegium S. Ambrosij in hac Urbe Patrum Societatis JESU, domus specialiter huic Sanctæ chara, eò quòd servet Corpus Sancti Patris Ludovici de Ponte. Dixit pro concione P. Didacus Baësa, qui utpote Pater ac Magister Concionatorum præsentis ætatis, excelluit subtilitate, & animadversionibus ad stupendam ipsius vitam, adaptatis Evangelio, quod Ecclesia canit pro Defunctis. Concurrit universa Civitas quemadmodum primis diebus. Fuit elegans peroratio, & quæ novam suscitavit devotionem, ac venerationem erga sanctitatem hujus Dominæ.

VII. Sequens feria tertia, 28. hujus, fuit Nobilium istius Urbis, qui non contenti, quòd omnium dierum auditorium, suâ illustraverint præsentiâ, hunc esse voluerunt proprium, ut

tunc

tunc devotum suum erga Sanctam demonstrarent affectum per P. Joannem Fernandez de Saavedra Concionatorem domûs Professæ Societatis JESU. Et procul dubio magnum oportebat esse affluxum, tum quòd foret dies consecratus à Nobilitate, tum propter æstimationem, ac dotes dicentis, quæ sunt eximiæ, & præclaræ, qualis fuit etiam dictio plena admirandis rebus, de vita, virtutibus, & miraculis Dominæ Marinæ.

Feriâ quintâ, 30. hujus, finem solennitatibus in Domo Professa imposuit devotio multorum Illustrium Civium, qui solennissimas instituerunt Exequias, ubi de Vita Sanctæ panegyricam dixit Pater Magister Frater Placidus de Aquilar ex sacro Ordine de Mercede. Fuit Concio admirabilis à facundia, ingenio, acumine, & gratia, quâ recensuit & expendit tot eventus vitæ & mortis, hujus Ven. Matronæ.

VIII. Heri feriâ secundâ, 4. Julij celebratæ sunt Exequiæ ab insigni Conventu S. Pauli sacri Ordinis S. Dominici, qui non satis habens, quòd primus dies ipsius fuerit in domo Professorum Societatis JESU, domi quoque suæ voluit iteratò solennem exhibere gratitudinem, quam sancta illius Religio debet Sanctæ, eò, quod hæc vivens eximio illam fuerit prosecuta honore, & singularem erga ipsam habuerit confidentiam, magnique eandem fecerit. Hoc die vastum ejus templum S. Pauli tota occupavit nobilitas, & Ordines Religiosi cum innumera multitudine. Concionatus est Pater Magister Navarete, quia Sancti illi Patres ostendere voluerunt, magnum esse istum diem, & hoc festum, cùm nobis concesserint præcipuum divini Verbi Præconem, quem universus Orbis, propter ipsius scripta, totúsque ejusdem Ordo propter grandem zelum plurimùm veneratur. Confirmavit singulari gravitate & efficaciâ discursuum deprædicatam à Concionatoribus, qui illum præcesserunt, Veritatem, ac addidit quædam specialissima de ipsius vita, miraculis, & prophetijs.

IX. Tumulus honorarius fuit elegantiſſimus refertus floribus, & coronis, atque in eo collocata effigies Sanctæ, cujus conſpectus ad magnam omnes permovit reverentiam, & ingenti affecit ſolatio, atque tunc clarè apparuit, quàm meritò in ſua concione dixerit P. Didacus Baëza magnum eſſe indicium ſanctitatis Dominæ Marinæ, eò quòd in ea aſſerenda ſpecialibus convenerint affectibus Patres Dominicani, & Patres Societatis JESU: cùm etiamſi in alijs adeò ſint differentes ipſorum ſententiæ, non tamen diſcrepaverint, imò ſummè fuerint uniti, & concordes in perhibendo verò teſtimonio, quòd fuerit Spiritus DEI, qui in illa tam admiranda eſt operatus. Ipſe ſit benedictus in Sanctis ſuis, & conſervet tuam Dominationem quemadmodum exopto. Valliſoleti 5. Julij An. 1633.

CAPUT XVII.

Speciale Compendium Vitæ Venerabilis Marinæ.

I.

DOminus Franciſcus de Vinivela in ſua epiſtola ad Dominum Ludovicum de Caſtilia ſcribens recenſet ſpecimen eorum, quæ pro Concionibus dicta ſint in Exequijs Venerabilis Marinæ, his verbis:

Prætermitto ex propoſito dicere; quid in his concionibus audiverim, ſiquidem id nec fert epiſtola, neque patiuntur tempora. Attingam pauca de ipſius virtutibus, ut ex ijs cæterorum colligatur veritas, quæ ſunt dicta, præmonendo me nihil memoraturum, quod ibi non fuerit relatum.

Fuit hæc Famula DEI oriunda Valliſoleto, Filia Doctoris Didaci de Eſcobar, Profeſſoris in hac Univerſitate Sexti Decretalium, ac Dominæ Margaritæ Montanæ Monſeratenſis, parentum ſanctorum. Solebant nonnulli dicere: Sancta eſt Domina Marina, ſed ſanctior ipſius Pater.

II. Puel-

II. Puella viginti & duorum mensium novit amare DEUM super omnia, accelerato illi usu rationis, ut tempestivè inciperet jacere fundamenta fabricæ virtutum, quæ tam altè erat exsurrectura. In sua juventute optavit fieri Monialis, & discipula Sanctæ Matris Theresiæ, quæ est gloria nostræ Hispaniæ, & expetijt sibi ab ea dari habitum. Intuita est illam Sancta, respondítque ipsi: Vade filia, non debes fieri Monialis, quia DEUS magna vult per te agere in angulo tuæ domûs. Insignis prophetia, indicans, qualis fuerit Domina Marina: quæ videns præclusas esse ex DEI voluntate fores suis desiderijs, non arctavit animum, quin potiùs dilatavit, egitque Monialem in corde, quantùm status ipsius patiebatur, nuncupato perpetuo voto virgineæ Castitatis, & Paupertatis, atq; Obedientiæ præstandæ suis Confessarijs, quod per omnem suam vitam exactissimè observavit; nè unquam exorbitaret.

III. Quia verò DEUS jam cor illius occupaverat, præbitis indicijs rerum magnarum, quas in ipsa, & per illam erat operaturus, commisit se instructioni, ac directioni Patrum Societatis JESU, intérque eos Patri Petro de Leon, magnæ virtutis viro. Suscepit hic sanctus Pater curam expoliendæ istius Animæ, quæ intrà breve tempus evasit perfecta, Mandavit illi quâdam die, ut acceptâ sub brachium scutellâ se conferret, ad capiendum cum cæteris pauperibus cibum, apud januam cujusdam domûs religiosæ: ac licèt esset tam spectabilis conditionis, ivit eò semel ac sæpiùs. Cúmque se jam videret esse pauperem, utebatur industriâ petendæ eleemosynæ, quandocunque advertebat aliquam minùs decentem conversationem virorum & fœminarum, quò accedebat mendicans, & erat adeò importuna, ut ab illis non discederet, donec eam conversationem cogerentur abrumpere.

IV. Ità egena sanctam suam transigebat vitam, non induendo interulam lineam, neque decumbendo in lecto, cujus locò illi

illi per plurimos annos erant fasces sarmentorum. Jejunia ipsius in pane & aqua fuerunt continua, magisque assiduæ flagellationes, quibus sese cruentabat, & cilicia, quæ perpetuò gestabat. De ejus modestia rarum aliquid fuit dictum, & est, quod Sancti Patris Ludovici de Ponte, sui tot annis Confessarij, faciem nunquam fuerit intuita, neque illum ex visu noverit.

V. Quantum attinet ipsius patientiam, ea non est summa, quòd triginta annis decubuerit, sustinendo tantos dolores, & cruciatus à DEO immissos vel permissos; sed quod inter tot ærumnas nunquam visa sit vultum exhibere minùs serenum, gravem & modestum, ità ut posset dubitari, pateretúrne cruciatus, an verò quiete frueretur. Sufficiat ad præsens propositum, quòd quâdam die dixerat illi, qui id in concione retulit, se nempe sic esse comparatam, ut si DEUS ità suo arbitrio permitteret sanitatem & quietem, ut ea sibi non constaret majori labore, quàm extensione manûs, hanc non extenderet. Nam in cœlo Domine (subjunxerat Sancta) nullæ sunt afflictiones, & oportet nos esse avaros horum cimeliorum mercatores, eadémque copiosè accumulare: ibi enim carissimo venduntur pretio.

VI. Fuit ultra modùm humilis, suíque ipsius contemptrix, jam indè à sua tenella ætate: tum enim, quando illius Amita dicebat ijs, à quibus invisebatur, ipsam esse gratiosam puellam; erubescebat, ac verecundabatur, & finitâ visitatione flens Amitam rogabat, nè talia diceret. Vix verba pronuntiare noverat, quando in corde seipsam scivit despicere.

Anno hujus sæculi 14. prohibita fuerunt Oratoria privata, & ipsa existimavit à se, exiguâ reverentiâ, quam illa suo exhibuisset, DEUM fuisse compulsum, ut ederetur illud mandatum: adeò ut eam non possent consolari ipsius Confessarij, securam reddentes, nòn ità se rem habere.

VII. Cùm decumbens in lecto rationem eorum, quæ in illius

illius Anima agebantur, reddere deberet suo Confessario sancto P. Ludovico de Ponte, quia alienâ uti manu ad suas res annotandas cogebatur, habebat puellas domi, à quibus conscribebantur. Evenit illi quâdam die, ut haberet unam nescientem scribere: jussit ipsam sumere apparatum scriptorium; & puella respondit, se scribendi esse ignaram, cui illa dixit: scribe, scribe; & scripsit omnia sibi dictata à Sancta. Aliâ quoque vice idem egit cum alia puella, quæ nec nec legere, neque scribere noverat. Ambæ etiamnum vivunt in hac Urbe Moniales, ut nullâ indiguerint aliâ scholâ, in qua suas condiscerent literas; quemadmodum & virtutem ac studium solitudinis, quibus omnes suâ educatione imbuit.

VIII. Octodecim ex ijs, quæ ipsi inservivérant, collocavit in statu religioso: atque licèt omnes essent juvenculæ, & multæ formosæ, nunquam est auditum, aut visum, quidquam ab illis vel apparenter minùs bene actum fuisse, quamdiu in ejus domo manserunt. Quæ specialissima absque dubio fuit providentia DEI, cùm etiam in Monialium claustris, quandoque videre sit, quòd in ea paupere domo, delitescente hac Dominâ in lecto animadversum non fuit. Pro earundem subsidio expendit ultra triginta millia ducatorum, sibi eleemosynæ nomine oblatorum, ex qua nihil unquam in se ipsam insumpsit.

IX. Domus illius commune fuit pauperum, & afflictorum refugium, etiamsi tam ipsa, quàm ejus alumnæ, viverent eleemosynâ; quâ eo anno, quo invaluerat fames, nemini negatâ, ex septem panibus (quorum quatuor integri dabantur tribus personis pauperibus) vescebantur domestici, unàque omnibus egenis eleemosynam petentibus elargiebantur, obstupescentibus alumnis, tantum panis erogari, nec tamen deficere diurnum dimensum, quod ordinariè erat exiguum, multiplicante panem manifestè DEO, ut nescienti negare eleemosynam non deesset, quòd ad fores ipsius adventantibus impertiretur.

X. Paupertas ipsius omnes rapuit in admirationem, qui eam intellexerunt; & si acceptavit eleemosynas, id fecit ad succurrendum pauperibus. Voluit namque DEUS uti amore, quo ipsam omnes prosequebantur, ut, dum illi subveniretur, quæ oblatam eleemosynam non erat in se impensura, eadem ab ipsa dispensata cederet in subsidium omnium egenorum. In lectulo cortinis carente triginta annis decubuit plena morbis ac doloribus, & nullum in suo sancto corpore unquam sensit vulnus, aut livorem. Dum nonnisi elapsis octo mensibus mutari consvevissent lodices, eò quòd ipsi permolesta accideret lecti compositio, tam mundæ inveniebantur, nitidæ, beneque olentes, quàm erant, quando primùm fuerunt instratæ. Quamvis illi frequenter applicarentur quædam medicamenta, perliniretur oleis & ungventis, cubicellum ipsius esset angustum, & obscurum, clausæque manerent fenestræ, quòd vehementer affligeretur à lumine, nullâ unquam seu diei, seu noctis horâ fuit in eo odor, qui non esset gratissimus: & si hæc veritas non fuisset comprobata tam diuturnâ atque exploratâ experientiâ, videretur res impossibilis.

XI. Magnus ille hujus sanctæ Dominæ Pater spiritualis Ludovicus de Ponte, vicinus suæ morti dixit: Quid in Dominæ Marinæ obitu sit eventurum, ignoro, verùm quæ in vita ipsius contigerunt, sunt ex rarissimis, quæ acciderunt in Ecclesia DEI. Dictum fuit quiddam singulare, quanti magnus hic Vir æstimaverit hanc Dominam, quòd nempe ipso die sui obitûs, cùm huic jam esset proximus, ut destitueretur usu lingvæ, videns ingredientem in cubiculum quendam Religiosum, solitum conscribere res hujus Sanctæ, resumpserit vocem, ipsúmque advocaverit, & jusserit accipere necessaria ad scribendum, atq; chartas, quas de hoc argumento habebat conscriptas, eique dictaverit nonnulla adhuc adscribenda, & hoc facto se converterit ad DEUM, ac dixerit: *Jam Domine obligationi meæ satisfeci; in*

manus

manus tuas commendo spiritum meum. Defeceritque ipsum loquela, & brevì exspiraverit, ità indicando, quòd existimaverit sui esse muneris, non omittere, quidquid sciret scribendum, & præclaram pro sua tam propinqua morte fore dispositionem, si ista scriberentur.

XII. Hoc factum stupore replevit totum auditorium, novámq; istius sanctæ Dominæ excitavit venerationem: est enim extraordinaria illa, quâ in hac Urbe colitur sanctus P. Ludovicus de Ponte, veneratio, qui eodem natus est año, quo Domina Marina, & frequentaverunt unâ ludum literarium. Eo vitâ functo curam illius gesserunt P. Michaël de Orenia Societatis JESU Rector Collegij S. Ambrosij, ipsius Confessarius, & P. Fr. Andreas de Ponte, ex sacro Ordine Prædicatorum, ac sancti P. Ludovici de Ponte Frater germanus; hos enim duos fratres singulariter suspexit, & erga duos istos Ordines inexplicabili ferebatur amore, atque devotione erga Sanctos eorundem Fundatores, de quibus multa fuerunt narrata, quomodo vicissim illi fuerint addicti, séque exhibuerint favente, ad speciale Animæ ipsius emolumentum.

XIII. Magnificè ab uno è Concionatoribus fuit appellata *Theatrum Divinorum*, quod Hieronymus dixit de Hierotheo; theatrum, quo divina fuerunt repræsentata & mirabilia. Hujusmodi sunt, quæ in hac benedicta Anima fuisse acta dixerunt, commemorando favores CHRISTI Domini, & Sanctissimæ ipsius Genitricis, atque gloriosi S. Joachimi, quem specialiter colebat, & cujus officium in Ecclesia publicari procuravit, nec non Sanctorum Patriarcharum Ordinum Religiosorum, præsertim S. Dominici, & S. Ignatij, qui de rebus cœlestibus ac divinis ad illam sermones habuerunt.

XIV. Adstiterunt ipsi continuè in ejus cubiculo per multos annos, undecim Angeli. Ponderata fuerunt illius miracula, quæ in vita acciderunt, & in morte: prophetiæ, ecstases, virtu-

tes precatoriarum ipsius corollarum,& globulorum,crucum,ac numismatum. Dixerunt subsignatum illi fuisse à CHRISTO Domino quoddam scriptum, quòd ipsam nunquam esset deserturus,semperque ipsius esset futura; datam ab eodem schedam puram, quâ se obstrinxerit ad omnia concedenda, quæ esset petitura; desponsatam fuisse à Spiritu Sancto, de qua desponsatione mira fuerunt dicta; vidisse illam in suo corde aureis literis inscripta ista verba: *Hic habitat JESUS*: in eodémque dormientem parvulum JESUM, tanquam in lecto suæ quietis: accepisse ab eo linteum, quod asservatur ad S. Paulum, ut eo sudorem, ex quodam amoris sui incendio ortum abstergeret; fuisse ab Angelis exornatam varijs cimelijs, & à Sanctissima Virgine ipsi oblatum Infantem JESUM tanquam recèns natum, atque à S. Petro claves cœli.

XV. In Cœlo assiduam fuisse ejus conversationem, de cujus dispositione, & locis tam promptam habuerit notitiam, quàm de supellectili suæ domûs, & potuisse ipsam tam facilè videre, quæcunque ibi agerentur, quàm facilè sit prospicere per fenestram ad videndum, quid agatur in platea: atque licèt frueretur tam admirabili conversatione cœlesti, obtineret omnes illas visiones, & apparitiones, quibus illam DEUS dignabatur; habuisse tamen externos sensus & potentiam imaginativam adeò expeditam,ut simul operam daret exequendis negotijs exterioribus.

Fundatum ab ipsa fuisse Ordinem S. Brigittæ in Hispania, cui præscripserit Constitutiones ac Regulas, quæ confirmatæ à Summo Pontifice anno millesimo sexcentesimo vigesimo nono, extent in Collegio S. Ambrosij.

XVI. Fundavit DEUS dona & favores, quibus famulam suam cumulavit, non solùm in benigna sua munificentia, sed etiam in continuis ipsius & eximijs meritis, quæ consequebatur tolerando exquisitissimas & insolitas afflictiones, quibus pares

pares nuſpiam leguntur in hiſtorijs tam ſacris, quàm profanis. Paſſa eſt continuos morbos, dolores, & cruciatus, in ſuo corpore: dubia, timores, obſcuritates ac derelictiones, in ſua Anima, cujus virtuti magis cruentas DEUS confidit pugnas, quàm Jobo, quandoquidem diabolus etiam vitam illi abſtulit, cui id ad ipſius confuſionem DEUS indulſit. Exercuit ipſam aliquando per integram noctem, aſſando illam in veru ad ingentem ignem; confixit ſagittis inſtar Sancti Sebaſtiani: & inſtar Sancti Laurentij ſuperpoſuit craticulæ. Suſtinuit rotam novaculis horridam Sanctæ Catharinæ Martyris, atque Coronam ſpineam Senenſis, & varijs vicibus pro Animabus Purgatorij, ejuſdem pœnas ac tormenta. Tot denique res, ac adeò raræ & exquiſitæ, ſunt dictæ, ut eas nec ego referre poſſim, neque capiat Epiſtola, quas idcirco relinquo libris, qui de his ſuo tempore publicabuntur.

CAPUT XVIII.

Miracula Venerabilis Marinæ.

I.

PAter Petrus de Leon, Venerabilis Marinæ ante Patrem Ludovicum de Ponte Confeſſarius conſcripſit aliqua miracula, quæ contigerunt Anno 1600. ex eo, quòd Venerabilis Marina infirmos tangendo ſubitò ſanaret, prout refertur parte 1. lib. 1. c. 15. Contulerat enim DEUS huic ſuæ Famulæ gratiam, ut ſanaret, quos ſuis manibus (ſervatis certis circumſtantijs) attingeret: quod illam ſanè angebat, quia videlicet id poſſe ab alijs notari advertebat. Unde diſſimulanter, & inadvertenter tangebat infirmos, niſi adacta mandato ſuorum Confeſſariorum; ùt Aloyſiam de Porras ex inflammato ac tumido gutture impoſitâ ſolummodo manu parti afflictæ: & quandam ancillam in ſua domo habitantem dolore pleuritico in uno latere occupato, contrectato ſolummodo manu loco affli-

flicto. Item fœminam suam vicinam, quæ nullis medicamentis in mamilla affecta adjuvabatur. Item alium vicinum tam periculosè ægrotantem, ut jam ageretur de conferendis ipsi Sacramentis. Præterea suum fratrem, suam cognatam, quin & suas sorores suis precibus sanavit.

II. Pater Ludovicus de Ponte etiam refert, quomodo sanaverit filiam primogenitam Regis Philippi III, prout jam suprà relatum est. Item quendam pauperem multas proles habentem, qui dum tectum repararet, ruit ex illo, & confregit crura, eum tangendo sanavit: ut & alium planè in simili casu.

Alia vice, cùm vicinam quandam suam susceptâ jam extremâ unctione, adhuc junior unà cum sua Matre, præsentibus multis hominibus visitâsset, occultè tetigit locum doloris: & infirma subitò exclamavit: Quis me attigit? quia me sanavit. Illa celeriter fugit, ne resciretur. Cùm quidam adequitaret in effræni equo, adeò furente, ut omnes vehementer vociferarentur, illa dixit DEO: Domine detine ipsum: & in momento stetit instar agni.

III. Continuum & notorium ab innumeris testatum miraculum fuit, quod etiam priori Capite Dominus de Vinivela specialiter annotavit: nempe quòd licèt triginta annis semper lecto affixa maneret, in cubiculo angusto, semperq; clauso (siquidem ipsius oculos lumen offendebat) & ibidem peragerentur obsequia, quibus eget corpus, & quæ tot symptomatum cura medicinalis exigebat, ardente per noctem in eo perpetuo, atque totâ ferè hyeme, etiam interdiu lucernâ, præter alia lumina, quæ accendebantur, dum illi celebraretur Missa; & licèt illud cubiculum implerent integris propè diebus, seu ipsius sociæ, seu alij eam visitantes, nunquam tamen in dicto cubiculo sit animadversus ullius generis adversus odor, nec ulla fuligo è luminum fumo, acsi foret campus svavibus expositus ventis, cuivis auræ pervius: id quod Doctor Gabriel de Canseco Medicus

dicus scribit se infinities æstimâsse, & celebrâsse, tanquam miraculum. Sed neque etiam ullus sentiebatur odor gratus, nisi ab intrantibus inferretur, qui tamen corporalibus Ven. Marinæ affectionibus notabiliter incommodabat, ut statim oportuerit adhiberi odores ingratos & contrarios excitando ex combusta lana, vel charta fumum, quo refocillaretur. Altitudo dicti cubiculi, & latitudo fuit undecim pedum, ac dimidij, & longitudo pedum tredecim. Erat in illo constructa ex tabulis (intra quam stabat lectus) clausura longa septem justos pedes, totidemque minores lata, & octo pedes alta. Cooperiebatur ista clausura hyeme tribus tapetibus, æstate verò tribus linteaminibus.

IV. Idem Doctor Gabriel, pro miraculo habuit, quòd Ven. Marinæ corpus ex sua complexione carnis teneræ potuerit conservari vividum inter tot morbos tot annis absque pellis læsione, etiam cùm nec ipsa, nec alij eam possent in isto angusto lecto movere, intrà sex, & interdum decem, ac plerumq; duos, trésve menses. Interula & lodices ab ea his occasionibus receptæ fuerunt tam mundæ, quàm si illi ante octiduum datæ fuissent.

V. Marina de Obregon Monialis Trinitaria sub juramento fatetur: frequenter ego, & aliæ sociæ, quæ illi assistebamus, quandam percipiebamus fragrantiam suavissimi odoris, quem præsertim manus Sanctæ, & Venerabilis Dominæ exhalabant. Interula quæ illi auferebatur, ut alia indueretur, quòd semel intra duos menses solebat fieri, redolebat, acsi eximeretur ex multis floribus, gratissimum spirantibus odorem. Cibo tam modico intrà diem & noctem sustentabatur, ut à me cibus appellari nequeat, optiméque apparuerit, eam miraculosè fuisse à DEO sustentatam.

VI. Mater Maria de Sanctissimo Sacramento Abbatissa Conventûs Sanctæ Brigittæ affirmat itidem ejus lectum quandoque intrà decem menses non fuisse stratum. Et licèt in hoc

situ

ſitu multis maneret menſibus, nunquam tamen illud virgineum corpus fuiſſe vulneratum, neque ullas protuliſſe ſordes; imò interdum ait, ſentiebamus ex eo prodeuntem odorem, & fragrantiam, quæ nihil ſpirabat terrenum, ſed aliâ quâdam afficiebat ſvavitate & ſolatio. Et hoc non ſolùm ſumus expertæ, quæ poſtremæ fuimus ipſius ſociæ, verùm etiam illæ, quæ nos præceſſerunt, à quibus ego id audiveram, quod poſtea meis oculis conſpexi.

Domina Angela de Oſorio addit & alias circumſtantias, tum cubiculi, tum corporis, quod per complures menſes immotum, & in eodem non immutato decumbens ſtrato, tam erat mundum, & integrum, quàm eſt virginea bimulæ puellæ caro, adeò ut nonnunquam cœleſtem exhalaret fragrantiam.

VII. Refert P. Pintus Ramirez lib. 3. cap. 12. ſequentia: Jlluſtriſſimus Dominus Joſephus Gonzalez, & Domina Catharina de Baldes ipſius conjunx jurejurando interpoſito (idem jurant multi alij) aſſerunt, quod evenit Joanni Gonzalez eorundem filio in pueritia, hodie in una è præcipuis in Hiſpania dignitate conſtituto, ſequentibus verbis in compendium contractis. Filius meus Joannes dum 4. vel 5. eſſet annorum, fuit correptus morbo, quem Medici vocant epilepſiam, ut quævis nox timeri poſſet vitæ ipſius poſtrema. Quamprimum indormiebat graviter ronchiſabat, ac incipiebat contorquere oculos, gyrare, tremere toto latere ſiniſtro, circiter ſpatio, quo bis dici poteſt Symbolum Apoſtolorum; deinde invaleſcebat magis, ut neceſſe fuerit totâ illi nocte adeſſe, eò quòd quater, etiamque ſexies, nonnullis noctibus ſæpiùs, quàm decies ſexies corriperetur, idque ad annum uſque ætatis ipſius decimum. Omnibus remedijs fruſtratis in hoc filio noſtro unico, Parentes confugimus ad P. Michaëlem de Orenia Confeſſarium ſanctæ Dominæ Marinæ, qui ſuo nomine impetravit, ut meo filio liceret adire ejus domum, útque illa ipſi porrigeret manum, & ſuam impertiretur bene-

benedictionem. Ipſe Pater duxit meum filium ad ſanctam Dominam, quæ puerum (poſtquam is recenſuit ſuam infirmitatem) blandè allocuta, eique bene precatà (Pater de Orenia, qui adfuit, addit eam ſignum crucis ſuper puerum formaviſſe) ſubjunxit ſe ſperare in DEO, futurum deinceps ab eo morbo immunem, atque ut à ſua Matre peteret facultatem colludendi alijs pueris auræ capiendæ gratià. Ex eo tempore qui fuit Majus vel Junius Anni 1625. in hodiernam diem, quæ eſt 7. Decembris 1633. per DEI miſericordiam, neque morbus, neque ipſius indicium in puero fuit adverſum.

Idem Dominus Joſephus Gonzalez Supremus Regius Quæſtor, à gravi capitis dolore liberatus eſt, impoſito capiti ſuo velo, quo uſa fuerat Serva DEI Marina.

VIII. Varias morborum ſanationes refert P. Andreas Pintus Ramirez ibidem parte 2. lib. 3. c. 12. ut & converſiones animarum. Pater Frater Andreas de Ponte juratus teſtatur, dum ægrotaret Mater Soror Beatrix de Caſtro, Monialis in Conventu Matris DEI, noſtri Ordinis, quæ ibi ob ſuam virtutem, & regendi gratiam egit Prioriſſam, miſit rogatum hanc Virginem, ut ipſam commendaret DEO. Idem inſtantiſſimè petiverunt multæ aliæ Moniales notæ Ven. Marinæ, graviſſimè enim ferebant jacturam talis perſonæ. Invaluit morbus, ſuſcepit Sacramenta, & poſt datam illi extremam Unctionem, manſi ibi eà nocte, cum multis Monialibus, ut eidem impertirer ſacram Abſolutionem, ſi ab ea peteretur, dicerémque commendationem animæ. Infirma obdormivit modicùm, & evigilavit exclamando: Quis hunc meum lectum conſcendit, méque attigit? acceſſi ad lectum, quæſivi ex ea, ſciretne quis ipſam attigerit. Et reſpondit mihi: Videbatur mihi eſſe Ven. Marina, quanquam nullum mihi dixerit verbum. Effectus is fuit, quòd ſinè mora inceperit convaleſcere, & intra breviſſimum tempus fuerit integrè ſanata; atque poſtea quinque adhuc annis vixerit.

Videns illam eâ nocte adeò derepente convaluisse, postquam illuxit dies, egressus sum ex Conventu, ac adivi domum Marinæ. Interrogavi ipsam, fueritne in dicto Conventu? dixit mihi se fuisse, ductámque esse à suis Dominis Angelis, & quâ horâ id acciderit, qualiterque lectum conscenderit, atque amplexata fuerit infirmam, & subitò sanaverit, omnia ità distinctè exprimens, sicut mihi dixerat infirma.

Caput XIX.

Testimonia de Sanctitate Venerabilis Marinæ.

I.

IN authenticis informationibus pro Canonizatione hujus Venerab: Virginis à Domino Georgio de Pedrosa Episcopo Vallisoletano confectis citantur plures quàm quadraginta, omni fide dignissimi testes, plerique sanctitate, literis, ac nobilitate insignes, familiariter versati cum sancta Virgine, vel qui sufficientissimam virtutum ipsius habuerunt notitiam.

P. Frater Andreas de Ponte ex Ordine S. Dominici, qui diutiùs, quàm 36. annorum spatio familiarissimè cum hac Virgine egit, ejusdémque etiam Sacramentales excepit Confessiones, juratus asserit, eam semper à se habitam dignam, quæ compararetur omnibus Sanctis antiquis, quorum historiæ ab Ecclesia celebrantur.

P. Michaël de Orenia Societatis JESU, ejus per novem annos usque âd ejusdem mortem Confessarius jurat se illam similem fecisse ijs Sanctis, qui specialiter in DEI obsequio eminuerunt. Pariter juraverunt omnes sociæ, quæ sanctæ Virgini convixerunt, aut ipsius morti adfuerunt.

Similiter Religiosi, qui ex diversis Ordinibus sunt cum ea conversati.

II. Excellentissimus Dominus Alphonsus Pimentel Comes de

de Benavente in sua attestatione jurat se in hac Virgine expertum fuisse magnam omnium virtutum perfectionem, & cùm eam inviseret, atque in omnibus adversis temporalibus eventibus, & in summis spiritualibus animæ suæ angustijs, ac luctis consuleret, semper apud ipsam reperisse magni solatij, & præclaræ prudentiæ monita & consilia, sibique tam bene convenientia, ut nullâ ratione ab illius jussis recederet: seque ex ipsius præsentia solitum fuisse exardescere in magnum amorem Castitatis, & gratias agere DEO, quòd tantam huic Virgini contulisset puritatem, ut ipsam intuendo delibaret istius virtutis delicias. Testatur præterea se quotiescunque illam videret specialissimos [illegible]ios sensisse motus, & ingressum ad ipsam esse expertum specialem affectum ad honorandos tot Angelos (sicut dici audiverat) illi assistentes. Quòd si interdum intrando hujus venerationis ijs cœlestibus Spiritibus debitæ oblivisceretur, statim suam mentem fuisse internè permotam, quid sibi esset agendum. Stupori etiam sibi fuisse profundissimam animi demissionem, quâ hæc Virgo mirabatur, quòd ipse eam domum dignaretur ingredi.

III. Jllustrissimus Dominus Franciscus Calderon, & Vargas, Comes Olivæ, Marchio septem Ecclesiarum, Filius decollati Domini Roderici Calderon, se ac suum Dominum Parentem, & Avum familiarissimè per multos annos egisse cum hac magna DEI Serva, cum tanto honore, ac æstimatione, ut nihil agerent, quod cum ea non conferrent, & illius precibus non commendarent, usque adeò, ut Parens paulò antequam esset comprehensus, quamvis sciret negotia sua in malo statu versari, seque comprehendendum esse, Sanctam accesserit; interrogaturus, quid sibi facto opus esset. Illâ verò respondente, ut si cuperet bonum suæ animæ, nihil ageret; ipse penitùs conquieverit, & exspectaverit incarcerationem, in qua postea etiam decollatus est. Post multa alia concludit se intrando in illius cubi-

biculum, nunquam caput cooperuisse, neque ut id faceret, sibi in mentem venisse quòd pileum adferret.

IV. Jllustrissimus Dominus Franciscus de Guzman Vice-Comes Villoriæ post multa de heroicis virtutibus concludit, constare sibi communem de hac Famula DEI opinionem esse, quòd sit maxima Sancta, ac tanquam de tali omnes loqui: & multos reveritos fuisse, ac specialiter veneratos domum, in qua felicissima ista Domina vixit, transeundo plateam ubi sita erat, dum adhuc viveret: idémq; nunc facere postquam obivit, æstimantes dictam domum, tanquam magnum Sanctuarium.

Jllustrissimus Dominus Josephus Gonzalez Eques S. Jacobi ex Consiliarijs Regiæ Majestatis in Consilio Castellæ & Cameræ, jurat sequentia: Novi Dominam Marinam de Escobar jam indè à 20. annis habitam fuisse pro sancta, sicuti dum est mortua: qualem & ego esse semper judicavi, frequenter cum ea conversando, cujus omnia exteriora erant clarum speculum, in quo relucebant magni splendores & sanctitas ipsius Animæ.

V. Dominus Joannes Arias de Rua Consiliarius Regiæ Majestatis, & Judex Criminalis in Cancellaria Regia Vallisoleti, gravissimis verbis exponens, quæ ipse expertus erat circa admirandas hujus Virginis virtutes (quas existimabat esse tales, ut quamvìs tam multa de ipsius sanctitate dicerentur, omnia tamen excederent) subjungit: Scio transeuntes plateam, in qua vixit, ac obijt Famula DEI, solitos fuisse detegere caput, eandemque venerari instar Sanctuarij, eò quòd ab omnibus haberetur pro sancta, atque ego illam pro tali habeo.

Dominus Æmilianus de Zupide à Secretis Cameræ Judiciariæ Biscajæ in Regia Cancellaria Vallisoleti, post fusè narrata, quæ est expertus, ità ait: Quando ingrediebar ipsius cubiculum jubebat Venerabilis & Sancta Domina afferri mihi sedem, ego verò illam nunquam acceptavi, quàmvìs me urgeret; sed procubui in genua, & venerabundus, acsi loquerer cum creatura plus-

plusquàm humana, acclinatus lecto Sanctæ illam alloquebar.

Plura testimonia congerere videbatur mihi superfluum, cùm jam sint instituti processus pro Informationibus ad ejus Canonizationem, in quibus erit affatim Testimoniorum. Subjiciam ergo unum solummodo speciminis gratiâ scriptum in simili processu apud legitimum Tribunal pridem formatum.

CAPUT XX.

Interrogatorium circa facta egregia Dominæ Marinæ de Escobar, quæque ferè jam undecies sunt comprobata.

HOc Interrogatorium ex Hispania R. P. Roderico de Arriaga Hispano Academiæ Carolo-Ferdinandeæ Pragensis tum Theologiæ Decano, postea ejusdem ante unionem cum Carolina Cancellario, transmissum, mihi deinde ab eodem Rever. Patre, meo Confessario communicatum, ante quinquaginta annos descripsi; quod cùm jam tunc fuerit toties testibus sufficientibus probatum, magnum videtur pondus authoritatis Sanctitati Venerabilis Virginis Marinæ additurum. Sic sonat:

I. An sciverint, vel narrari audierint, quòd Domina Marina à pueritia ostenderit singularia indicia virtutis, & sanctitatis, quam postea totâ vitâ manifestavit, ità ut apparuerit Dominum DEUM in illa acceleràsse usum rationis, cùm antè expletum tertium annum ætatis interrogavarit, quomodo essent intelligenda ea verba: Diliges DEUM super omnia. Et quid tunc contigerit ipsâ recedente ad secretiora domûs, ut meditaretur ejus præcepti sibi dati explicationem. Et quòd exiverit quasi absorpta, ut Dominum DEUM ubique quæreret.

II. An audiverint in ea ætate incepisse Dominum DEUM in ea omnium virtutum fundamentum Humilitatem tam pro-

fundam jacere, ut quandocunque domestici laudabant ejus modestiam & obedientiam cum devotione, ipsa amarè fleverit, quæstáque fuerit, quòd ità æstimaretur: & ab eo tempore tam fixam fuisse in ea Humilitatem, suique cognitionem, ut toto tempore vitæ nec minimum senserit in se superbiæ aut vanitatis motum. Dicant Confessarij quid judicaverint de ipsa in hac virtute, & quàm vehementer renuerit, nè aliquis se adiret, aut videret titulo sanctitatis.

III. Utrùm sciant eam quarto ætatis anno Rosarium Beatissimæ Virginis, & multas alias orationes in honorem CHRISTI Domini & Sanctorum maximo cum affectu singulis diebus orâsse? specialiter autem pro Animabus Purgatorij, & à decimo quarto ætatis anno integerrimas noctes in Oratione consumpsisse, ità raptam in Domini DEI amorem, ut vix unquam cogitationes ab eo summo bono averterit, etiamsi per multas horas in meditatione permaneret: quod idem in vocali contigit, & indè ad tam perfectam de Domino DEO considerationem ascendisse, ut in Vigilia nunquam ipsum è mente deponeret.

IV. Item eo tempore ac toto reliquo vitæ, dum per valetudinem corporis licuit, pœnitentias rigorosas, jejunijs, flagellis usque ad sangvinem, cilicijs &c. egisse, dormiendo supra siccos palmites, aliisque modis suum corpus macerando, castigando, solo Domino DEO placendi desiderio.

V. An audiverint, quòd ab ea ætate cum maxima devotione Sacramenta frequentaverit, ità erga Venerabilem Eucharistiam affecta, ut perpetuis eam sumendi desiderijs flagrarit, Domino DEO id miraculosè approbante, cùm ter graviter ægrotanti febribus, Medici non aliud remedium præsentiùs invenerint, quàm ut communicaret: statim enim sanitas perfectè restituta est.

VI. An audiverint, quòd antequam domi oratorium haberet, cùm non posset ob summam debilitatem domo exire, fue-

fuerit aliquoties ab Angelis portata, ut Sanctissimum hoc Sacramentum susciperet; & quod alijs vicibus spiritualiter in suo lecto per manus CHRISTI Domini & aliquorum Sanctorum susceperit.

VII. Item quòd ab ea ætate, etsi exercitijs spiritualibus summè occupata, ità tamen Parentibus, & ijs, sub quorum tutela erat, fuerit obediens, ut nunquam vel in minima re fuerit illis refragata: quòd ipsum erga Confessarios semper observavit, eis de omnibus rebus minutissimam reddens rationem, & nunquam aliquid contra eorum voluntatem fecerit, Domino DEO hanc obedientiam approbante, ipsi, ut de ea votum faceret, præcipiente. Dicant Confessarij quid de hoc genere sciant, & an non multis miraculis confirmârit Dominus DEUS.

VIII. An sciant erga Paupertatem tam affectam fuisse, ut cùm Parentes obierunt, à se statim Patrimonium adicârit ferventi desiderio actu Paupertatem CHRISTI Domini imitandi: non considerans, quî posset Virgo honesta juvenis sustentari, sperans sibi Providentiam Divinam non defuturam: & quòd sæpe cum Domino DEO confidenter contenderit, optans ut omnia sibi deessent; Domino DEO tamen abundè ipsi miraculosè providente. Et id deponant de particularibus casibus, qui illi in hac materia contigerunt.

IX. An sciant eam à Domino DEO tali pudicitiâ virginali fuisse dotatam, ut non solùm ad mortem integra permanserit, sed nec minimam contra eam virtutem in se tentationem fuerit experta, nec vel levis in contrarium occurrerit. Quòd verò castigationes voluntariæ, non ad rebellionem carnis domandam, sed ad imitandum CHTISTUM Dominum, ejusque Sanctos ab ipsa fuerint assumptæ. Et cùm Dominus DEUS permiserit in hujus Sanctæ Virginis conspectu dæmones mille exercere nugas, & eam varijs modis vexare; nunquam tamen permiserit eos dicere, aut facere in ejus præsentia aliquid inhonestum.

Quód

Quódque Dominus DEUS illi manifestaverit per miraculosam visionem, pulchritudinem, & divitias hujus virtutis. Dicant Confessarij, quid in hac materia sciant, cæterique, qui eam agnoverunt modestiam, gravitatem, quam dum per plateas incederet, servavit, quâ cæteros ad modestiam componebat. Item, an sciant Dominum DEUM illam in omni materia à gravi culpâ illæsam servâsse.

X. An audiverint à Domino DEO tam naturalibus, quàm supernaturalibus talentis, quæ ei famularentur, fuisse dotatam, ingenio, memoriâ, maturo judicio, prudentiâ, facili indole, modestâ svavi conversatione, & gravibus verbis, ponderosisque. Item virtutes morales, sinceram veritatem, sine ulla dissimulatione, etiam in rebus minimis, mansvetudinem, temperantiam, & in rebus arduis ac honestis aggrediendis invincibilem fortitudinem in ipsa repertam. Dicant, qui eam agnoverunt, an non ipsius exteriora opera manifesta fuerint harum virtutum testimonia.

XI. Utrùm sciant Revelationes, quas scripsit de vijs spiritualibus, per quas eam Dominus DEUS duxit: documenta spiritualia in utilitatem animarum, & circa exercitia virtutum tradidit; modum item explicandi visiones, & Revelationes divinas, intelligentiam communionis Animæ cum Domino DEO per omnium potentiarum perfectissimos actus, cum unione per affectum cum summo Bono, esse plenum doctrinæ cœlestis ad dignoscendum Spiritum Divinum ab humano, & diabolico. Dicant Confessarij, & qui cum illa egerunt, quid circa hæc intellexerint, & quàm scripserit non tam voluntate propriâ, quàm Confessarij, & Divinâ.

XII. Utrùm sciant, quòd in verbis earum personarum, quæ in Revelationibus cum hac Sancta Virgine loquebantur, reperiantur circumstantiæ & signa, quæ à Sanctis traduntur ad dignoscendum spiritum DEI, à diabolico, & discernendam sancti-ta-

ctitatem, veritatem, puritatem, sapientiam, gravitatem, manifestationem Divinæ Essentiæ, attributa & perfectiones divinas eum ad finem ordinatas, ut homines in via spirituali proficiant, & perfectionem consequantur; & an etiam in rebus, quæ per revelationem illi dicebantur, reperiantur hæc indicia.

XIII. Item an audiverint in decursu hujus Virginis vitæ repertas fuisse supra enumeratas virtutes, cum singulari sollicitudine vitandi vel minimas culpas, profunda cum humilitate, cognitione suiipsius, vehementi desiderio, ut ab omnibus contemneretur, maximo semper timore, nè deciperetur, perpetuo recursu ad Dominum DEUM, ut omni fraude se liberaret, neque ipsam per similes vias duceret, semper, quantum est ex se, optando revelationibus, & apparitionibus carere, & se per alias solidas virtutes cum Domino Deo unire; semper omnia cum Confessarijs conferendo, ipsisque exactè obediendo.

XIV. An sciant ei à Domino Deo in excellentiori gradu fidem communicatam: quod & certitudine, quâ divina mysteria credebat, & claritate summâ, proprietate ac facilitate, quâ ea explicabat, manifestè ostendit.

XV. An sciant ipsi scientiam mysticam spiritûs communicatam per Revelationes mysteriorum Christi Domini, Nativitatis, Infantiæ, Passionis, & Mortis, Resurrectionis, Ascensionis, & Adventûs Spiritûs Sancti. Omnibus ità erat præsens spiritu, acsi corpore, quando contigerunt, præsens fuisset, eosdem affectus, & motus animi sentiens, maximè dolores, & tormenta Christi Domini, in quorum signum ipsi ineffabili modo impressit stigmata in manibus, pedibus, & capite, visibile autem in latere, unde ipsi fluebat sangvis, & aqua, quorum signa nonnullæ personæ post mortem viderunt. Dicant hæc & similia Confessarij, & qui ipsam agnoverunt, ac de hoc mysterio aliquid intellexerunt.

XVI. Item quòd hæc Virgo eandem scientiam mysticam

habuerit mysteriorum Sanctissimæ Trinitatis, Immensitatísve; de Beatitudine Angelorum, cum aliqua participatione, & fruitione in se ipsa, eorum, quæ Beati in cœlo vident. De mysterijs Angelorum Custodum erga homines, & quid multi alij Sancti præstent hominibus, maximè Fundatores Religionum erga suos.

XVII. Item quòd habuerit experientiam omnium communicationum Domini DEI cum Anima, per inspirationes, figuras, visiones imaginarias, illuminationes, raptúsve; & quòd ipsius cor ità Dominus DEUS dilatârit, ut inter altissimas Revelationes potuerit agere familiariter cum hominibus.

XVIII. Quòd habuerit frequentes visitationes Sanctissimæ Trinitatis, CHRISTI Domini, Beatissimæ Virginis, Angelorum, qui ipsam recreabant dulcissimè colloquijs, & Revelatione Secretorum cœlestium ac terrestrium, ipsam adhortantes ad servitium Domini DEI, & ad tolerandos pro ipso dolores, eámque à dæmonis insultu protegentes: in quem finem multis ante mortem annis ipsi Dominus DEUS designavit decem Angelos, præter Custodem, cum quibus familiariter agebat, de rebus spiritualibus, in sui & proximi utilitatem.

XIX. Quòd eadem Virgo habuerit manifestum prophetiæ donum, Domino DEO ipsi multas res futuras, & absentes revelante; ad varias partes mundi ipsam ferente, in subsidium multarum personarum particularium, vel ob causas communes Catholicorum Regnorum, & defensionem Fidei; sæpe etiam manifestando ipsi animarum statum, & quid in earum consolationem & fructum dicere deberet, vel ut evitarent magnum aliquod corporale aut spirituale periculum.

XX. Item quòd tam ardenti Charitate in Dominum DEUM & CHRISTUM flagrârit, ut in ipsum corpus haud raro redundârit, necessariúmque fuerit sæpe ex consilio Medicorum aquæ haustum ad extingvendum ardorem porrigere, & Confessa-

fessariorum industriâ temperare eum spiritûs fervorem, qui & in tactibus, & in respiratione manifestabatur persæpe.

XXI. Item quòd adhuc Juvenis hoc amore divino, ità rapiebatur, ut cùm semel in festo S. Michaëlis mater eam secum duxerit ad videndas nundinas ibi celeberrimas, nihil prorsus viderit, aut notaverit, nisi cùm primùm intravit forum, ubi vehementi strepitu parùm ad se rediens, mirata est ibi se esse, ignorans à quo ducta esset, cùm etiam pedes illuc venisset; & quòd Medici non potuerint in ipsa eo tempore pulsum dignoscere, asseruerintque eam miraculosè vitam protrahere. Eodem etiam tempore, cùm simul sederet cum sororibus acu pingens, & frequentissimè ità rapiebatur in Domini DEI amorem, ut non valens tolerare illum, debuerit in proprium cubiculum includi, ut lachrymis & affectibus paulisper respirare posset.

XXII. Item quòd Dominus DEUS zelum & amorem proximorum in ea promovens jusserit in bonum animarum, ut in Hispaniam induceret Ordinem S. Brigittæ cum novis Regulis, quas ipsi inspiraturus erat; & licèt cum humilitate per multos annos id recusârit, tandem obedivit, & revelatas sibi Regulas scripsit, quas Sanctissimus Urbanus VIII. Pontifex examinatas approbavit speciali Bullâ datâ 1629.

XXIII. Item quòd ex amore eodem prodierit misericordia, quâ in pauperes utebatur, Domino DEO miraculosè multiplicante, quæ in eorum subsidium habebat. Cúmque nihil aliud possideret, quàm quod ex eleemosynis acquirebat, potuerit in diversis monasterijs octodecim Virgines dotare, quatuor in matrimonium locare, & alias eleemosynas publicas, & secretas largita fuerit monasterijs, dotaverit etiam in alijs lampades coram Venerabilissimo Sacramento; & perpetua Sacra pro Animabus Purgatorij. Item quòd in distributione horum nihil dederit ulli consangvineorum, nisi præcisè sicut pauperibus cæteris.

XXIV. Item quòd ex eodem Domini DEI amore processerit summa fiducia, cum qua petebat & obtinebat à Domino DEO singularia beneficia in bonum proximorum, ùt ex casibus particularibus, à testibus depositis manifestè constabit. Et quòd semel CHRISTUS Dominus ipsi dederit syngrapham (ut dicunt Carta bianca) ut ipsa apponeret, quidquid vellet, promittens se omnia concessurum.

XXV. Item quòd ut eam Dominus DEUS ad tantam perfectionem eveheret, priùs illam maximis laboribus & afflictionibus corporis & animi exercuerit, cùm sæpe in juventute usque ad mortem ferè ægrotaverit: & molestissimis scrupulis humiliata fuerit, ac postquam revelationibus divinis recreari cæpit, semper fuerit in perpetuo timore, & reflexione, nè deciperetur.

XXVI. Item quòd cùm prædictas infirmitates & vexationes per viginti sex annos sustinuisset, Anno 1631. tandem 21. Novembris, festo Præsentationis Beatissimæ Virginis, dæmon ipsam tam fortiter in pectore percusserit, ut imposterum sinè particulari miraculo, & aliorum auxilio, nec moveri quidem potuerit, ac in perpetuo morbo triginta tres annos exegerit, ità ut nullam diem, neque horam sinè gravissimo dolore habuerit; & cùm semper jacuerit in angusto valde cubiculo, ubi remedia adhibebantur, & pro morbis, & humani corporis necessitatibus subveniebatur, nunquam tamen ibi notatus fuerit ab ullo, vel minimus ingratus odor, neque è contrario bonus, nisi à personis, quæ illam visitabant, afferretur, quo incredibiles Virgini augebantur dolores.

XXVII. Item quòd ad majorem hujus Virginis coronam sæpe dæmonem permiserit Dominus DEUS, ut eam affligeret, & torqueret varijs modis, & quodam die, post longum & crudele martyrium, ipsam visitaverit Sanctus Laurentius, & Sancta Catharina Martyr, qui ipsi dixerunt, se non passos graviores

res

res dolores, quàm ipsam: & quod aliâ vice, cùm dæmon collegisset pulverem, floccósque è cubiculo, eos ad os intruserit, & à tergo acerram ardentibus plenam carbonibus illi applicuerit, quibus & Virginem immaniter adussit, & sordes in quinque lapides vitelli magnitudinem æquantes coaluerint, quos tandem post quatuor mensium gravissimos dolores Beatæ Virginis intercessione ejecit, qui usq; ad hodiernum diem asservantur. Dicant Medici, an sinè speciali miraculo tam diu in adeò gravibus tormentis vitam protrahere potuisset.

XXVIII. Item quòd prædicta Virgo similes afflictiones & vexationes semper pluris fecerit, quàm revelationes omnes & visiones divinas, tum se maximè securam credendo, cùm affligebatur magis. Unde semper repetebat sibi futurum grave, si vitam sinè ejusmodi laboribus transigeret.

XXIX. Item declaret Confessarius, an sit verum, quòd, cùm in festo Corporis CHTISTI 26. Maji mediâ quintâ matutinâ ad ipsius Confessionem audiendam accessisset, sibi ab ea dictum fuerit, paulò antè ibi dæmonem comparuisse, & licèt ab uno è Sanctis Angelis indè statim repulsus fuerit, vereri tamen se grave aliquod damnum, ab eo passuram, & venenum ab eo sibi injectum. Nam statim Angelus Custos blandè ejus frontem abstersit, acsi eam demulcere voluisset, medicinámque aliquam applicuisset, & quòd statim CHRISTUS Dominus multis stipatus Sanctis Angelis se spiritualiter communicârit. Dicant Confessarius & Medici, qui assistebant, an non sit verum quòd intra paucas horas inceperit vexari gravissimis doloribus à loco, ubi eam Angelus tetigit, usque ad octavam Junij mediâ decimâ vespertinâ, quâ totus omnino dolor cessavit; & quòd apostema duobus diebus pòst mortem ipsi per os erumpens, fuerit signum injecti à dæmone veneni, sicut olim lapides illi quinque fuêre signa pulveris. Dicat Medicus, quid in hoc puncto sentiat, & quòd aperiens illi os, ut judicet, quid in gutture pateretur,

tur, notaverit malum odorem, quem ad eam usque horam numquam aliàs adverterat.

XXX. Item quòd à quo cessârunt dolores, incepit omnium summa quies usque ad mediam decimam diei insequentis, quâ Sacramentis omnibus munita animam Domino DEO reddidit. Dicant Confessarij, an non Dominus DEUS sæpe dixerit, non expedire, ut horam mortis sciret, significaverit tamen ante mortem habituram eam gravem crucem, & paulò pòst morituram. An sciant Dominum DEUM illustrem reddidisse hanc Virginem, multis miraculis, & supernaturalibus operibus: dicant casus particulares.

XXXI. Item quòd hæc Virgo totâ vitâ fuerit æstimata, tanquam raræ Sanctitatis fœmina, & singulariter à Domino DEO exornata, & quòd quicunque cum illa egerint Viri docti & sancti, Prælati, Religiosi, Titulares, Equites, omnesque alij eam opinionem de ipsa habuerint, nec solùm in hoc Regno, sed & apud cæteros, ùt Sanctam habitam fuisse, multósque se ejus precibus commendâsse, & quòd Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte Societatis JESU, qui cum ea tot annis egit, tanquam Confessarius, & vitæ Spiritualis Magister, per tentamenta varia, ipsam ùt Sanctam reputaverit, reliqueritque scripta ea omnia, quæ de vita ipsius sciverat. Cúmque sanctus Vir habuerit revelationes suæ mortis, & eam imminere noverat, ut non nisi aliquot restarent horæ vitæ, judicârit optimam esse præparationem ad mortem, occupare se dictando virtutem hujus Virginis. Dicant, qui noverint hunc insignem Virum, an non ea actio tanta è prudentia & sanctitate promanans, magnũ fuerit testimonium Sanctitatis hujus Virginis Revelationum & Miraculorum.

XXXII. Utrùm sciant, quòd in puncto mortis hujus Virginis, tantus fuerit concursus ad ipsam invisendam, & osculandos illius pedes, ut brevi sex Sacerdotes debuerint designari, quo

quo concursus prohiberetur, néve homines accederent; quibus nil juvantibus Magistratus validam manum mittere debuerit, nè multitudine irruente aliqui opprimerentur. Tota platea semper hominibus plena, etiamsi gravissima ceciderit pluvia, imò & sequente die horâ quartâ matutinâ vix modum fuisse per plateas vicinas perrumpendi, ut cùm Collegium Societatis JESU Sancti Ambrosij, eâ hora, utpote tempestivâ valde, & quâ vix ullus alius secularium pergere solet, ad corpus ipsius cucurrisset venerandum, non potuerit perrumpere aliquis, nisi petito auxilio brachij secularis. Item quòd Capitulum Cathedrale, & Senatus à seipso, nemineque urgente in se suscepisset funeris expensas tanta cum aviditate, ut nullus alteri cedere voluerit, necessúmque fuerit sortes mittere: quæ cùm obtigissent Dominis Don Petro de Vaga, & Don Petro de Barcena, curârunt fieri capsam, intus Attalicâ albâ materiâ suffultam, foris autem holoserico rubro tectam, fimbrijs aureis distinctam, séxque inauratis seris.

XXXIII. Quòd ad funus ipsius concurrerint ad octodecim Religiones, Paræciæ omnes, & Confraternitatum Sodales Civitatis, omnibus ubique plateis, fenestris, & ipsis etiam tectis, ubique hominibus refertis, ut vel videre Corpus, quod detectum à Senatoribus portabatur, vel saltèm venerari liceret, ut triumphum magis, quàm funus fuisse diceres. Cúmque semel stetissent, & Corpus paulisper in terram deposuissent ob devotionem præsentium convenientium, tantus fuerit repentè accursus, ut necessarium fuerit illud statim elevare, ac citissimè ad Domum Professam deferre; & ut satisfieret populi pietati, non est usque ad sequentem diem sepultum, & per consequentes dies fuerit & Officium Defunctorum, cum Missa solenniter cantata, Concióque habita, Religionibus eos dies inter se dividentibus, tanto semper hominum concursu, ut nè quidem, in maximis solennitatibus simile quid fuerit visum. Post novem

vem autem illos dies, aliquos Religiosos rursus Sacrum, Concionesque instituisse, ut sedecim in universum fuerint, semper omnibus tanto cum silentio, modestia, ac devotione adstantibus, ut nec minimum murmur fuerit auditum, & omnes semper, etiam in Concionibus præter ordinarium morem, detecto spectaverint capite. Quódque cùm sit in Hispania solitum, defunctorum funera & exequias candelis ex communi cera flavi coloris celebrare; Exequias tamen hujus Virginis ex communi motu ac consensu, non nisi albâ cerâ celebraverint, & pretiosiori, quali utimur in Sanctorum festis.

XXXIV. Utrùm sciant hæc omnia publica, & notoria esse, ac è communi sensu, ferè certò constare omnibus, domum hujus Virginis tanquam magnum aliquod Sanctuarium venerantibus.

PARS



PARS SECUNDA.

Prudentia, Magiſterium ſpiritûs, & Scientia myſtica VEN. VIRG. MARINÆ DE ESCOBAR.

Prologus.

SApientiſſimus ille Epiſcopus Giennenſis Alphonſus, poſtquam ſigna & argumenta, quibus Revelationum S. Brigittæ veritas probaretur, adduxiſſet, poſtea ad ipſammet S. Brigittam provocavit, & ea, quæ ipſa à DEO edocta, de diſcernendis ſpiritibus, & Revelationibus tradidit. Operæ ergo pretium erit, etiam hîc adducere mirabilem ac cœleſtem Venerabilis Marinæ doctrinam de rebus ad directionem in Vita Aſcetica pertinentibus, déque ijs ſpecialiter, quæ ad cognoſcendam Revelationum Veritatem juſſu Divinæ Majeſtatis conſcripſit; præſertim cùm futurum ſit, ut hinc etiam appareat, quanto fundamento Ven. P. Ludovicus de Ponte dixerit Ven. Marinam de Eſcobar ſuâ Prudentiâ, atque in rebus Animæ experientiâ, & ſpirituum diſcretione multùm ſublevâſſe curam ſui Patris & Ducis ſpiritualis.

CAPUT I.

Rara Ven. Virginis Marinæ in omnibus Prudentia.

I.

TEſtes Illuſtriſſimi in Informationibus pro ejus Canonizatione, nunquam, ùt loquitur Pater Pintus in II. Parte

 lib.

lib. 3. cap. 7. finem faciunt deprædicandi præclaras dotes naturales, quibus DEUS, hanc ſuam electiſſimam Virginem, prorſus eximiam in numero Virginum prudentum exornavit.

P. Fr. Andreas de Ponte ſic ait: Opinione omnium illorum, qui cum Domina Marina ſunt converſati tam virorum Doctorum & Magiſtrorum, quàm Dominorum & Dominarum dubitari nequit, quin fuerit Mulier majore prædita ingenio, capacitate, prudentiâ, ac diſcretione, quàm ætate noſtrâ ullam fuiſſe conſtiterit. Spatio 36. annorum multa cum illa tractavi negotia, tam de rebus ſpiritualibus, quàm de ſpectantibus ad regimen, publicis ac domeſticis: & ſemper adverti admirabilem fuiſſe verborum ipſius prudentiam, ac pondus, ab eáque omnia accuratè expenſa, & animadverſa. Præcavebat incommoda, ſuggerebat modos pervincendarum difficultatum, ità ut ſatisfieret obligationibus, debitúſque cuivis rei ac perſonæ reſervaretur locus.

II. Et quamvis verum ſit in iſtis materijs notatam eſſe in hac Virgine gratiam & lumen divinum, quod ipſi pro illis largiebatur DEUS, atque pro exequendis prudenter actionibus, tam experimentalibus & practicis, quàm ſpeculativis & intellectualibus (nulla ſiquidem naturalis habitudo videtur potuiſſe ſufficere illis tam ſecuro & præclaro conſilio tranſigendis) aliquando tamen ingens apparebat capacitas, & advertebantur excellentia naturæ dona, quæ ei DEUS contulerat: ideóque Pater ipſius (Vir tam prudens, tam doctus & ſanctus) illi adhuc Juvenculæ commiſit externum domûs ſuæ regimen; conſtátque mihi ipſum in rebus alicujus momenti expetiviſſe ejus ſententiam, quàm illa expromebat convenientiſſimam. Colligitur etiam ſingularis ejuſdem habilitas ex labore manuum, quandoquidem agere poterat Magiſtram fœminarum, in quibuslibet operibus lini, ſerici, fimbriarum, & aliarum muliebrium artium. Omnia ſciebat conficere, & intelligebat omnia eminenter. Hæc P. Andreas.

III.

III. Ex iſta naturali prudentia, cœleſti auctario illuſtrata ortum habuit ingens accuratio, quâ Virgines à DEO ad ſuum Convictum pertractas, ipſa ſecuriſſimis vijs perducebat ad ſtatum perfectionis: quæ jam in diverſis ſacris Conventibus, ubi vivunt, agunt ſpiritûs Magiſtras.

Mater Maria de Sacramento jurat ſequentia. Occurrentibus occaſionibus loquebatur juxta cujuſque captum pro animæ commodo, & bona negotiorum expeditione. Nullum proferebat verbum inane, omnia enim erant admodum ſolida, & quæ magis ab ijs probabantur, qui eam meliùs percipiebant. Licèt verò reſponſa ipſius eſſent pondere ſingularia; modus nihilominus, quo illa dabat, erat vulgaris. Hæc tamen conſilia ijs ſolùm ſuppeditabat, qui ea ab ipſa petebant: alioquin enim tam ſimpliciter loquebatur, quàm ego & quivis alius loqui poteſt. Si illi aliqua ex domeſticis inter converſandum dicebat: Domina, tali ego dixi, & ſvaſi hoc & illud; reſpondebat nobis: Meliùs eſſe exiſtimo tacere, nolite vos in id ingerere, quia fœminæ communiter non ſumus aptæ pro dandis conſilijs; ſuſcipiamus, quæ nobis dantur.

IV. Talis erat illius propenſio: neque ipſa aliter faciebat, niſi à DEO impelleretur ad reſpondendum ijs, quæ illi conſilij causâ proponebantur, idque præmiſſâ magnâ conſideratione. Oſtendebat naturam egregiam, docilem, pacatam, & conſideratam, quam illi DEUS tam excellentem dederat, ut dicere ſoleremus, quòd etiam naturalibus ipſius actionibus Divina Majeſtas aliquid ſupernaturale adjicere videretur, ſiquidem inter tot cruciatus, ac tales occupationes, quibus diſtinebatur ſcribendo & juvando proximos, ut nec inter diu, neq; noctu quieſceret, animum etiam minutiſſimis rebus domeſticit applicabat, interrogando de ijs, & omnes præviâ ſuâ directione diſponendo, acſi illas videret, ac domum obambularet.

V. Specialem verò rerum ſpiritualium, & ſingularum per-

ſonarum ſeorſim gerebat curam: diſtribuebat dies, quibus unaquæque ſacram perageret exomologeſim, ut eam aliæ his, aliæ illis diebus adirent. Præmonebat nos antecedente veſpere, quibus eſſet exeundum, aut manendum domi, omnes liberando curâ, dum ipſa ſola ſolicitaretur. Videbatur Contubernalibus ſuis tam puellis, quàm ætate provectioribus infundere morum compoſitionem, modeſtiam, & gravitatem, ut eis viſis etiam ignoti dicerent: procul dubio iſtæ ibi ſunt ex familia Dominæ Marinæ: & aliæ contremiſcerent præ reverentia, quâ eas reverebantur: omnibus tamen erant ſpirituali ſolatio, eò quòd illarum ſermones eſſent mirabiles ac doctrinales.

VI. Domina Angela de Oſorio inter alia ſic ait: Nullam unquam in illa animadverti actionem, quæ peccati venialis poſſet inſimulari: & quanquam ab ea viderim increpari, ac reprehendi aliquas domeſticas, non faciebat id tamen, niſi exigente neceſſitate, & ad majorem noſtrum profectum moderatè & prudenter, ſolicita de omnibus domeſticis rebus parvis & magnis, acſi unicè ſingulis eſſet intenta. Reddebat ſe amabilem unáque vehementiâ ſuarum correptionum formidabilem. Omnes majorem Conſolationem non habebamus, quàm ſi illi inſerviremus, ſempérque maneremus in ipſius cubiculo, aſſiſtendo ipſi; & propterea quodammodo certabamus, quæ noſtrûm minùs dormiret, ut ei adeſſemus in illius doloribus, ſemper namque rara erat, & extraordinaria ipſius manſvetudo, ſvavitas, & agendi gratia.

VII. Mater Mariana de Chriſto ſic jurat: Semper in hac Ven. Domina talem vidi puritatem, gravitatem & modeſtiam, ut mirarer, dicerémque in animo meo; non eſt poſſibile, ut iſta ſit Mulier: eſt Angelus. Et certò ſcio ipſam Angeli ſpeciem præſetuliſſe, tum majeſtate & indole, ac puritate, tum etiam affabilitate, & candore, quo ſuas ſocias alloquebatur. Nunquam illam conſpexi iratam, licèt notarem quaſdam indignationis occa-

occasiones; neque aliquid dicentem aut agentem, quo nos audientes turbaremur. Reprehendebat nos solo aspectu, & iste sufficiebat, quia ipsi DEUS ejusmodi contulit gratiam, ut penetraret nostra corda, & pudefieremus, eóque magis miraremur illius patientiam ac discretionem. Nunquam aliquid recensebat, quod non faceret ad plenam nostram instructionem, nostrúmque exemplum: dirigebat sermonem ad illam, quæ præ cæteris indigebat admonitione, cum magna tamen dissimulatione, ut ipsi id dictum à DEO fuisse videretur.

VIII. Non patiebatur ullum verbum proferri, quod non esset bonum & necessarium; quod tamen insuper oportebat etiam esse valde purum: dicta verò ab illa ipsa erant purissima, ut & purissima intentio, quod quidem nobis semper ostendebat, nósque operibus & verbis docebat. Dederat illi DEUS præclarissimum intellectum, sicut semper ex omnibus, quæ agebat, collegi, ac talem memoriam, ut si necesse foret, multa exponeret, quæ nobis convenirent ex Scriptura Sacra, & multos Psalmos nullo ad manus sumpto libro; id enim non poterat ampliùs facere, propter magnam suam debilitatem. Interdum jubebat nos omnes coram se comparere, & unam aliquamdiu legere: ex qua spirituali lectione sumebat, quod nobis deinde ab ipsa dicebatur, & singulis erat magis accomodatum, juxta cujuslibet indigentiam: Credo autem illam meliùs scivisse, qualis singularum status esset, quàm nos ipsæ, quæ ea instructione egebamus.

IX. Loquebatur cum tanta Majestate, ut DEUS per os illius loqui videretur, & intra ipsius animam existere: alioquin enim effectus secuti viderentur esse impossibiles, cùm plerumq; appareret claré ipsam edoceri à DEO, quale singulis deberet suggerere medium, pro uniuscujusque necessitate, ità ut nos redderet contentas & pacatas, nobisque eximeret scrupulos, in quibus Confessarij nostri vix reperiebant, quo nos solarentur.

Illustrissima Domina Elisabetha de Silva Marchionissa de Monte Allegre dicit: In honore deferendo ijs, à quibus visitabatur, erat modestissima, & omnibus grata, gravis in conformatione vultûs, & in suis verbis ac operibus accuratissima. Omnes, qui cum illa egerunt, agnoverunt, uti & ego, magnam prudentiam in consilijs, quæ dabat. Nemo enim aliquod petijt, ac verè est executus, qui erraret, & quidem in quibusvis materijs. Atque ista consilia adeò erant naturæ rerum accomodata, ut semetipsa approbarent; quòd proprijs didici experientijs, ac aliorum, qui per litteras & oretenus uti ipsius favore voluerunt.

X. Domina Magdalena de Cisneros jurat sequentia: Erat omnis expers fictionis, & candidissima. Quod attinet ad ipsius socias, quæ fuerunt multæ & complures ex ijs juvenculæ, nunquam ab ijs audivi, quòd redoleret levitatem. Semper optimæ fuerunt famæ, & multæ sunt factæ Moniales, in quo statu optimum præbent exemplum, ut abundè appareat, quale in domo sanctæ suæ Dominæ lac suxerint. Illas, quæ alium iniverunt statum, vidi optimè se gerentes, & secundùm instructionem, quam hauserunt. Omnes, quæ ipsi convivebant, vidi frequentantes Sacramenta, & perseveranter assiduas in audiendis concionibus. Scio quoque hanc DEI Servam cum magna solicitudine ac vigilantia hujus rei curam hâbuisse.

XI. Specialiter in domo ipsius novi Marinam Hernandez rari exempli & sanctitatis: quæ cùm sufficientes possideret facultates ad vitam juxta suum statum transigendam, omnia deseruit, ut illius frueretur Societate, ipsique cohabitaret, instar ancillæ, eò quòd hujus Dominæ æstimaret sanctitatem, cui ob Sanctissimæ DEI Genitricis honorem, suam navabat operam, atq; ut vitam suam tam sanctæ Matronæ impenderet obsequijs, & cum illa conversando sese in virtute perficeret, ad quam omni studio aspirabat: & sic in dictæ Sanctæ consortio cum magnæ san-

sanctitatis opinione vivere desijt. Hæc de consummata Prudentia admirandæ hujus Virginis, quam DEUS in humili abstrusi cubiculi angulo constituerat, veluti cœleste lumen, tanquam sacrum sæculi nostri oraculum.

CAPUT II.

Spiritus Prophetiæ Ven. Virginis Marinæ.

I.

DUm Societas JESU filiali affectu optaret videre honoribus ab Ecclesia auctum magnum suum Patrem, & Patriarcham S. IGNATIUM, rogatâ Ven. Marina à Patribus, qui tum cum illa agebant, negotium hoc singulariter commendavit Divinæ Majestati, & Divini Oraculi percepto lumine asseverantissimè dixit suis Confessarijs; nec Papa, qui nunc vivit, neque is, qui illum sequetur modico victurus tempore, sed post hos duos tertius Beatum pronunciabit S. P. IGNATIUM. Hoc subitò fuit per totam Provinciam Castellæ divulgatum, & P. Michaël de Orenia jurat, se id, cùm juvenis vacaret studijs, audivisse à senibus Patribus, semperque curiosè observavisse, an esset implendum: ac demum suis vidisse oculis, quòd ità prorsus evenerit. Qui enim tum vivebat, erat CLEMENS VIII, quem immediatè secutus est LEO XI, cujus regimen fuit paucorum dierum; & huic successit PAULUS V, qui Beatorum numero accensuit S. Patriarcham. Idem jurat P. Ferdinandus de Espinosa. Idem P. F. Andreas de Ponte, qui addit etiam sibi, priusquam S. IGNATIUS in Album Beatorum referreretur, ab ea aliquoties dictum, id esse certum. Addebat autem se hoc visuram, antequam à DEO ex hoc mundo auferreretur.

II. Dum P. Christophorus de Ribera Præpositus Provincialis visitaret nostrum Collegium Oviedi An. 1599. significavit ipsi Veneranda Virgo per suum Confessarium, ut indè quan-

quantocyus discederet, alioquin peste corripiendum & moriturum; executus est id Pater Provincialis, atque paulò pòst oppidum illud invasit pestis.

P. Michaëli de Orenia dixit Ven. Marina quandam personam brevì morituram, ideo, quòd DEUS irasceretur cuidam alteri, sangvine proximè junctæ huic, quæ erat moritura. Respondit Pater, quòd DEUS sit misericors, sciatque sententiam pœnæ suspendere, si emendaretur vita illius, qui esset reus. Verum reddidit Virgo, hâc tamen vice, mandabitur executioni, vidi enim à DEO intentari ictum lethalem. Distabat illa persona multis leucis, sed evidenter deprehensum est, eandem postridie incidisse in morbum, & eâ ipsâ septimanâ obijsse.

III. Quidam Religiosus Dominicanus valdè probus, sancto zelo voluit proficisci in Indias ad opem animarum: Sancta, à qua petijt consilium, dissvasit, eò quòd zelus illius non esset satis prudens: erat enim naturæ austeræ, minùs idoneus ad agendum cum hominibus fragilibus, & recèns conversis. Noluit obtemperare. Ven. Virgo Patri F. Andreæ de Ponte uno anno antè prænunciavit ejus mortem, prout evenit; navim enim conscensurus incidit in febrem tertianam, cujus tertio paroxysmo est extinctus; priùs tamen à Socijs monitus, ut peteret à DEO veniam, quòd famulæ ipsius morem non gessisset.

IV. Idem P. Fr. Andreas oculatus testis jurat sequentia: Habebat Domina Marina sororem nomine Julianam, tam anxiæ conscientiæ, ut nemo Vallisoleti Sacramentalem ipsius Confessionem vellet excipere. Incipiebat jam delirare. Et spatio 46. annorum, quibus Animarum gero curam, nihil in hoc genere tam terribile, aut simile sum expertus. Commendabatur impensè DEO à Domina Marina; solabantur ipsam Viri doctissimi, & nihil sufficiebat. Tandem autem, & quidem disertissimis verbis dixit Ven. Virgo prædictæ sorori, ut haberet patientiam; non enim expedire ipsius animæ, ut liberetur à scru-

ſcrupulis, quoad viveret: ſub horam tamen mortis, & in Confeſſione, quâ tunc animam eſſet expiatura, reſtituendam à DEO quieti. Ità factum eſt. Vocatus fui ad commodandas confitenti aures, non ſinè ingenti meo timore, & miratus ſum opera DEI: confeſſa enim eſt cum magna pace ac tranquillitate, ſuſcepitque omnia Sacramenta, acſi nunquam ſcrupulis fuiſſet exagitata.

V. Addit prænominatus P. F. Andreas: Certò mihi conſtat, quia id ſæpe ſum expertus quaſdam perſonas, eò quòd non acceptaverint ipſius admonitiones, neque ſecutæ fuerint conſilia, gravibus à DEO & peracerbis fuiſſe caſtigatas pœnis temporalibus. Manifeſtabat mihi Virgo aliquot menſibus antè, diſtinctéque exprimebat pœnam, quàm DEUS iſtis comminaretur. Ego de ea illas perſonas præmonebam; cúmque manerent obſtinatæ, ità planè puniebantur, ac dixerat. Vice versâ ijs, qui ſanctis ipſius conſilijs obtemperabant, vidi proſperè negotia ceſſiſſe: cujus rei longam ex multis eventibus habeo experientiam.

VI. Quâdam vice DEUS huic Virgini dixit: Veni citò mecum, veni mecum, & oſtendam tibi, quid agatur. Duxit illam nullâ ei conceſsâ morâ ad locum procul diſtantem Valliſoleto, oſtendítque ipſi quoddam opus, & occupationem nonnullorum, quos P. Orenia noverat. Notavit Virgo locum, actiones, vultus & conſtitutionem omnium, retulítque univerſa, dicto Patri Orenia ſuo Confeſſario, qui unum illorum in bonum ipſius de hoc facto admonuit per Epiſtolam, & quantopere DEUS eſſet offenſus, exponendo ſingillatim, quæcunq; fuerant acta. Reſpondit ille, fatendo ità omnino eſſe, vehementer obſtupeſcens, rem tam remotam adeóque ſecretam fuiſſe tam celeriter reſcitam; & quidem cum tam clara omnium circumſtantiarum notitia.

VII. Miſſus erat Madrito ſpecialis curſor, qui ſignificaret

Regis filiam ægrotare, ut illam Venerabilis Marina commendaret DEO. Rogata est à suo Confessario, ut id faceret: ipsa modicum hærens, seque internè colligens, respondit: Filia Regis ex hoc morbo morietur; quod intrà paucos dies evenit.

VIII. Comparuit Ven. Virgini Sanctus Patriarcha cujusdam Ordinis Religiosi, comitantibus ipsum nonnullis SS. Patriarchis aliarum Religionum, dixítque illi: Vides meos Filios conventuros ad electionem novi Prælati, à quo regantur, ac tractaturos negotia suæ congregationis. Rogo te, ut illos commendes DEO. Ipsa tergiversabatur dicens: se parùm posse præstare, facturam tamen, quòd ab eo juberetur, ut illi obediat. Sed id meliùs ab ipso fieri posse, qui frueretur DEO. Ità faciam, respondit Sanctus: verùm etiam tu preces tuas offer, cùm DEUS magnifaciat preces justorum degentium in terra. Scias quoque me adfuturum Capitulo, cum his Sanctis Patriarchis, quos hìc vides. Sic Sancti valedixerunt Virgini, & illa, quemadmodum animam suam pandere consveverat, narravit visionem Confessario, cui post paucos dies dixit.

IX. Fuit hìc heri talis Religiosus (erat Vir magnæ in suo Ordine authoritatis, qui ibi vivebat) dixítque mihi, Superiorem, qui se abdicaturus erat officio, ac duos trésve alios ex Capitularibus brevì adventuros, & ab his videri adferendam jam peractam electionem; innuens, ipsos venire, postquam jam inter sese concluserunt, quem essent electuri, & qualiter pro suo beneplacito distributuri officia. Adfuit denique designatum tempus; ingressi sunt stato die Capitulares locum suæ electionis, & cùm illam postridie ipsius Confessarius adivisset, ut exciperet ejus Confessionem, illíque celebraret Missam, dixit ipsi Venerabilis Marina: Herì jussu DEI adfui Capitulo illorum Religiosorum, & vidi, postquam consedissent, Sanctum eorundem Patriarcham ingressum fuisse, cum alijs Sanctis, quos tuæ Paternitati nominavi; atque severo vultu ad quendam ex

ijs

ijs Religiosis considentibus accessisse, arreptóque ejusdem habitu, illum magno impetu & vi extrusisse ex conclavi, ità ut ibi ultrà non comparuerit.

X. Accessit deinde ad alium, quem apprehendit, ut & ipsum ejiceret; verùm is aliquantùm restitit, & allegavit quasdam causas, quæ tamen illi nihil profuerunt, nec à Sancto sunt approbatæ, ideóque fuit ex conclavi ejectus, sicut præcedens. Postea S. Patriarcha arripuit alium, qui magis repugnavit, attulitque rationes, quibus quidem S. Patriarcha sibi minimè satisfactum esse ostendit, nihilominus ipsum reliquit, quasi alio tempore promeritam pœnam luiturum. Hoc Sancta suo Confessario recensuit. Ille observavit, quid esset eventurum. Accidit verò, ut intrà octo circiter dies primus illorum fuerit mortuus; alter paulò pòst, uterque enim obijt durante Capitulo. Tertius autem graviter ægrotavit, & quamvis convaluerit; sæpe dixit, se non victurum usque ad finem sui officij, sicut factum est, quia citò è vita migravit.

XI. Multis diebus ante exortam quandam persecutionem Societatis JESU Venerabilis Marina monuit suum Confessarium, magno dæmonem flagrare desiderio, ut nos gravi afficiat molestiâ; felicem tamen fore exitum. Omnia sic evenerunt, ut obstupesceremus, atque Divinam Protectionem grati agnosceremus.

XII. Vocavit quâdam vice Ven. Virgo ad se Dominam Cassildam de Rotulo, magnam suam benefactricem, eique tenere valedixit. Domina Cassilda domum reversa dixit, dubio procul nobis morietur Sancta, hodie enim mihi ultimùm valedixit: sed ipsamet intrà sex dies correpta morbo obijt, adjuta tum in infirmitate, tum in purgatorio precibus Ven. Marinæ; qua de re mira quædam testes jurant.

XIII. Tres Personæ præcipuæ authoritatis decreverant quidpiam facere, quod ad maximum DEI honorem existimabant

bant cessurum. Commendârunt hoc per litteras Sanctæ, quæ rescripsit rem, etsi videretur pia, non expedire, nec DEUM velle eam fieri, nec habituram bonum successum. Quia autem dictæ Personæ manum jam operi admoverant, proposuerunt Confessario rationes valde convenientes, ut Ven. Virginem induceret ad ei negotio favendum. Ipsa dictis suis firmiter inhæsit: illas verò cum destinata perficere conarentur, Divina Majestas impedivit gravissimis morbis, unde duæ sunt mortuæ, tertia diu versata in magno periculo.

XIV. Complures graves testes jurant, quòd Ven. Marina corda hominum, & occultissimas atque arcanissimas animarum necessitates penetraverit, & de earum præmonuerit remedio. Dum Mater Mariana de Christo sociam ageret hujus Venerabilis Dominæ, visitata fuit à suis Parentibus, qui deinde inviserunt etiam Dominam, adducentes unà Filiolum. Rogavit ipsam Pater, ut illum puerum commendaret DEO. Faciam id, respondit Virgo, applica ipsum studijs litterarum, ingredietur enim Ordlnem S. Dominici, eritque optimus Religiosus. Habeo, subjunxit Parens, alium aptiorem, quem tibi alio die adducam, ut ei bene preceris. Venit aliâ vice, adduxitque alterum puerum. Intuita est illum Sancta, statimque dixit: ô quam strenuus miles erit iste pusio! DEUS ipsum conservet. Ità omnia evenerunt, & pusio iste eo tempore, quo id juravit testis, gerebat in Brasilia officium Supremi Vigiliarum Præfecti.

XV. Anno 1631. Sacra Inquisitio statuerat, quandam mulierem obstinatam in suis erroribus extradere brachio seculari, ut combureretur. Venerab. Marina id resciens, ducta fuit à suis Angelis ad carcerem, ubi illam miserabilem ab octo dæmonibus circumdatam invenit, quos arreptâ scuticâ, quam ipsi dederat DEUS, expulit: atque eodem momento obstinata cæpit emolliri, imploravit misericordiam, & fassa est culpam. Tam distincta expressit Serva DEI indicia ætatis, vultûs, vestitûs,

tûs, ut quando deinde prodivit ad ferale theatrum, ipsam statim is agnoverit, cui Ven. Marina priùs narraverat, nullo penitus indicio discrepante.

XVI. P. F. Bartholomæo de Cruce Dominicano, Novitiorum Magistro, supplicanti pro quodam præclaræ indolis Novitio, qui jam decreverat deserere Religionem, Famula DEI gratiosissimè subridens respondit: noli affligi, mi Pater, quia hoc non fiet; revertere, & dic illi, ut uno saltèm die perseveret. Reversus reperit Novitium immutatum, qui se obstrinxit votis religiosis, & gratus agnovit beneficium sibi à DEO per Venerabilem Marinam præstitum, ideóque illam semper appellabat suam Matrem.

Excellentissima Domina Maria de Toledo, Ducissa de Alba interrogavit Sanctam de duabus Virginibus, quas in suo monasterio Lauræ collocare volebat. Respondit: Bene Domina, potes tali habitum Ordinis conferre, alteri verò non videtur convenire. Ducissa suscepit etiam alteram; sed illa ipsa paulò pòst deseruit habitum, & monasterium.

XVII. Cùm Domina Magdalena de Cisneros esset deposita à Medicis, Venerabilis Marina optimè id sciens, ei significavit; nè gravaretur ad se, ubi convaluerit, venire. Statim sensit se plurimùm sublevatam; brevì convaluit, visitavítque suam amicam.

Eadem jurat se ità solitàm fuisse orare: Sancte mi Angele Custos, alloquere Sanctos Angelos, qui morantur apud meam Dominam & amicam Marinam, ut ipsi dicant, quo me in hac molestia commendet DEO. Statímque solitum fuisse sibi aliquid à Ven. Virgine significari ad magnum levamen suæ afflictionis, cujus notitiam Sancta Virgo, nullâ viâ humanâ potuerit habere.

Eadem, Venerabilem Virginem aliquando invisens, dixit: Commenda me DEO, pessimè enim valeo, & videor mihi bre-

vi moritura. Subridens Ven. Marina respondit: nequaquam mea Domina, aderis enim meo Festo (ità appellabat diem sui obitus) & vesties, juvabisque componere hoc meum exanime corpus. Ità prorsus accidit, attulit interulam lineam, quâ est induta Sancta mortua, adfuitque dum ipsius corpus componeretur. Publicas ærumnas & calamitates sæpe prævidebat, ac prædicebat, ut multi spiritum ejus propheticum venerarentur.

CAPUT III.

Instructiones circa viam spiritualem, præsertim pro incipientibus.

I.

Quispiam Religiosus direxerat ad Ven. Marinam quandam Personam, ut ejus spiritum examinaret; cui ipsa sic respondit, Part. 2. lib. 2. cap. 23. Hactenus non retuli Paternitati tuæ, quæ mea fuerit sententia de Famula DEI, quam tua Paternitas ad me misit, donec expenderem casum, DEóque illum commendarem. Dico autem, mi Pater, plurimùm placuisse ipsius virtutem, probitatem & candorem, nec non ferventem ejusdem spiritum, & ardentes affectus Divini Amoris, quibus anima illius est præditâ. Quia tamen hæ spirituales materiæ sunt tam profundæ, ac difficulter penetrantur, & intelliguntur, opúsque est illas magnopere explorare, & considerare; invenio hic nonnulla laudabilia, & alia, quæ indigent ponderatione.

II. Optima siquidem & perfectissima conditio spiritûs est, quôd affectus & ferventes motus amoris DEI maneant in intimo recessu, seu suprema parte Animæ, atque ità operentur, & radices agant, ut non perstrepant, ac tumultuentur in parte ipsius inferiore, aut in sensibus externis, privando illos suis naturalibus operationibus. Si námque permittamus, ut affectus suum,

ſuum, quod ajunt, attingant ſcopum, arrogant ſibi dominium noſtræ animæ, & ejus potentiarum; cùm tamen contrarium fieri oporteat, eò quòd illis debeat dominari anima, ut meliùs exequatur, & exerceat virtutes.

III. Hæc DEI Famula, multum de eo, quod ad rem præſentem attinet, meâ opinione habet: quandoquidem ùt eſt adeò ſimplex, ſincera, & bonâ ducitur intentione, omnia amplectitur, tanquam profecta à DEO, non conſiderans, unde exteriores ij proveniant tumultus, & ſtrepitus, quos tua Paternitas in ea advertit; qua ex re ingens poteſt percipere damnum, non ſolùm quoad actiones naturales, ſed ipſum quoque ſpiritum: omnis enim naturalis paſſio, quæ deviat à regulis Prudentiæ (hæc verò eſt, quæ omnes virtutes & affectus perducit ad maturitatem) abfert perniciem & nocumentum.

IV. Frequentiſſimè nobis, Pater, accidit, quod Paternitas tua meliùs novit, ut ſpiritui, licèt ſit bonus, ſe admiſceat natura cum ſuis propenſionibus ſuum ſequens genium. Unde fit, ut niſi magna adhibeatur cura, iſte ſpiritus, tum propter novitatem, & exiguam hujuſmodi rerum experientiam, tum etiam ob grandia diaboli ſtratagemata, abducatur in errores, maliſque innitatur fundamentis.

V. Magni verò refert bene illum fundare in principio, ut evadat robuſtus, generoſus, liber, & Dominus ſuorum affectuum, ità ut in operando ac judicando poſſit eſſe ambidexter. Volo dicere: ut poſſit prodeſſe vitæ activæ, & contemplativæ. ut non inebrietur, & ſatietur modico vino Divini Amoris, verùm ſit aptus. ac animoſus ad plura & plura à DEO accipienda, quin ſtatim anima proſternatur, & fiat inſtar trunci; quâ ratione ſe deprehendit prope ad omnia eſſe inhabilem.

VI. Remedium pro conſolidandis hujuſmodi ſpiritibus eſt, quod adhibere ſolemus in fabricis, ac proinde dicimus, non exſtruitur ædificium ſolidum; quia debilia habet fundamenta; ideò-

ideóque priusquam altiùs assurgat, necesse est, ut diruatur, & nova illi bona fundamenta substruantur. Idem hîc dico: Applicemus denuo hanc famulam DEI orationi solidæ & ordinariæ, qualis docetur à Sanctis: & quando illam occupant ij vehementes affectus, à quibus extra se rapitur, reprimat ipsos, séque inde abstrahat; &, si fuerit opus, intermittat tunc orationem, conferátque se ad externa opera, charitatis, & officia humilitatis.

VII. Quamvis etiam sibi videatur esse abalienata à sensibus, & non posse resistere; perseveret, ac inferat sibi vim: plerúmque enim istæ sunt naturales fragilitates spiritûs, ubi insuper secretissimè consvevit subingredi diabolus. Quòd si hæc Famula DEI id seriò & promptè egerit, consequetur paulatim cum divina gratia, quod optat. Licèt autem ipsa, ex sua parte conatum hunc adhibere debeat pacatè ac svaviter, & confidendo in DEO, Paternitas tua nihilominus se ei exhibeat aliquantùm asperam, acsi talia, & exteriores, atque extraordinarios strepitus, parvi vel nihili faceret, adeò tamen discretè, ut illam rigor non nimiùm contristet, ac affligat: Nam in his rebus extraordinarijs crediderim non intervenire culpam, sed naturales hujus personæ defectus, quos ipsa, quia est inexperta, nescit agnoscere. Hunc in modum oportet Paternitatem tuam perseverare, in regenda ista Anima. Si enim in ea operatur DEUS, polliceor illi non perdituram propterea ipsius favores, imò cumulatiores consecuturam.

VIII. Advertendum est, si hâc industriâ utendo non obtinuerimus victoriam, quam exoptamus, atque illa in dictis externis strepitibus permanserit, existimandum esse, quòd sint permissiones DEI, & altissima ipsius judicia. Toleranda erit, & adjuvanda, sicut infirmus, qui patitur invitus. DEUS sit benedictus, juvétque nos omnes per suam misericordiam, doceat, ac illuminet, prout indigemus. DEO GRATIAS. Hactenus Epistola.

IX. Scri-

IX. Scripsit Ven. Marina similes complures epistolas ad quoddam monasterium Hispaniæ, quarum una pulcherrimis documentis plena reperitur, Parte 2. lib. 2. cap. 23. pag. 312. ubi contra modernos Quietistas concludit: Fugiat Anima, quantum ipsi fuerit possibile, extrema singularia, & nova, quæratque DEUM perfectè, sed viâ usitatâ, quam docemur à Sanctis, & ejus Ecclesia. Hac enim illum, & ipsius Veritates reperiemus. Ipse sit in æternùm benedictus, qui tantam nobis in ista sua Ecclesia & in suis Sanctis reliquit doctrinam.

X. Narraverat Venerabili Marinæ quispiam Religiosus, de quibusdam gratijs, & speciali devotione cujusdam Servæ DEI; quod cùm ipsa coram DEO expenderet, audivit à sua Majestate sequentia: Adverte Marina, cum hac & quavis alia Anima, quam in simili habeo statu, me eo modo gero, quem tibi nunc dicam. Æternâ meâ Sapientiâ cognosco ex una parte naturam, propensiones, imbecillitatem; ex altera verò bonam dispositionem talis creaturæ. Incipio igitur illam educare instar Matris ad ubera mea, sustento eam dulci lacte, gesto in meis ulnis, nè pedes ipsius cespitent: blandior illi, meque exhibeo benevolum, & omnia ad virtutem spectantia reddo facilia: atque ità progreditur sinè defatigatione, acsi portaretur lecticâ, omnem in me collocans suam confidentiam. Taliter ipsam educo, donec videam esse solidatam, ac radicatam in meo amore. Tunc illam sensim sinè sensu incipio ablactare, & evolvere è fascijs, ut jam comedat panem cum crusta, suisque incedat pedibus, tametsi eam manu ducam, non absque sustentaculo ambulatorio, ac dispono, ut se in tentatione difficultatum, afflictionum, obscuritatum, ac meæ absentiæ, sic sciat gerere, ut non exorbitet aut perdat firmam in me fiduciam, audendo aliquid, quasi proprijs viribus, & laborando; me ipsi præbente auxilium, quod ei non potest deesse, quando teruncium sui liberi arbitrij dirigit ad omnia meæ voluntati, mearumque legam observationi con-

formia, non volendo, vel desiderando solatia, quamvis à me profecta.

XI. Postquam Anima jam ad hunc statum pervenit, incipio illam aliter tractare, utpote quæ talem à me acceperit virtutem, & generositatem, ut jam æquis possit luctari viribus cum suis hostibus, quantumvis fortibus, & ferocibas, eósque (referendo de ipsis felicem victoriam) subjugare, sibi subjicere, & stupenda ac mira in obsequium mei operari. Quia námque me sibi scivit devincire, bene respondendo meis vocationibus, adeò, ut se mihi totam submittat ad exercenda opera charitatis, & procurandum bonum Animarum; ideò constituit se quodammodo murum fortem inter me & meum populum, ut avertat indignationem & pœnas à mea Justitia irrogandas, dicendo mihi pari demissione, ac animositate: hoc non fiat, mi DEUS, non fiat: mihi sunt priùs infligendi ictus tuæ iræ, quàm populo tuo Christiano. Dum pertingit ad istum statum, laudat me, & benedicit ex corde, contestando seriò meam esse, & non suam omnem virtutem, & generositatem, quam ipsi largior, ex infinita mea bonitate. Agnoscit & absq; omni dubio credit, quod ex se ipsa non sit ad quidquam utilis, ac idonea, quódque illius miseria, fragilitas, inopia, & mala dispositio ad accipienda mea dona, sit quasi infinita, atque puteus carens fundo, ubi nunquam possit figere pedem. Hunc in modum, & in hoc statu ascendit gradatim, & crescit in admirandis virtutibus, donec perveniat ad culmen altissimæ perfectionis, & amoris divini in eo gradu, quem ipsi à mea æternitate decrevi.

XII. Tales sunt, Marina, viæ & status, quibus communiter duco Animas, donec eas constituam in apice perfectionis, si me nôrunt sequi, séque mihi integrè offerre, ità ut nè minimam retineant atomum propriæ voluntatis; semper adhærentes perfectæ observationi non modo meorum præceptorum, sed omnium quoq; Evangelicorum meorum Consiliorum.

Quan-

Quanquam verò hæ ſint meæ viæ conſvetæ in perducendis Animabus ad dictam perfectionem; pro mea nihilominus ſumma Sapientia, multas habeo extraordinarias, tametſi omnes ab hac regula (nullam autem extra ipſam) dependenter, quòd in omnibus, & per omnia debeant deſerere in modicis & magnis ſuam propriam voluntatem, ut meam perfectiſſimè ſequantur. Nunc vale.

CAPUT IV.

Sanctus hujus Virginis Timor, & Propenſio ad viam ordinariam.

I.

INſinuatum eſt capite præcedenti, quantum diſtaret ſpiritus Venerabilis Marinæ à ſpiritu hæretico nupernorum Quietiſtarum. Hoc ut pateat magis, ſubjicio caput ſequens. Etſi autem per utramque partem Vitæ hujus Mirabilis Virginis innumera quaſi per omnia folia ſint exempla Timoris, & cautelæ, quâ in tam extraordinaria via procedebat, ſemper quantum erat ex ſe, eam fugiens, & ſinè ſingularitatibus cupiens DEO ſua exhibere obſequia (id quod eſt unum è præcipuis ſignis verarum revelationum) pulcherrima & relatu digniſſima mihi videntur, quæ P. Andreas Pintus Ramirez habet cap. 42. lib. 2. ſequentia.

II. Quiſquis hanc hiſtoriam attentè ab ejus initio legerit, obſervaverit quoque, pauciſſima eſſe folia, in quibus Venerabilis Marina non meminerit timorum, quibus ſemper angebatur, utrùm gratiæ, quas conſequebatur, eſſent profectæ à DEO, atque an aſſequeretur divinam voluntatem; qui omnes timores oriebantur, ex ijs duabus præcipuis virtutibus, quas plurimùm vegetas, & radicatas, in puriſſimo ſuo pectore habebat: profunda nempe Humilitate, quâ ſe quocunque favore judicabat

indignam, & ardenti Charitate, quâ summè optabat unicum beneplacitum & gloriam sui DEI. Licèt verò illam Divina Majestas frequenter juberet esse securam, ac durante eo actuali lumine, omne nostra Virgo deponeret dubium, essétque Anima ipsius serenissima: nihilominus disparentibus ijs radijs, timores revertebantur vehementiores: tam longè enim ab amantissimo DEO nostro aberat, ut ipsam simul ac semel ab illis liberaret, ut potiùs, tanquam id summi ad majorem ipsius spiritûs progressum foret momenti, eosdem permiserit profundiores agere radices. Et quod est notabilius (prout multis antea locis scripsimus) hoc illi signum, se esse, qui ipsam regeret, ac alloqueretur, dabat, quòd isto sancto timore, & circumspectâ cautela nunquam esset caritura.

III. Ne autem ullus miretur, cùm perfecta charitas expellat omnem timorem, illum tamen per totam vitam duravisse in Virgine, quæ fuit purissimum quoddam probatissimorum DEI amorum archivum, proderit scire, quòd etiamsi perfecta charitas, omni se expoliet timore servili, ità nihilominus amplectatur timorem filialem, ut illa nihilo evadat auctior, nisi eam iste pariter comitetur. Et quia istud est fundamentum quodammodo omnium, quæ nostra Virgo in sua vita refert, judicavi non solùm lecturis esse utile, verùm etiam pro tam admiranda historia necessarium, breviter hîc perstringere, quæ Sacer Textus, & Sancti Patres dixerunt de hoc filiali Timore istius meticulosæ Reverentiæ, quæ inseparabiliter unitur Amori, unde agnoscatur, quàm securæ fuerint viæ, quibus DEUS hanc suam Sponsam duxit.

IV. Hic igitur castus Timor est ille, à quo Sancti ajunt, nihil admitti reliquiarum ullius rei terrenæ; Timor sanctus, qui à Davide celebratur tanquam manens in sæcula sæculorum, eò quód, licèt non quoad omnes, secundùm aliquos tamen suos effectus, duraturus sit per totam æternitatem in Animabus beatis.

tis. Isto, in quantum est amabilissima Reverentia, & omnimoda resignatio in subjectionem, quam creatura debet suo Creatori, dicuntur timere Seraphini, ac tremere coram Divina Majestate. Non est amor, quia necdum rem amatam securè possidet, multum nihilominus habet amoris, quia totus occupatur veneratione & honore objecti amati. Atque sicut hic interdum surculus, qui ramo cujuspiam stipitis inseritur, producit fructus diversos à cæteris, qui in eadem arbore crescunt, sed ità ut semper sapiat radicem, cui fuit insertus: ità regio charitatis trunco videntur inseri, nescio quales, timoris affectus, qui colore, ut sic dicamus, odore & sapore semper demonstrant generosiorem se habere originem, solúmque amorem esse radicem, ex qua progignuntur.

V. Metuunt Animæ sanctiores, quamdiu degunt in hoc exilio, non pœnam quam possint incurrere: sed culpam cujus exponi possint periculo: non coërcet illas timor supplicij: sed odium sanctum peccati. Noverunt, se in eo adhuc versari statu, ut possint offendere suum DEUM, timéntque etiam minimam umbram tam terribilis executionis: & dum cognoscunt amabilitatem sui Domini, atque fragilitatem nostræ naturæ, oritur indè etiam tam peregrinæ speciei affectus, ùt, cùm is respicit DEUM, totus videatur Amor, totúsque appareat esse Timor, quando nostram respicit imbecillitatem. Exardescit, lucet, anhelat (quæ omnes sunt qualitates amoris) dum considerat summam bonitatem, à qua abripitur: congelascit, obscuratur, & reformidat (quæ sunt naturalia accidentia timoris) dum expendit lubricitatem nostræ conditionis. Sufficeret ad privandos vitâ justos, & perfectos, afflictio ex eo proveniens, atque id quod metuunt de se ipsis, nisi ad illos in confidentia confirmandos, superesset vigor, quo se experiuntur confortari à DEO.

VI. Non metuunt perdere bona æterna, quæ ipsis ab hoc

Domino promittuntur, quia unicum suum Bonum arbitrantur esse ipsummet DEUM: sperant præmia, non tamen ambiunt: æquè illa conarentur promereri, tametsi scirent minimè sibi esse conferenda. Volunt gloriam cœlestem, ut in ipsis augeatur Gloria DEI, tantúmque moverunt timere, nè illam non obtineant: quia illis constat, eam à DEO libenter donari: cognoscunt (ac propterea illum magis amant) nihil aliud à suo DEO spectari, quàm ipsarum commoda propria, metuúntque solummodo nihil sibi ipsis lucrari, útne earum dilectus ullam patiatur jacturam. Hoc duntaxat timent, nè non obtineant, & non consequantur, magis ac magis ipsum stringendo, nexúmque illius unionis, quâ unus efficiantur spiritus cum suo DEO: & quia unio est duorum extremorum, ardentissimè desiderant, ut quantùm fieri potest, illa tam stricta unio convertatur in unitatem, fiátque non tam totum ex partibus, quàm carens partibus totum simplicissimum. Timent nè in hac arctissima unione admisceatur vel minima atomus, quæ sit minùs generosa: quia cavent instar imperfectionis, appetitum, ut DEUS sese ijs uniat, & non potiùs ut ipsæ uniantur DEO: atque licèt non possint non possidere, dum possidentur, sciunt suo affectu collimare ad meliorem scopum, volúntque tantùm esse possessio Dilecti, non verò ut ipsarum possessio sit Dilectus.

VII. Quomodo vocari potest timor, qui tot purissimi amoris est præditus perfectionibus? ipse est absque dubio amor timens, timor amans, qui se sponte subjicit: trepidat sinè violentia: patitur sinè coactione, & absque metu contremiscit. Hujus generis timores erant Venerabilis Marinæ, quæ non formidabat abjectè, nè sibi seu infligerentur pœnæ, seu negarentur præmia, sed nè in accuratissimo obsequio sui Domini, in quærenda purissima gloria sui DEI quidpiam admisceretur, quô sinceritas ipsius affectuum vel minimùm obscuraretur. Progrediamur jam in recensendis, quæ ipsa de istis suis scribit timoribus,

bus, & modo, quô ipsam DEUS reddebat securam, quin tamen eosdem illi unquam penitus auferret. In charta quadam anni sexcentesimi vigesimi quinti sic ait:

VIII. Mea Anima aliquando manè eliciebat intensos, & vehementes affectus, dum essem constituta coram meo Domino, quibus Divinam Majestatem rogabam, ut mihi ex sua Bonitate largiretur lumen, pro cognoscendis suis veritatibus, meque dirigeret, ac illuminaret in tam extraordinarijs vijs, quàm sunt istæ, quibus me ducere est dignatus. Ut verò hanc obtinerem gratiam, obtuli eidem magno DEO meipsam, meum cor, ac vitam, & quidquid possidebam, atque acceperam ab immensa illius liberalitate: offerebam me ei in mancipium ipsius, & proponebam sincerissimè vitæ meæ emendationem. Interea oriebatur in me quædam confidentia, me obtenturam, quod ab eo petebam. Dum sic essem comparata, audivi Dominum mihi dicentem: Quid habes, Anima? quid sentis? cur conquereris? quæ est causa tuorum timorum? Adverte, certum esse, te bene progredi, & esse impossibile, ut possis errare in via, quâ te ego duco.

IX. Intuebatur mea Anima fixissimè Dominum, quasi attentè auscultans, dum id diceret, qui cum summo amore, & affabilitate continuò subjunxit: Quid aspicis, Anima? quid aspicis? Ego sum, qui tecum loquor; ego sum tuus DEUS & Dominus, habe in me solatium, & sustine crucem tuorum timorum: Sanctus namque Timor meus manet in æternum, quoad suum fructum, & sufficiat tibi Gratia mea, quemadmodum dixi Paulo, ac progredere viâ rectâ meæ voluntatis. Atque si tibi, propter tuos timores, facere videris cum quapiam obscuritate, quod à me juberis, ideóq; affligi in tuis gravibus negotijs, alienis à natura, & propensione, quam tibi dedi, vellésque potiùs cessare, & quiescere, si ego vellem, téque non inflammarem Charitate, erga me & proximum; verè dico tibi, neminem casurum,

ſurum, neque ceſpitaturum, qui portatur in brachijs à forti; & fertur à lumine; nec erraturum, qui arduâ viâ tótque habente anfractus, non ambulabit feſtinanter, & inconſideratè, ſeque comitem adjunxerit ſancto Timori, cujus eſt conſiderare, ubi primùm unus, ac deinde alter pes figatur. Anima, judicia mea ſunt occultiſſima, atque altiſſima, & duco, ac dirigo Animas diverſimodè, & per diverſos ſtatus: tu autem in ijs, quibus te duco, & in meo ſancto Timore, confide meæ Bonitati & Miſericordiæ, atque cum Abrahamo ſpera in me contra ſpem, & exequere, quod tibi mando. Noli dicere, non oportet me quidquam loqui: quia loquéris, quidquid tibi injunxero: Ego enim ero tuus Dux, ac tua Lux, ego tecum manebo. Quod ſi neceſſe fuerit, portabo te, apprehenſam uno capillo, ut feras cibum degenti in lacu Leonum.

X. Conſidera, quomodo mea Juſtitia, ob cauſas, quæ illi præbentur, feſtinet ad vindictam, & mea Miſericordia ipſam cohibeat, propter hominem quem redemit: ità ſuo modo agitur tecum, & tuus ſpiritus videns malam quorundam diſpoſitionem, dicit intrà ſe: Nolo quidquam loqui. Subitò autem zelus Gloriæ DEI, & ingens deſiderium Animarum ſalutis te compellit, ut rurſum dicas: Debeo loqui, quod intelligo ex meo DEO. Anima, omnia iſta injunguntur, ut negotium non evadat deterius, & nè cogar ad puniendum: contineo me, & progredior pedetentim, etiámque te cohibeo, uſque dum jam loqui oporteat. Sic fit, Anima, tametſi tu id non percipias, nequè ego tibi omnia manifeſtem, quia ſic fieri convenit. Hæc omnia evenerunt meæ Animæ agenti cum ſuo DEO in iſta communicatione, qui propter impenetrabilia & altiſſima ſua judicia, ſit millies benedictus.

Amen.

CAPUT

CAPUT V.

De discernendo bono spiritu, à spiritu proprio.

I.

SApientissimam admonitionem, & doctrinam tradit Ven: Domina Marina Part. 2. lib. 2. c. 35. de modo agnoscendi plenitudinem divinorum alloquiorum, quæ ibi possunt videri: atque de modo spirituum DEI à spiritu proprio discernendi, sic scribens:

Dum aliquando præ vehementia meorum affectuum, prorupissem in quandam interrogationem, quam proposui DEO, intenta ordinariæ, sed ferventi orationi, DEUS mihi gravissimè respondit, quod conveniebat. Mea Anima audivit responsum, & subitò tanquam confusa considerando, animóque revolvendo modum illius divinæ allocutionis, & communicationis, dicebam intrà me: Bone DEUS! quomodo, & unde agnosco hanc esse DEI loquelam? & respondebam mihi ipsi: Sinè dubio id eo modo accidit, quo filius agnoscit vocem, & loquelam sui Patris, licèt illum non videat, & si quis alius loquatur, agnoscit ipsum non esse suum Patrem: atque sicut amicus agnoscit se loqui cum alio amico, cum quo communiter conversatur, etiam dum sunt in tenebris. Hoc dicebam, licèt intelligerem, multas alias, longè altiores adesse rationes, probantes certitudinem hujus cognitionis. Convertit se mea Anima deinde ad DEUM, dicendo illi: Mi DEUS, doce me, per temetipsum te obsecro, agnoscere loquelam proprij spiritûs: & respondit mihi Dominus: Bene est, nunene primùm hac de re quæris? Satis apparet, quòd illum raro, aut quasi nunquam audias. Et intuens meum Sanctum Angelum Custodem, dixit ipsi: Doce, mi Angele, hanc Animam, pro ipsius solatio, id de quo quærit. Tum Sanctus Angelus ad me conversus, mihi dixit: Adverte Anima,

loquela proprij spiritûs, non producit effectus luminis, & cognitionis eorum, quæ exponit, aut exhibet Animæ, quos producunt divina Domini verba, & cœlestium ipsius Ministrorum; neque adferunt eam efficaciam, acsi intimo cordi profundè insiderent; & quamvis loquela sit bona ac vera, attamen non ità fixè inhæret, sicut loquela DEI: præterea plerumque verba spiritûs proprij, etiam dum est maximè illuminatus & fervens, sunt sicut flatus venti, non relinquentes vestigium, quà pertransierunt.

II. Mea Anima audivit cum magno solatio hæc sui Sancti Angeli dicta, eadémque expendens statim dixit: Bene habet, mi Domine Angele, optimè intelligo. Verùm quod mihi nunc loqueris, & edisseris, videtur resonare intrà meum spiritum, acsi ipse ità secum ratiocinaretur. Anima meticulosa, respondit tum meus Dominus Angelus, quomodo potes inficiari, me esse, qui te alloquor, cùm me videas, ac me audias; atque dicere, aut velle intelligere contrarium? nónne est verum, sicut ipsamet scis, tametsi claudere velis oculos? Quod autem nunc observas, videri nempe tibi, dum ego te alloquor, mea verba resonuisse intrà te, & prolata fuisse à tuo proprio spiritu, eo fit modo, quem tibi jam pandam. Magnus DEUS habet, etiámque nos cœlestes ipsius nuntij habemus, multos modos conversandi, & loquendi cum Anima. Interdum facit, quòd pædagogus docens puerum legere, à quo pusio jubetur enuntiare & repetere eadem verba, quæ audit, ut ità exiguo ejusdem pueri captui lectio magis imprimatur, faciliúsque addiscat, quod ab illo docetur. Et hoc docendi modo, ego nunc sum usus: repetebat enim tuus spiritus, quod percipiebat. Aliàs loquitur DEUS, & loquimur Angeli, ac Sancti, tanquam Magistri in cathedra, qui habent jam adultos & capaces discipulos. Quando illi docent, sufficit, si auditores sunt attenti, conservando auditas veritates in suis intellectibus, absque ulla verborum repetitione. Omnia ista operatur

ratur Magnus DEUS noster, prout exigit capacitas, necessitas, & majus bonum Animæ, cui aliquid dicitur, totum sese accommodando ad majorem suæ creaturæ profectum. Id mihi dixit meus S. Angelus. DEUS sit in æternum benedictus, Amen.

III. Mox describit eadem Venerabilis Marina discrimen inter eas visiones, quas post intensos affectus DEUS producit, & inter eas, quæ ex propria imaginatione consequuntur.

Duobus mihi videntur modis ferventia desideria, & intensi affectus erumpere in Anima, quæ DEO servit, quando cum ijs aspirat ad insignem virtutis gradum, & opus heroicum divini obsequij. Primus est, dum illam ità movet DEUS, cujus est omne bonum, ut clarè innotescat, etiam ipsam impendere teruntiolum sui liberi arbitrij, & liberrimè cooperari gratiæ, quæ illi à DEO communicatur. Et tali casu quæri potest, utrùm quod Animæ tum, quoad alloquia, & visiones extraordinarias, contingit prorsus conforme affectibus, quibus erat intenta, sit purè ac verè DEI opus, & ab eo solo procedens; an verò effectus ipsius desideriorum, quæ faciant, ut sibi videatur audire, quod optabat, utendo suâ propriâ imaginatione, quæ est egregia in hujusmodi occasionibus pictrix. Revera est materia valde dubia, & sic non raro accidere solet; quamvis aliàs DEUS consueverit hos effectus supernaturaliter operari, per infinitam suam misericordiam.

IV. Dico autem in persona, quæ est bono prædita spiritu, virtute ordinariâ, & familiariter cum DEO conversatur, impendendo se orationi, & meditationi communi, quam docent libri & Sancti, quæ est via regia ac laudabilis, & utilissimum exercitium, ut perveniatur ad apicem virtutum, & sublimem divini amoris perfectionem, non debere videri mirum, statimq; haberi pro novitate, & fallacia, si, dum suis vacat affectibus, & ferventibus desiderijs, experta fuerit alloquia, & visiones profectas à DEO; cùm ipse, ut est liberalissimus, & absolutus suo-

rum donorum ac thesaurorum Dominus, possit ac soleat ex infinita sua misericordia, communicare hos extraordinarios favores, quando expedit ad majorem ipsius gloriam, & bonum talis Animæ, quam hac viâ magis ad se pertrahit. Atq; etiamsi alia alloquia, & visiones forent proprij spiritûs, dummodo Anima procedat sincerè, ac humiliter, non est occasio magni periculi; esset verò quàm maximi, si id à directore spiritus non examinaretur, ad ipsam statim initio commonendam,& omnia dijudicanda: sensim namque sinè sensu posset adolescere spiritus imperfectus, malè perspectus & instructus, qui post aliquod tempus, & jactis radicibus, ingens adferret nocumentum, & valde difficulter curaretur, propter contractum jam ab anima habitum, & vivacem apprehensionem, ad eum modum, quo credit, quæcunque videt ac audit, esse supernaturalia, ac divina. Et quia præsupponitur, hanc Animam necdum pervenisse ad perfectionem necessariarum virtutum, solet difficilè accidere, ut se submittat, & priorem suam deserat apprehensionem.

V. Alter modus, quo ferventia desideria, & vehementissimi affectus in Anima prorumpunt, est mirabilis, ac difficulter intelligibilis ab eo, qui illorum experientiâ caret; quandoquidem eos videtur Anima non tam ipsa elicere, quàm percipere à DEO, nihilque in ijsdem operari illius arbitrium, sed esse puram gratiam, & prorsus donum DEI. Quando igitur Anima habet tam raros, & singulares affectus, existimo esse certissimum, quòd allocutiones & visiones, quas tum ex illis, ut sic dicamus, enatas, ipsisque saltèm valde conformes, experîmur, sint puræ & veræ solius DEI, absque admixtione ullius rei naturalis. Quoniam, sicut prima illa causa affectuum fuit præcisè gratia DEI, & ejusdem donum, ità effectus indè consequentes attribuendi sunt tantummodo ipsimet DEO.

VI. Pater spiritualis, qui est Servus DEI, doctus ac peritus, agnoscet, qualesnam sint singuli hi spiritus, affectus, & visio-

ſiones, ex eo, quòd hujus poſterioris generis affectus non dentur, niſi puræ, mundæ, liberæ, & expeditæ ab omni humano affectu Animæ; cùm omnis ipſius fiducia, omnia deſideria, opera, & cogitationes ſemper ſpectent Majorem DEI Gloriam, ejuſdemque obſequium, ſinè mixtura cujuſvis terreni, vel cœleſtis commodi, & intima illius cum DEO familiaritas ſit valdè diuturna, multùm examinata, & agnita pro vera. Itáque Anima, cui DEUS ex mera ſua infinita miſericordia hanc tantam præſtat gratiam, ut eam in iſto virtutis gradu conſtituat, quando durantibus ipſius affectibus, quos nulla præceſſit ad illos directa meditatio, & conſideratio, audit & videt myſteria, attendendo, ac tremendo coram ſuo Domino, ſuámque, quantùm poteſt, cognoſcendo propriam vilitatem, quòd in tali adhuc ſtatu vivat, ut poſſit decipi: hujuſmodi, inquam, Anima, in qua hæc omnia ſigna concurrunt, poteſt eſſe ſecura, & exiſtimare, quòd certiſſimum ſit, ſolum DEUM eſſe Authorem omnium illarum allocutionum, & viſionum, omnemque iſtam agendi rationem, & ſpiritum eſſe divinum; quandoquidem Divina Majeſtas, non eſt, neque eſſe poteſt ſibi ipſi contraria, vel, falli, aut nos fallere. DEUS ſit in æternum benedictus, Amen.

CAPUT VI.

De Illuſionibus & fallacijs in via myſtica.

I.

DE his Venerabilis Marina loquitur Part. 2. lib. 2. c. 37. Deceptiones iſtæ in nonnullis perſonis ſunt graviter culpabiles, in alijs non item. Interdum oriuntur, quòd quæpiam perſona fingat, quod non eſt. Interdum quòd quaſdam circumveniat Diabolus. Interdum aliquas fallit propria phantaſia. Dicit ergo ità Venerabilis Marina: Multoties contingit, ut Magnus DEUS noſter & Dominus propter ſua alta & ar-

arcana judicia, atque infinitam ſuam Bonitatem, ad majora mala, & graviora incommoda evitanda, permittat in aliqua perſona diu diſſimulari extraordinaria, ac ſingulariſſima, & quæ magna exteriùs apparent. •Quamvis autem non proveniant ab ipſius Majeſtate, poſſunt tamen carere culpâ talis perſonæ, cui eveniunt. Atque licèt his occaſionibus non ſint defutura peccata, ac defectus, qui ſe admiſcebunt; tam benignus nihilominus eſt DEUS, & miſericors, ut propterea (ſi aliunde non adſit gravis culpa, quâ id impediatur) non ſit intermiſſurus talem creaturam ſalvare, poſtquam hìc per pœnitentiam, vel ibi per Purgatorium integrè pro defectibus ſatisfecerit, qui illic intervenerunt..

II. Quâdam vice me Divina Majeſtas docuit quoſdam modos deceptionum, quæ in hac via contemplationis incurruntur, prout ſequitur. Tempore matutino, poſt Sacram Communionem fuit repræſentata oculis Animæ ſcala, quæ à terra protendebatur ad cœlum. Multùm conabar me abſtrahere ab iſta apparitione, & orando ordinario modo, agere cum Domino, quem ſumpſeram: verùm, cùm ampliùs reſiſtere non poſſem, tandem me Dominus adegit, ut attenderem ad id, quod mihi oſtendebat. Vidi DivinamMajeſtatem in habitu ſupremi Regis indicibili conſpicuam magnificentiâ, quæ mihi dixit: Veni mecum Anima, & comitaberis me, aſcendendo per illam ſcalam, ad cœleſtem Jeroſolymam. Deinde me, quaſi arreptâ meæ togæ manicâ, ſecum duxit. Aſcendebam valde hilaris & contenta cum Domino, quem comitabantur innumeri Angeli, qui ſvaviter concinebant laudes hujus Magni DEI, eique gratias agebant pro extraordinarijs favoribus, quos præſtabat Animabus; ſpecialiſſimè verò, quòd remanſerit in Venerabili Sacramento, pro remedio & ſolatio ſuæ Eccleſiæ. Dum aſcenderem, adverti aſcendentes poſt me homines ignotos mihi, quia me non verti, ut illos aſpicerem. Ibant cum ipſis quidam ſpiritus, quos etiam non

non agnovi, essentne Angeli, an secùs. Quando perveni ad summitatem scalæ, Divina Majestas est ingressa cœlum, introducendo me secum, & statim, velut ex improviso occlusit portam, relictis extra ijs hominibus, & spiritibus, qui eos comitabantur. Fruita sum in ea cœlesti patria, juxta meum captum, bonis, ùt aliàs, inexplicabilibus, donec me Dominus, mecum eundo, reduceret ad meum angulum.

III. Dum jam hic essem, incæpi considerare, quales homines, & cujusmodi spiritus illi forent, quos observavi, quando ascendebam, & qui manserunt extra cœlum; quod licèt animo meo versarem, non optabam rescire, quin imò propter meos timores dubitabam, utrùm non fuisset mea imaginatio. Divina Majestas mihi hoc dubium solvit dicendo: Anima, homines, quos advertisti quasi te sequentes, & volentes ascendere ad cœlum, quibus tamen est clausa janua, sunt multæ Animæ, quæ permittentes se abduci à suis suavibus naturis, apprehensivis phantasijs, vel interdum deceptæ à diabolo, ex meis occultis judicijs, sibi videntur ambulare in vijs supernaturalibus, & habere revelationes, raptus, & similia, atque arbitrantur, se optimè & securissimè procedere. Falluntur, quamvis quod ad hoc attinet, absque malitia; siquidem illas excæcat naturalis ipsarum suavitas, & apprehensio, vel astutia diaboli. Errant vehementer, & non possunt ingredi in quietem serenissimi cœli veræ contemplationis, quia volentibus intrare occludo portam. Spiritus quos animadvertisti in earundem comitatu, sunt spiritus proprij earundem & non Angeli lucis. Ecce tales Animæ se produnt, & apparet quàm malè sint fundatæ, ex eo, quòd spiritus habeant garrulos: bene de me loquuntur, sed nimiùm, cùm deberent meis donis frui silendo. Spiritus vani & singulares optant duci vijs extraordinarijs, nec se regi sinunt secundùm doctrinam meorum Sanctorum. Id mihi dixit Dominus, cujus judicia sum humiliter venerata, ac admirata. Ipse sit benedictus.

IV.

IV. Quàm sint obnoxia deceptionibus signa externa, quæ solent haberi pro divinis, didicit Venerabilis Marina à suo Angelo sequenti modo. Dum graves paterer dolores in manibus & pedibus, ubi sunt impressa stigmata, præsertim in pede dextro, & manu sinistra, quia me doloris vehementia solito magis affligebat, cæpi id considerare & subtimere, utrùm non aliquâ ratione diabolus quidpiam in his stigmatibus operaretur. Cùm ità timerem, accessit ad me Sanctus meus Angelus Custos, dixitq; mihi: Non habes, quod metuas, quia diabolus ad te tam propè non accedet, eò quòd te DEUS undequaque muniverit, & circumvallaverit, nè decipereris, vel tibi hac in re ab ipso noceretur. Scias præterea, DEUM esse magnum suorum thesaurorum Zelatorem, & bene scire, ubi illos deponat. Ac proinde sicut nemo prudens deponeret pretiosum aliquod monile, quod magni æstimaret, in medio fori, ut illud ibi suis volutarent rostris porcelli, aut furari possent latrones; neque Rex discretus poneret in loco maximè publico sui palatij, aut in omnium suorum famulorum conspectu suum thesaurum, cujus aliqui tantùm intimi haberent notitiam: ità quoque DEUS thesaurum suorum donorum, quando sunt pretiosissima, deponit in loco secretissimo, ubi pauci, iique selectissimi amici notitiam ipsius habeant; non in quopiam quasi foro, ubi ab omni hominum genere possit videri. Hoc, Soror, communiter in his eventibus contingit. Ità est locutus meus Sanctus Angelus, & significavit mihi hæc dicendo, quâ circumspectione deberent Animæ DEO servientes admittere ea, quæ extrinsecus apparent, & quòd vulnera, ac alia signa, quæ solent haberi pro divinis, non solùm non semper proveniant à Divina Majestate, verùm etiam raró admodum sint ipsius opus. DEUS nos illuminet. Amen.

V. Exactiùs adhuc descripsit Ven. Marina statum quarundam Animarum seductarum, sequentibus: Novi quandam personam, opinione meâ Servam DEI, quæ spiritu erat præ-

prædita valde extraordinario, quales quoque erant ipsius viæ, affectus, & modus procedendi in rebus spiritualibus, atque spectantibus ad obsequium DEI. Quamvis autem sæpe egerim cum ista creatura, fuerímque locuta; nunquam tamen mihi potuit satisfacere, seu spiritus ipsius quoad omnia placere, sed neque ejusdem natura, quòd hæc esset ardentissima, cholerica, apprehensiva, ac terribilis, non quia putarem foveri malitiosè ab hac Anima imposturas, aut errores; quin imò habebat bona desideria serviendi DEO, licétque talis esset ipsius natura, qualem dixi, non agebat tamen malè, neque se patiebatur ab illa violentè abripi: sed quia mihi videbatur simpliciter amplecti, quæcunque ipsi occurrerent, acsi omnium author foret DEUS, non applicando animum ad ea examinanda, neque multùm timendo, nè deciperetur à diabolo. Erat apparenter obsequens suis Confessarijs, & exhibebat indicia, atque opera charitatis erga proximos.

VI. Mea anima manebat diu hunc in modum perplexa, & quotiescunque constituta in divina præsentia, recordabar spiritûs hujus personæ, deprehendebam nescio quid, ut judicarem non bene ità procedi, neque istum esse spiritum DEI purum, defæcatum, & cui nihil aliud sit admixtum. Conabar magno adhibito studio à me repellere istam cogitationem, dicendo me non esse à DEO constitutam hujus causæ judicem, ut eam proinde Divina Majestas juvaret, ac doceret: excusabam quæcunque notabam, quàm optimè poteram, & optabam mihi ipsi persvadere, esse bonum spiritum. Verùm aliunde agnoscens illam naturam esse adeò terribilem, sicut dixi, mota ab eodem Domino, dixi aliquando ejus Majestati: éstne possibile, mi Domine, tantam esse tuam Bonitatem, ut velis svavissimum & pretiosissimum tui spiritûs liquorem includere in hujusmodi natura? Sis benedictus! Audivit me Dominus, & gravi, svavíque modo mihi blandè sic respondit: Veni huc Marina; quis mihi

prohibebit, si velim pretiosissimum liquorem recondere in rudissimo, maléque formato vase testaceo? quis id poterit impedire? Nemo profectò, mi Domine, respondi ego: est tamen etiam verum, mi DEUS, quòd in rudibus, & malè excoctis vasis, soleat perdi & acescere quicunque liquor ijs infusus, quantumvis sit pretiosus. Optimè dixisti Anima, subjunxit Dominus, optimè dixisti. Nunc verò attende: volo enim tibi statum hujus spiritûs, & multorum aliorum illi similium adumbrare.

VII. Reperiuntur quædam Animæ ejus conditionis, cujus est illa, quam tu novisti, terribiles, ac duræ instar lapidis, partim cholericæ, & ferventes, partim autem melancholicæ & apprehensivæ. Quæ taliter sunt comparatæ, si non applicentur ad malos usus, habent desideria mihi serviendi, affectant nihilominus etiam singularia, & extraordinaria; quâ ratione concipiunt in sua apprehensione vanas figuras, & repræsentationes inanes, ità ut se existiment videre, quæ fiunt in cœlo, & in inferno, nec non cognoscere futura, quæ sint eventura in mundo: in quibus omnibus plurimùm præstare potest diabolus, me id ex causis prorsus legitimis permittente. Ità fit, ut hæ Animæ talia perpetuò jactent, quæ nullius sunt virtutis, aut substantiæ & exigui spiritûs: quemadmodum, si quispiam attonitus integris diebus specularetur, mappam geographicam, ac diceret: Ecce ibi est mare; ecce hic est terra; hoc est tale regnum, & illa talis provincia, neque tamen indè quidquam disceret, aut ullum caperet fructum. Taliter agunt isti spiritus illusi, loquuntur multa, & audiunt pauca: sunt propensi erga cibum & potum, atque virtus ipsorum, quamvis eam apparenter exerceant, est tam debilis ac infirma, quàm causa, quæ ad eam impellit, & unde procedit, ideóque facilè succumbunt ac deficiunt.

VIII. Mea Anima multùm mirabatur, quòd docebatur à Divina Majestate, cui dixi: Quomodo verò mi DEUS, & mi Do-

Domine, tales ſpiritus poſſunt juvari? qualiter ſunt curandi, atque ad virtutem ac debitum procedendi modum reducendi? facilè ſi mea adſit gratia, juvabuntur; reſpondit DEUS. Nam Inſtructor, à quo talis Anima regitur perſpectam habens illius naturam, bene illam debet explorare, & conari, ut perſcrutetur, & undequaque penetret propenſiones talis perſonæ, ipſius deſideria, & opera, atque expendere virtutem, quoad fuerit poſſibile. Si enim ſpiritualis & ſapiens Director ſic fecerit, facilè aſſequetur dolum, ac deprehendet illum malum, exorbitantem, vanum, & inutilem ſpiritum. Quo facto dirigat hanc miſerculam Animam benignè & ſuaviter: ſi eſt humilis reducat ipſam ad bona, plana, & ſecura principia, ad uſitatum orandi modum, & virtutes perfectas. Quia ſi hæc Anima non eſt malitioſa, & optat ſe cum divina mea voluntate conformare, æquo id ſuſcipiet, ac pacato animo, atque licèt in hac viæ mutatione aliquam experiatur moleſtiam, non eſt malum, imò certo modo bonum indicium. Caveat, nè hujuſmodi animam vexet, aut affligat aſperitate, ſed ità tractet, ut ſe oſtendat ei bene eſſe addictum, ac deſiderare ipſius profectum: ſi enim abſit malitia, oportet ſimilem animam hac viâ emendare.

IX. In praxi, ut in his procedatur prudenter, aſſumenda eſt pro exemplari quæpiam Anima ex ijs, quæ à me ſunt edoctæ & illuminatæ in materijs ſpiritualibus, & à magiſtris virtute, ſpiritu, ac doctrinâ conſpicuis, rigidè omni ex parte fuerunt examinatæ & approbatæ. Videatur quomodo hæ Animæ ſint progreſſæ, qualis illarum fuerit natura, virtus, affectus, timores, circumſpectio in rebus ad virtutem ſpectantibus: atque ex his capiatur idea, ut meliùs agnoſcatur, quid facto ſit opus, & quâ ratione ſint regendi ſpiritus, ac perſonæ, de quibus ſum locutus; hoc enim multùm proderit. Iſta omnia tibi dixi, ut intelligatur tam neceſſaria, & utilis doctrina. Tum Dominus conticuit, qui ſit benedictus, Amen.

X. Luctuosum exitum cujuspiam personæ malitiosè vitam contemplativâ simulantis V. Marina describit 4. Maij A. 1625. Die Dominicâ manè, postquam diu restiti, DEUS me compulit, ut attenderem ad id, quod mihi dignatus est ostendere. Vidi igitur, sicut aliàs scalam pertingentem à terra ad cœlum, & in ea ascendentem Animam, quæ gerebat speciem mulieris, indutam vestibus incompositis, præterquam quòd essent prorsus obsoletæ ac laceræ. Quando autem aliquot gradus conscendit, vidi descendisse ex cœlo quosdam Angelos, qui habebant in manibus gladios igneos, gravem in suis vultibus præseferentes indignationem. Substiterunt supra Animam quatuor circiter gradibus ab ea distantes, impediendo ipsam, nè progrederetur, & comminando illi gladijs, ostendentes se terribiliter irasci eidem. Cohorruit miserabilis, & veluti obriguit, atque hæsit in eo gradu, ità ut nec ascendere posset, neque descendere. Interea ad illam venit Sanctus ipsius Angelus Custos, & arrepto uno ejus pede, monstrando indicia displicentiæ, & indignationis, eam magno impetu deturbavit ex scala, dejecitque in terram. Tum derepentè in illam irruerunt plurimæ, diversarum specierum & formarum bestiæ, quæ crudelissimè excarnificatam videbantur velle discerpere in frusta. Cùm ab ijs fuisset pessimè habita, eædem larvæ, quæ erant dæmones, se erexerunt in pedes, & induerunt illam infelicem animam veste fuscâ, lacerâ, & lugubri, quæ anteriùs erat brevissima, retrò autem longissima, manicas habebat procul protensas & laxas: caput ejusdem cooperuerunt cucullo, quæ omnia funestissimũ exhibebant spectaculum. Postea fuit ab ipsis ducta ad profundissimum puteum, & in eundem præcipitata, dejicientibus se unà super illam ijsdem bestijs. Vidi deinde prodeuntem ex altera parte igneum, rapacissimum & furiosissimum fluvium, in quo adveniebat eadem anima, & prædictæ bestiæ, quæ inde prosilientes ipsam denuò divexaverunt, multisque ei modis illuserunt, & exutam

illo

illo habitu fusco, induerunt alio nigro luctuosissimo, ejusdem formæ, cujus fuerat prior: atque tandem multis ludibrijs exagitatam, & malè tractatam deturbaverunt in infernum.

XI. Ista ego spectabam attonita, ut mea Anima vehementer percelleretur, & conversa ad DEUM, cum magno timore & affectu ipsum rogaverim, ut me doceret, quid me vellet ex tam terribili visione discere, & Divina Majestas mihi placidissimo vultu sic dixit: Ecce, reperire est in nonnullis personis pessimos, ac diabolicos spiritus, qui abrepti à sua superbia, ex effreni appetitu vanitatis, quædam faciunt, quæ apparent sancta, & opera ducentia ad cœlum. Licèt verò omnia dirigant ad tam perversum finem, volunt nihilominus, ut ego ea approbem, ipsísque conciliem æstimationem, efficiendo talia, quæ videantur esse miraculosa. Animæ hujusmodi præditæ spiritu, & hac viâ incedentes, vehementer exacerbant meos Angelos, & non modò non ascendunt per scalam veri spiritûs, sed etiam incidunt in laqueos diabolorum, qui illi per speciem apparentis sanctitatis mirum in modum illudunt, donec ultimò deveniant ad terminum, quem vidisti æternorum suppliciorum. Hoc me ipsemet Dominus docuit, & hoc mihi dixit, magnâ me replendo admiratione. Ille nos dignetur per suam misericordiam docere vias veras, ut humillimis animis in omnibus impleamus ejus sanctissimam voluntatem.

CAPUT VII.

Quomodo dæmon non sciat simulare omnia opera DEI.

I.

VEnerabilis Marina parte 1. lib. 5. c. 25. §. 4. sic habet: Dum (inquit) aliquando manè essem collecta, agens cum DEO, & expendens, atque considerans ob certum finem, nonnulla quæ ipsius Majestas mihi dixerat, & manifestaverat

verat meæ Animæ, eidémque tam potenter ac efficaciter impresserat, ut agnoscerem essentne eæ veritates divinæ; quia mihi non poterat occurrere ulla ratio humana, quæ illas posset evertere: dum, inquam, ità essem constituta, dixi Divinæ Majestati: Mi Domine, dic mihi per tuam bonitatem, estne fortè reperibilis ulla creatura, quæ possit aliquomodo imitari id, quod tu facis? Atque hoc illi dixi loquendo præsertim de diabolo, déque illius inventionibus. Audivit Divina Majestas meam istiusmodi interrogationem, & respondit mihi: Non potest dæmon, qui est pater mendaciorum, ullâ ratione re verâ imitari opera mea, neque meas veritates: ídque ideò, quia ipse non potest dare, neque apponere suo mendacio colorem, nec saporem, neque odorem, quem habet virtus veritatum divinarum. Volo dicere, ipsum non posse suo mendacio dare eam vim, ut illi nequeat contradici, neque eam efficaciam, ut illud mendacium semper in corde perseveret, ità ut non possit ab eo recedi, nec in ullo deficiat, neque illi potest conferre tantum robur, ut in omnibus occasionibus contrarijs subsistat. Hoc non potest facere diabolus.

II. Quod facit, & potest diabolus efficere in hoc negotio, declarabo tibi hac similitudine. Sicut quando dæmon tentat aliquem hominem tentatione iræ, vel vindictæ, aut qualicunq; aliâ, & sic illum vehementer constringit, ut cor ipsius tyrannicè vexet aliquo dolore, & gravi commotione, facitque ut sibi videatur non passione agi, sed agere rationabiliter, nisi ipsum aliud doceret fides; hunc in modum operatur, quando vult simulare mea alloquia, & seducere animam, cui falsam quandam vim in illis infert, ingerendo ipsi vanos affectus, absque ratione & virtute, aut constantia, & stabilitate: ideóq; sicut ille homo, de quo sum loquutus, agnoscit per fidem, se aliquomodo deceptum; ità etiam Anima sancta, quæ fideliter amat suum DEUM (quia si id non haberet, esset magnopere timendum) plerumq; sen-

ſentit & habet in eo alloquio timores ac ambiguitates, & frequenter ipſi non conducit ille cibus, eò, quòd in illis allocutionibus, & documentis non experiatur dictos effectus vehementiæ, efficaciæ, & fortitudinis, quos in Anima relinquunt meæ veritates.

III. Proſequitur deinde §. 5. quòd diabolus non operetur niſi in ſola imaginativa his verbis: Poſtquam me indignam peccatricem dignatus eſt viſitare Beatus Sanctus Bonaventura, advertiſſémque me propter quoſdam affatus internos, quos ſenſeram, teneri aliquo deſiderio ſciendi, utrùm nos, & interiora animarum noſtrarum ſciant, & cognoſcant Sancti Angeli, ac diaboli; dixit mihi: Adverte Anima, diabolus non poteſt penetrare uſque ad fundum Animæ, vel cognoſcere ipſius interiora, aut quid ibi agatur, quia hoc ſolus DEUS poteſt, ideóque, quando advenit, non progreditur ultra imaginativam, & quaſi portas Animæ. Illuc pertingit ſuis mendacijs, vel repræſentationibus turpibus, & abominabilibus, ibíque Animam vocat, & illa ipſi annuit, atque conſentit; vel illum rejicit, ſéque ab eo expedit. Si quis conſentit & peccat ſolâ internâ cogitatione, dæmon id non agnoſcit, niſi ex quibuſdam conjecturis, quæ ſemper ſunt ſufficientes, ut aſtutus hoſtis intelligat aliquid. Hoc ſolùm fit, nec poteſt ulteriùs pervenire, quàm hucuſque, aut ſcire ampliùs dæmon, quod hanc rem concernit, niſi DEUS permittat, jubeátque ex ſuis incomprehenſibilibus judicijs, ac Divina Juſtitia, quidpiam manifeſtari à Sancto Angelo, qui præter revelationem, quam habet à DEO, majori eſt quoad hoc præditus notitiâ, ex Divina Miſericordia, pro noſtra neceſſitate, quàm diabolus de rebus ocultis noſtræ animæ.

IV. Dixítque præterea Beatus Sanctus: Adverte Amica, quando Christus Dominus, vel ipſius Sancti viſitant Animam, & ipſa illos videt cum divina pace, quæ ei communicatur; diabolus non poteſt ſcire, neque cognoſcere, quid in ea agatur, niſi

nisi per conjecturas. Quod si aliquid de his cognoverit, vel intellexit, id non aliter fiet, quàm permittente DEO, propter caussam ejus Majestati notam. Et quando dæmon, eâ occasione se vult transfigurare in Angelum lucis, DEO permittente, dantéque illi id faciendi facultatem; illa species, quam diabolus assumit, vel visio, non exhibetur in eo loco, seu parte, neque est in eo organo, in quo veræ visiones CHRISTI Domini, & ipsius Sanctorum.

CAPUT VIII.

Signa pro discernendis spiritibus.

I.

IN eadem Parte 1. lib. 5. c. 23. §. 5. Venerabilis Virgo Marina signa hæc explicat hoc modo: Signa pro discernendis spiritibus mihi videntur esse ista.

Primò Spiritus DEI est Spiritus Veritatis, Bonitatis, ac Amor sapientiæ, ac pacis, suavitatis, & consolationis, fortitudinis, & perseverantiæ in eo, quod dicit Divina Majestas, ac Imperij & Dominij, quod Divina Majestas habet, atque exercet in Animam, cui se ità communicat, ut nullam ei vim inferendo (in ijs, ex quibus agnoscere potest & intelligere id, quod ipsam vult docere, eique manifestare de suis divinis secretis) suaviter & cum solatio ac sinè afflictione hæc illi præstet, eâ ratione ut quamvis se vellet abstrahere à videndo & intelligendo, quod ipsi DEUS vult exhibere, ac manifestare, omni præcisâ morâ non permittat ipsam id facere. Atque post hujusmodi communicationem & visionem DEI ejúsque Sanctorum, sentit Anima solatium, quamvis eam diabolus conetur eo tempore aliquando perturbare, ipsque in ea re ingerere dubia ac timores, cùm hoc non videatur posse alio modo efficere: maximè verò si talis Anima sit timida, impendet in id, quas potuerit, vires. Sed quia

quia iste nimius timor provenit à diabolo, evanescit quàm citissimè instar fumi, & Anima abundat solatio.

II. Præterea admirans tantam sapientiam ac bonitatem, talémque agendi modum illius supremæ Majestatis, & communicationem, quâ pandit sua arcana Animabus, ampliùs exardescit divino ejusdem amore, & se plùs humiliat, ac indies proficit in sui cognitione, magísque obliviscitur rerum terrenarum, & eas deserit adeò, ut cum illis gratijs, quas ipsi DEUS præstat quotidie, quasi sensim sinè sensu crescat in ea perfectione virtuosæ vitæ, quam agit, excellátque in ijs admirandis virtutibus. Et hoc est præcipuum signum, DEUM esse Magistrum, ac Authorem ejus operis, idémque ab ipso procedere. Ille verò effectus admirationis, quem dixi sentiri ab Anima, dum se DEUS taliter communicat, videtur mihi semper esse vehementior, sub initium illius divinæ communicationis, quàm dum jam Divina Majestas familiariùs cum illa agit, & frequentiùs: verùm Amor & sanctus Timor DEI, atque circumspectio & reverentia, quam debet habere in omnibus operibus, quæ facit concernentia honorem DEI, ac in misericordijs & gratijs, quas è sanctissima ipsius manu suscipit, crescit indesinenter.

III. Contrarium his omnibus efficit diabolus suis alloquijs, & mendacijs, ac malâ lingvâ, cujus talia quantumcunque ea velit dissimulare in ipsa relinquit vestigia & effectus, dum illam alloqui, atque id facere audet, ut cum DEI gratia, quemadmodum est dictum, bene cognoscantur in talibus Animabus: hoc est meum judicium, de statu istarum Animarum, quas DEUS amat ex sua bonitate tantopere: propterque hunc amorem, quo eas complectitur, nisi habeat extraordinariam & specialem causam (qualem diximus Divinæ Majestati posse suppetere, ut se communicet, ac manifestet aliquod suum secretum Animabus, non adeò perfectis) aliúmve finem: propter illam suam infinitam bonitatem, inquam, & eum magnum amorem, quo Divi-

na Majestas illas amat, & amorem, quo ipsæ vicissim illum diligunt, dignatur & vult, éstque ipsius voluntas, communicare se illis eâ ratione, easdémque visitare per se ipsum, & suos Sanctos, ad eum modum, quò Magnus Princeps & Rex, ac Dominus se posset aperire, & pandere sua secreta aliquibus ministris domesticis, sibiq; unicè familiaribus, propter alterutram istā causam.

IV. Primò, ut committeret alicui suo ministro exequendum, vel aggrediendum negotium magni momenti, unde sit emersurum aliquid valde proficuum & bonum pro ipsius statu, & regno ac domo. Secundò, non quidem ideo, neque eo fine, sed quia illum tantopere amat, ut ob hunc solum amorem, quo ipsum prosequitur, nullo alio habito respectu, propè nihil habeat in suo pectore, seu corde, quod illi non manifestet, cum eóque conferat, & ipsi communicet, atque hac de re delectetur, nec non ut illi satisfaciat in omnibus, quæ voluerit ac petierit, eò quòd sciat ac optimè noverit se ab hoc suo ministro, sibi intimè familiari, ex toto corde ac anima amari, & illum, quantum in eo est optare majorem ipsius honorem & gloriam, atque incrementum ejus domûs, & ditionis, & subditorum. Adeóque iste Rex & Princeps tanquam Dominus absolutus suæ domûs, & ditionis, ac suorum ministrorum, jubet quod vult, ac agit pro suo beneplacito; & amat vúltque hujusmodi bonis & fidelibus, ac sinceris ministris gratificari, & favere ac rependere tam munificè illorum ipsorum amorem, & fidelitatem, eámque bonam voluntatem, quâ illi serviunt communicando se ipsis eâ ratione, præstandóque illis eam cumulatam gratiam. Ità se gerit noster Magnus DEUS ac Dominus, Rex & Princeps Supremus noster erga suos servos & familiares, quales sunt hujusmodi Animæ, quia ipsum taliter amant, eíque serviunt, tantum & cum ea fidelitate ac promptitudine, ut darent, exponeréntque pro illo suam vitam, & mille vitas, si eas haberent, quod totum ijs videretur esse parum propter magnum amorem, quo ipsum prosequuntur.

CAPUT

CAPUT IX.

Quomodo Anima cognoscat DEUM per viam divinæ internæ Communicationis ex Allocutione, Visione, & Operatione.

I.

DOctrinam cœlestem de hoc habet Venerabilis Marina par. 1. l. 5. c. 24. §. 3. ad instruendas Animas in alta via mystica, sequentibus documentis. Primum præcipuum fundamentum, quod Anima habet pro cognoscendo DEO, per viam divinæ communicationis, & internum Alloquium, est Puritas Animæ, præsertim illa, quam DEUS illi concedit, in ipsius primis principijs. Secundum est mortificatio & humilitas, atque avulsio ab omni creatura, & universis quæ non sunt Deus, eorundemq; oblivio. Tertium est apparatus & ornatus tam illarum virtutum, quas Dominus noster dat, & communicat Animæ gratiosè, & ex sola sua bonitate; quàm etiam acquisitarum, cum gratia & auxilio ejusdem Domini, sudore ac labore Creaturæ. Fundamentum quartum est præsentia DEI, & continua oratio; unde hoc oritur, emanat ac provenit, ut contemplando se ista Sponsa Cœlestis Regis in illo clarissimo speculo Divinæ Faciei, ubi videt agnoscitque se ipsam, suam vilitatem ac miseriam, cognoscat quoque, quantum capit Anima, & ei communicatur à DEO, ipsius Esse divinum, amando illum & cognoscendo ipsum atque contemplando.

II. Hoc modo devenit Anima in agnitionem loquelæ divinæ, intuitûs divini, operationis divinæ, per lumen supernaturale, quod illi communicatur, ad agnoscendam illam loquelam interiorem ac divinam, quæ attingit & occupat intimum fundum, & superiorem ipsius partem, certissimeque eam illuminat, ut ipsam non permittat dubitare, sitne divina ea loquela, &

& communicatio DEI. Ad quam explicandam vel exponendam non suppetunt verba. Sicut enim dici nequit, qualis sit DEUS in se ipso; ità dici non potest, quomodo loquatur, séque ipsum communicet DEUS. Ideóque solùm assero, esse metallum divinum, quod sonat, ac sapit lumen DEI, ac suavitatem DEI, ac pacem DEI, atque ut finiam dico, quòd sonet ac sapiat ipsummet DEUM. Et dico ampliùs, quòd, sicut agnellus solo instinctu naturali cognoscit suam matrem ex balatu, ac illam sequitur, & quærit; atque parvulus infans, sinè usu rationis, suam quoque matrem ex loquela, & facie, gaudétque ac lætatur, dum illam audit ac videt: ità suo modo ista Anima pura & munda, non ex instinctu naturali, sed ex gratia & lumine supernaturali DEI, quod illi communicat, agnoscat suum Patrem, & suum DEUM, suúmque Dominum, quódque omne bonum ipsius consistat, in ipsius alloquio, & intuitu ac operatione, sicut dixi, quærátque illum, ei obediat, ac lætetur in eo, & gaudeat.

III. Agnoscit hæc Anima suum DEUM ex aspectu, quia, dum contemplatur in vultu illius diviniEsse justitiam, postquam priùs est illustrata ab ipso, & illuminata, recipit tales influxus, & talem virtutem, taléque lumen, ut summè propter istum divinum intuitum, amet suum DEUM ac summum Bonum: timet quoque ipsum ac reveretur, obedit ei, maximéque optat, se mille modis, quasi condire gustui & palato DEI; unde devenit in cognitionem clarissimam, ipsum esse, qui radio suæ virtutis pertingentis ad Animam, talem affectum est operatus in illa.

Cognoscit ista Anima suum DEUM, ac Dominum in operando, quia postquam se collocavit ad pedes Agni Divini, dum considerat, & contemplatur ipsius divina opera, & qualis hic Dominus fuerit in se ipso, ac sit erga nos; concipit Anima adjuta gratiâ istius Domini, talia & tanta desideria operandi pro DEO, & patiendi pro DEO cum magna voluptate, solatio, & gaudio, ut deveniat in cognitionem clarissimam, & supernatu-

ralem,

ralem, eum, qui ità operatur in Anima, esse DEUM, ipsiúsque scientiam, ejusdemque potentiam, & bonitatem. Iste est modus, quo Anima cognoscit DEUM per divinam ejus ac admirabilem communicationem, ut me idemmet Dominus edocuit, fecítque ut id experirer ex sola sua divina bonitate.

IV. Post hæc etiam Venerabilis Virgo cap. 25. §. 3. exponit signa pro cognoscendis alloquijs DEI, quam doctrinam ibi Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte sic refert: Etiam illam DEUS docuit nonnulla signa ad cognoscendam veram communicationem, & alloquia Divinæ Majestatis, valde diversa ab ijs, quæ vult simulare dæmon. In festo S. Michaëlis (Anno 1603.) quâdam occasione dixit ad DEUM cum extraordinario affectu: Domine, mallem mihi lingvam exarescere, quàm quidpiam dicere, quod non esset tuum. Et interrogabat ipsum: Domine, éstne aliquid in hoc, & in omnibus, quæ scripsi, meum, quod non sit tuum? Respondítque illi Dominus: Nihil est tuum, omnia sunt mea: & isti responso ità acquievit, ut de eo non potuerit dubitare. Cùm verò consideraret, cui fundamento inniteretur tanta illa certitudo, quòd ipsi id diceretur à DEO, ísque illam alloqueretur, invenit eam in tribus his præcipuis rebus fundari.

V. Primò, quòd illa loquela sit conjuncta cum tanto lumine & cognitione intellectuali proveniente à DEO, ut id quasi evidenter percipiat. Secundò, quòd illa Veritas Divina adveniat cum quadam eminentia & superioritate excedente omnes alias veritates, probatas ab Angelis, vel à nostro spiritu, aut dæmone, absque ulla comparatione: & longè evidentiùs superet mendacia. Tertiò, quòd illabatur lentissimè & suavissimè, atque unà sic Animam occupet, ut illius judicio sit conformis, eámque sibi subjiciat tam firmiter, ut etiamsi haberet libertatem resistendi, moraliter tamen non videatur posse aliter facere, quàm se illi submittere, propter dulcedinem ac suavitatem, quâ afficit Animam.

VI. Alia signa refert alibi desumenda ex fine & affectibus, quos operantur, licèt sint verba admodum delectabilia & honorifica. Nemo, inquit, cogitet ista interna alloquia & verba, quæ DEUS dicit alloquens animam ità proferri, ut ipsam turbent vel dimoveant à cognitione suiipsius, in qua eam DEUS per suam misericordiam conservat, aut à sancto illius Timore. Sicut enim proferuntur cum infinita sapienta & potentia, ità sunt plena ejusdem sapientiâ & pace, ac solatio, suavitate, ac dulcedine & amore, relinquúntque Animam quietam & pacatam, humilem & plenam sui cognitione, hilarem, & contentam: auferunt timores ac dubia, quæ habebat, & replent ipsam amore DEI, novísque desiderijs illi placendi, ejusdémque amandi. Aliâ vice intellexit à DEO unum ex maximis indicijs, pro agnoscendis veris visitationibus, allocutionibus, & revelationibus esse, si ij, qui illas assequuntur, & habent, easdem recusent, ac tergiversentur, quando ipsis adveniunt: quales contrà non essent, si illas desiderarent, & ijs delectarentur.

VII. Quapropter ista Famula DEI, hac in re prorsus stupenda fuit, propter notabilem repugnantiam, quâ refugiebat quidlibet extraordinarium, non acceptando quidquam tale, nisi quodammodo coacta; adeò ut ipsamet aliquando interrogaverit (Anno millesimo sexcentesimo decimo quarto) nostrū Sanctum Patrem Ignatium, an in hoc committeret excessum; & Sanctus illi responderit affirmativè, eò quòd dum Anima ex DEI misericordia, purè desiderat ipsi placere, habétque tam claram cognitionem de sua familiaritate, cum Divina Majestate & Sanctis, non sit, cur adeò timeat ac resistat: quamvis aliquantum timere & resistere semper sit bonum, saltèm ut magis satisfiat Confessario, à quo regitur.

CAPUT

CAPUT X.

De vera atque perfecta virtute, itémque de falsa & fucata.

I.

NArrat Venerabilis Marina Part. 1. lib. 5. cap. 22. se jussam à DEO, ut ex Libro Sapientiæ DEI exscriberet Tractatum, in quo aliquid doceretur, & exponeretur de statu virtutum, & qualisnam sit vera virtus & perfecta; qualis verò non adeò perfecta; qualis item fucata, & apparens; ac secundùm hoc quomodo possint dignosci revelationes DEI, factæ alicui Animæ ab illis, quæ sunt falsæ & apparentes, provenientes à diabolo ac imaginatione, sequenti modo, cap. 23. Mota à DEO Domino nostro, & ipso jubente ac volente, sinè cujus jussu ac voluntate miserabilis Muliercula, qualis ego sum, tam rudis & insufficiens non potest tantum præsumere, ut quidquam loquatur, & scribat, neq; par est, ut sit usque adeò audax; dicam hac de re, id quod me Dominus docuerit, cùm ad hoc præstandum non habeam alios libros, neque alium Doctorem, quàm Divinam Majestatem. Quantum igitur illuminata à DEO intelligo, dico, quòd quemadmodum est reperire aurum falsum & purum, & hoc ipsum purum aurum aliud est perfectiùs & præstantius alio, ità se habeant virtutes. Imprimis enim invenitur virtus falsa & apparens sicut aurum falsum, quia licèt Anima sit plena vanitate, ac inanitate, vult tamen præseferre ac præsefert falsam quandam & apparentem virtutem, de qua mihi non est animus hoc loco multum differere: qualis enim causa, talis quoque erit illius effectus, & plerumque erit vanitas, ac mendacium, utpote proveniens ab Anima vana, ac plena illius falsæ virtutis.

II. Prætermissâ itaque istâ, volo agere specialiùs de alia, quæ

quæ licèt non sit falsa, non est tamen etiam ex ijs, quæ mereatur nomen auri obrizi, & est virtus quædam quasi naturalis, propter id, quod habet admixtum, quasi aurum, quod non est omninò purum. Reperire verò illam est in nonnullis Animabus, cujus principium ac fortè etiam perfectio oritur ex natura, cum qua DEUS Animam condidit, adeò ut hæc illius solius ductum sequatur, nihilque proprio suo conatu acquisiverit, vel acquirat, neque sit quidquam lucrata; verùm vitam agat tepidam, operetúrque duntaxat secundùm naturam, quâ est à DEO prædita, non utendo ipsâ bene, ut illâ adjuvante assequatur perfectum amorem DEI, neque cum ex naturali virtute, quam ipsi DEUS contulit faciendo opera, quæ non tam ex perfecto procedunt amore DEI, quàm ex bona natura & propensione. Anima hanc solam habens virtutem non est sufficienter disposita, ut DEUS in ea operetur istas speciales misericordias, de quibus nobis est sermo: ideóque si quis habuerit hanc virtutem, & cum illa expertus fuerit hujusmodi inusitatas gratias, de quibus loquimur, equidem illis non multùm credidero. Istam verò virtutem esse quasi naturalem, & imperfectam, neque ortam præcipuè ex perfecto amore DEI, intelligi potest ex eo, quòd hæc Anima per omnem vitam sibi maneat similis, eodemque procedat passu, absque ullo progressu, aut profectu in virtute, & perfecto DEI amore, quódque nunquam habuerit, nec habeat vincendas difficultates, sed neque sui ipsius cognitionem, quæ illam immutet & convertat, atque animet ac incitet ad emergendum ex sua tepiditate & socordia, ac ad progrediendum ut cum ea naturali assequatur perfectam virtutem & amorem DEI, quo caret. Ex his & alijs hujusmodi poterit cognosci imperfectio istius virtutis.

III. Præterea reperitur & alia virtus quasi naturalis, quamvis diversa à præcedenti, quæ inclinat, & naturaliter reddit benè affectam Animam erga bonum & omnem virtutem: adeò ut

reve-

reverâ illam inquirat, ac optet prorsus seriò. Cùm enim virtus sit secundùm se tam bona, ac amabilis, ut æstimetur à quocunq; animo bene disposito, & prædito bonâ naturâ ac judicio, fit, ut is, qui hanc bonam habet naturam, interdum illius ductu sectetur virtutem, & quidquid illi videtur bonum, magno conatu, ac promptissimè, eóque ampliùs, si unà adsit (quemadmodum forte plerumque accidit) quidam naturalis appetitus: atque ut id faciat cum intimo ac secretissimo quodam desiderio proficiendi ac progrediendi altiùs, assequendique & possidendi quidquid exoptat, ac putat esse bonum, vel consentaneum rationi: unde fit, ut tum virtutem longè desideret efficaciùs & ardentiùs. Inter alia verò indicia, ex quibus possit intelligi hanc virtutem non esse ex ijs, de quibus agimus, quæ sunt instar puri & præstantissimi auri, est istud. Si ista Anima usque adeò propensa in id, quod optat, quamvis sit vel appareat esse virtus, & aurum purum, ut pro eo, quod cupit, obtinendo, videatur confici; si, inquam, advertat id à se tam vehementer ac immoderatè appeti, ut propterea vivat afflicta, inquieta, ac desolata; seque ullo nunquam solatio frui vel pace internâ.

Ut verò possit is, cui incumbit cura talis Animæ, ejúsque directio, cognoscere affectum, & re conditum ipsius statum (quamvis solus DEUS sufficiat ac possit illum re ipsâ & verè penetrare) advertat, an eadem Anima se interdum affectu & voluntate affigat, quibusdam rebus aut alicui præter virtutem, quamvis non sit mala, qualis est amor alicujus rei specialis, sive sint divitiæ, sive honor, sive propensio erga cognatos, vel aliud quid simile. Si aliquid ejusmodi adhæret tali Animæ, signum est, quòd bona illa natura, de qua loquimur (quamvis ex se sola non habeat veram virtutis substantiam) etiam non excludat istum defectum desiderij & appetitûs immoderati, quo fertur in id, quod concupiscit & vellet consequi. Quando hæc virtus est, ac reperitur in Anima, & ipsa existimat, ac dicit se visitari

à DEO & ejus Sanctis, fruique eorum alloquio, ego mihi non persuadeo id esse verum.

IV. Alia virtus invenitur, quæ est verè perfectissima & instar illius purissimi auri, quod æstimatione nostrâ est omnium præstantissimum. Hanc autem habet Anima, cui ipsam DEUS est dignatus dare, & impertiri istud tam excellens & pretiosum cimelium. Hæc virtus respicit solum DEUM, & perfectissimè ad eum tendit, propterque ipsum operatur, & in eo solo conquiescit, illum solum habet præ oculis, ac ad eundem ex intimo corde fertur suis desiderijs, atque affectibus. In quo modo exequendæ & exercendæ virtutis, nullum videtur habere locum bona natura, vel quidquam aliud, quòd Animam possit incitare ad peragenda ea opera, & actus virtutis, præter solum DEUM ipsius ac Dominum, qui jam illam, quasi domum suam possidet, ideóq; ab illo procedunt ejusdem Animæ desideria, & ad ipsum revertuntur.

V. Quòd si aliquando opera diaboli, vel ex motu corruptæ ac vitiosæ naturæ nobis congenitæ, quam semper nobiscum ferimus instar gravissimæ crucis, quantumcunque illam velimus refrænare, ac domare, fuerit suscitatus in hac Anima aliquis terræmotus tentationum & adversitatum, ut eo tempore omnia susque deque videantur verti, & natura satagat pro domo sua, atque alio modo videatur velle imperare, & subinde assequi suum finem in quibusdam regulis, ac præter fas, à pedibus modicùm esse progressa ad manus. Quando, inquam, istud evenerit in hac Anima virtuti dedita, quæ ità stabiliter inhæret suo DEO, non propterea cogitandum est, eam virtutem non esse perfectam, aut non esse bene fundatam in Anima, quæ potiùs procul dubio indè evadet firmior ac securior, perfectior, atque fortasse gratior oculis sui DEI, & Domini, per pœnitudinem ac dolorem de admissis peccatis, & clariorem cognitionem suæ miseriæ ac vilitatis, nec non bonitatis DEI, qui illam tolerat & non punit.

VI.

VI. Atque unum è veris signis quæ haberi possunt, pro agnoscenda vera virtute, est hoc, si per DEI misericordiam & ipso adjuvante elicit fructum prædictum ex defectibus, in quos labitur pro sua miseria, & quidem subinde, ac sæpe DEO id permittente ad majus bonum hujus Animæ, quam Divina Majestas tantopere amat. Unde utiliores aliquâ ratione existimo esse hos defectus, quia DEUS ex ipsis frequentiùs, pro sua bonitate ac sapientia, elicit exsuperantiam bonorum, quam ex illis quasi excessibus virtutis, de quibus loquebamur earum Animarum, quas non movet tam perfectè ad operandum solus Amor DEI, sed illæ causæ, & natura, de quibus nobis sermo fuit.

VII. Aliud signum veræ virtutis & perfecti amoris DEI, est, quòd Anima, quæ illam habet ac possidet nunquam affectu adhæreat ulli rei terrenæ, sed omnia substernat pedibus, solúsq; DEUS ipsius & Dominus sit illius bonum ac divitiæ, & principium in omnibus rebus, atque ultimus earum finis. Dico autem affectu: Quia poterit ubique fieri, ut patiatur aliquos insultus, quibus tamen non prosternetur, & licèt modicùm attenuetur, divinâ nihilominus gratiâ subveniente non conquassabitur.

CAPUT XI.

Quænam Virtus ac Dispositio requiratur in Anima, cui Divinæ fiant Revelationes.

I.

PRosequitur Venerabilis Virgo Marina suum cœlitus inspiratum Tractatum par. 1. lib. 5. c. 22. §. 2. applicando scientiam de natura virtutum ad deprehendendam veritatem sincerarum revelationum, his verbis.

Declaratis jam his virtutibus, earundémque discriminibus, dicam modò divinâ aspirante gratiâ, quod mihi magis propositum est, magísque vult DEUS.

Imprimis quod attinet ad primam falſam & apparentem virtutem, de qua ſum locuta, non eſt, cur tempus in ea exponenda tereatur, quia, ſicut dixi, quidquid provenerit ex mendacio & vanitate, plerumque erit mendacium & vanitas, niſi aliquid accidat inſolitum, eò quòd infinita Sapientia DEI, vellet ex ſuis incomprehenſibilibus judicijs ſe manifeſtare, & communicare, ac pandere ſuum ſecretum, ob ſublimem aliquem finem, illi Animæ miſerabili, & exoſæ ejus oculis, propter ipſius peccata, & vanitates; quemadmodum Divina Majeſtas egit cũ Sancto Paulo perſecutore ſuæ Eccleſiæ: adeóque ſi DEUS aliquando tale quid fecerit, quantocyus apparebit, ipſum eſſe Authorem iſtorum mirabilium, & hujus operis, ex effectibus, quos producet in ea Anima; id quod fiet, quando illam illuminabit, ut ſe cognoſcat, & emendet ſua peccata ac vanitates, amplectatúrque effectum, & ſubſtantiam boni in eo, quod ipſi eſt revelatum ac dictum nomine DEI.

II. Quod concernit virtutem quaſi naturalem, quam dixi reperiri, & eſſe in quibuſdam Animabus ab ipſo earum exortu (quæ eſt ſpecialis miſericordia, quam illis DEUS præſtat, dum eas creat cum illa bona natura, quæ eſt excellentiſſima diſpoſitio, pro perfectè exequendis operibus, ſpectantibus ad ipſius honorem, modò illâ ſcirent bene uti) dico me non exiſtimare, eſſe ſufficiententem diſpoſitionem iſtius Animæ, quod jam dixi, ut DEUS illam viſitet, vel in ipſa peragat hæc peculiaris miſericordiæ opera, de quibus loquimur: atque ſi dicat ſe eas habere, ego illi non multùm credo, quia ordinariè ſe communicat DEUS ejuſmodi Animæ, ità ut ipſi det inſpirationes, quibus incitata progrediatur proficiendo in virtute, emergátque ex ea ſocordia in qua vivit, & conetur utendo ſuâ bonâ naturâ, tendere ad aſſequendam verè perfectam virtutem, & perfectum amorem DEI; dabit quoque illi Divina Majeſtas frequenter magnum guſtum ac ſuavitatem in meditatione & ponderatione

my-

mysteriorum sanctissimæ ipsius vitæ & mortis, ídque tantùm ideò faciet, ut illam juvet pertingere ad finem, quem Divina Majestas desiderat. Siquidem enim illam DEUS amat, amavítque jam indè ab initio, & propter hunc amorem, quô erga illam ferebatur, ipsámque propter suam bonitatem, respexit oculis misericordiæ suæ, ut illi daret istam bonam naturam ac dispositionem pro majore ipsius profectu: nihil dubito, quin eandem sit semper adjuturus istis suis gratijs, ut hac ratione bene afficiatur erga Divinam Majestatem, atque erga id, quod est perfectius in virtute: qui est usitatior modus, quo se DEUS tali Animæ communicat. Alia verò ista specialia timeo, nè abludant à verò: sed quia non est admodum perfecta, nec habet tantam cognitionem tum sui ipsius, tum magnitudinis, ac sapientiæ divinæ, & experitur sibi fieri illam gratiam interdum à DEO, de qua loquor, sumit indè fortassis occasionem, quia non est adeò sapiens, & parùm intelligit, dandi locum imaginationi, sibíque persuadendi, eam, quæ est visio imaginaria, esse intellectualem, & spiritum proprium esse spiritum DEI; atque etiam diabolus conatur se hìc ingerere, quàm maximè potest: quorum nihil fieret, si haberet veram cognitionem tam necessariam. Videret, tum & cognosceret se non mereri, nec esse dignam istis honoribus, vel his visitationibus, & allocutionibus divinis, neque etiam ipsi tali modo convenire: sed procedere quoad rem præsentem viâ ordinariâ.

III. Hoc mihi videtur de statu istarum Animarum, loquendo in genere, & sicut ordinariè solet fieri: quia nihil volo dicere de casu aliquo extraordinario divinorum judiciorum: atque si is eveniret existimo non defutura indicia clarissima, per quæ agnosceretur esse DEUS Author operis ex ijs, quæ in tali Anima ageret, vel per alia bona, quæ indè resultarent. Tamen licèt sit hoc verum: & ego ità esse credam, audeo affirmare, me citiùs de bonitate DEI credituram, lòqui; & locuturam

Divinam Majeſtatem illi Animæ ſeductæ, de qua diſſeruimus, propter aliquem valde ſublimem ac neceſſarium finem; quàm iſti, de qua nunc ago, idque ob duas rationes. Una & præcipua eſt magnitudo divinæ bonitatis, propter quam dignatur Divina Majēſtas oculis miſericordiæ reſpicere illam Animam perditam, ideóque indignam ipſius gratiæ ac miſericordiæ, quæ abſque tali divina vi, taliterque operante potente manu DEI, procul dubio periret, maneretque perpetuò immerſa illis ſuis miſerijs, & mancipata diabolo. Altera ratio eſt, quia æquum eſt, ut Divina Majeſtas ſubinde tam magna opera faciat, pro animandis & conſolandis peccatoribus, ac imbecillibus: idémque conducit ad majorem ipſius gloriam, ut hac ratione agnoſcatur magis ejus bonitas & potentia infinita, ac magnitudo & omnipotentia, quâ poteſt quidquid vult, & abſque ulla aliorum injuria, alijs præſtat magnas gratias; quæ omnia non ità habent locum in ſtatu harum Animarum, de quibus modò ſum locuta. Ac proinde ùt eſt DEUS tam ſapiens ac bonus, exiſtimo & credo, quòd ſua opera peragat, ubi ſunt magis neceſſaria, ac proficua Animabus, & ubi ex illis derivari poteſt majus bonum in mundum, atque major gloria in ſuam Majeſtatem.

CAPUT XII.

Quomodo oporteat eſſe diſpoſitam Animam, ut DEUS ſe illi communicet loquatúrque internè: & de varijs gradibus, per quos ipſam ducit.

I.

INſtruit Animam piam DEO devotam, in hoc pulcherrimè Venerabilis Marina part. 1. lib. 5. cap. 24. §. 2.

Poſtquam Anima ſe collocaverit ad pedes ſui DEI, ac Domini, illique obtulerit Sacrificium ſolidarum, & perfectarum virtutum; & poſtquam per divinam Bonitatem jam nihil videtur

tur intercedere inter DEUM & ipſam, eò quòd ſit illi ſubjecta, ſubdita, & obediens, ac diſpoſita ad omnia, quæ DEUS ipſius & Domiuus ei voluerit dare, ac præſtare, diſponereque de illa quoad crucem, afflictionem, ac dolores, vel ſolatia, & gaudia, ac ſuavitatem: ille verò ipſam reſpiciat oculis paternis, amando illam, & bene ei volendo, tanquam filiæ & ſponſæ, recreando eandem & conſolando ſicut decet talem bonum ac magnificum Dominum, proſpiciendo illi in omnibus neceſſitatibus, ipſámque adjuvando: poſtquam, dico, Anima eſt in hoc ſtatu virtutum, per divinam Bonitatem & Gratiam, atque Dominus illi ſe communicat, & pandit ſua divina ſecreta ac myſteria clarè & ſpecialiter ipſam illuminando, debet Anima in ſuo peculiari exercitio orationis, quando occludit portas omnibus creaturis, & ſola agit cum ſuo DEO, offerre ipſi ſuum exercitium orationis, & meditationis, gratiarum actionis & contemplationis, ac cætera quæ nos docent Sancti. Hâc enim viâ nobis ingrediendum eſt, donec Dominus nos incipiat alloqui, ducâtque Animam, quò voluerit, oblatis ipſi omnibus in puriſſima aurea patina humilitatis, & cognitionis propriæ noſtrarum miſeriarũ, quæ virtus admirabilis plerumque in hoc ſtatu non acquiretur ſolâ conſideratione, ſed promanabit à lumine interno, communicato ipſi à DEO. Hæc eſt magni momenti ac pretij.

II. Debet Anima ingredi intimum & ſecretum conclave DEI libera, & expedita à deſiderijs rerum mirabilium, & ſupernaturalium, ſubmittendo ſe ſimpliciter ac ſincerè Domino DEO, ut faciat & operetur in illa, quod voluerit, ipsique bonum factu viſum fuerit; neque debet in ſuo exercitio ſubſiſtere ex propoſito, vel in eo ſe deſidiæ dare, ut audiat & auſcultet DEUM, an loquatur: quando enim DEUS id vult facere, & ſe taliter communicare, ſeu in viſione, ſeu in revelatione, plerumque præmittit quoſdam quaſi nuncios ad Animam, quòd illi præſtare velit aliquam extraordinariam gratiam, ut propterea ſubſiſtat,

&

& auſcultando attendat, quid illi dicatur vel exhibeatur. Præterea concedit DEUS ſæpe moram Animæ humili, ac religioſæ, ut ſe excuſet, dicátque ſuo DEO, ſe malle in exilio pati, quàm gaudere: neque unquam hac viâ perditur DEUS. Sicut enim ipſemet eſt, qui hoc docet. ità ſe ipſe donat, & communicat Animæ abundantiùs: éſtqne mirabile, quod hac in re Divina Majeſtas facit & operatur, pro divina ſua voluntate. Videtur rogare, & offerre amanter donum, atque dum ſe Anima excuſat, infert ipſi quandam amabilem & ſuaviſſimam vim, quà illam ſibi reddit obſequentem.

III. Aliàs ingreditur DEUS in Animam, tanquam Dominus, ùt eſt, ſuæ domûs, mandando & prohibendo, ùt ajunt, dicendóque ſuaviter: hoc tibi eſt faciendum, vel hoc audiendum aut hoc eſt videndum, vel iſtud intelligendum. Tunc Anima eſt ſubjecta, & ſubdita, obediens, abundans ſolatio, & corroborata ad omnia, quæ vult DEUS.

Hucúſque explicat Venerabilis Marina, quomodo procedatur cum Anima tempore conſolationis, mox explicat ejuſdem Animæ tempus deſolationis his verbis: Et quia dixi, quid fiat in hoc felici ſtatu Animæ, in quo ſe DEUS communicat, alloquiiſque ſuis divinis Animam dignatur, & ſe illi manifeſtat, ſuaque divina ſecreta, ac myſteria pandit, & exponit; volo etiam dicere ad majorem ipſius gloriam, juxta id, quod à DEO ſum docta & ipſo donante experta ob ejus bonitatem, in quali alio ſtatu ſe DEUS communicet Animæ, eidémque ſe modo prædicto manifeſtet, ac oſtendat.

IV. Dico porrò, quòd poſtquam eſt egreſſa Anima, DEI adjuvante gratiâ, ex terra Ægypti, & ex poteſtate Regis Pharaonis, qui eſt diabolus, noſter adverſarius, & pertranſivit mare rubrum, atque jam eſt in via, quæ ducit ad beatam Terram Promiſſionis: poſtquam præterea multum paſſa eſt in eadem via vigilando & pernoctando in cuſtodia ſui ipſius, obtinuitq;

& com-

& comparavit cum DEI gratia, & sudore ac labore manuum suarum pretiosissimum thesaurum perfectarum, & solidarum virtutum, veræ mortificationis passionum, & contemptûs sui ipsius, ac abnegationis propriæ voluntatis, amando crucem CHRISTI, eámque ex corde amplectendo: & postquam per hanc viam regiam continuæ orationis pervenit ad cognitionem DEI, pro sua capacitate, atque ad ipsum possidendum & amandum perfectè; Dominus autem cum illa agit, sicut cum filia, sponsa, & amica sua, séque ei communicat, ipsam alloquitur, & docet multis ac diversis modis; & postquam illam Divina Majestas jam non tractat instar infantis, lactando illam semper suis uberibus, fidítque illi, ac potest fidere majora & mirabilia, ùt sunt derelictiones, desolationes, òbscuritates, ac tenebræ spissiores, & obscuriores, quàm fuerint Ægyptiæ, quæ poterant palpari manibus: postquam etiam Dominus fidit tali Animæ derelictæ à DEO, secundùm opinionem hominum, ut pendeat inter cœlum ac terram, quin possideat istam, & fruatur illo: & postquam DEUS permisit ex sua infinita Bonitate, atque pro majori bono ac emolumento hujus talis Animæ, ut omnes ipsius hostes consurgant contra illam, eámque persequantur, ac affligant, nec non passiones ipsius vel inclinationes naturales atque rebelles delinquant, ùt videtur; id quod tamen jam in isto statu non accidit, in quo hæ passiones non erunt indomitæ, cùm jam sint mortuæ. Quando Anima est in hoc statu, & progressa est ultra primum, de quo sum locuta, communicat se tali Animæ DEUS, loquitur illi, & manifestat se ipsi hunc in modum.

V. Ordinariè non sunt hæ visitationes, alloquia, & illustrationes, ac revelationes, quas Dominus DEUS isti Animæ communicat, longæ, neque diuturnæ, sed breves, & modico tempore durantes, non quòd propterea sint minores, aut minora mysteria, sed quia DEUS agit compendiosè & strictim, docétque Animam intrà breve tempus. Dixi autem, *ordinariè*:

quia, ut DEUS est infinitus ac potens, ità potest facere ac variare sua opera, quando & sicut voluerit, fueritque ipsius sanctissima voluntas. Semper Divina Majestas præmittit, qualiter dixi fieri in altero statu, nuncios, ac indicia, ut præmoneat se venire cum suis divinis donis, & plerumque præstat istas gratias, quando Anima nihil minùs cogitat, quàm ut illas suscipiat, multóq; minùs quòd illi sint præstandæ. Siquidem enim non habet suum DEUM vicinum, sicut solebat, tantúmque ipsum retinuit in intimo recessu cordis (nam indè nunquam se absentat, nisi ob aliquam culpam) ubi Divina Majestas per suam Bonitatem commoratur, estque unita Animæ, id quod ipsa experitur etsi arcanissime, ut ità possit pati sinè solatio: ideo Anima est quàm remotissima ab eo, ut cogitet de his donis, & illa expectet. Venit nihilominùs Divina Majestas ad illam, alloquitur ipsam, séque ei communicat, quando maximè est afflicta & turbata, desolata, ac oppressa à suis inimicis: tunc enim plerumque loquitur DEUS, & instar boni Pastoris sibilat suæ ovi, quia eam cognoscit, & ipsa cognoscit illum.

VI. Effectus admirandi, quos istæ misericordiæ DEI operantur in Anima, quæ in hoc statu versatur, sunt prædicti, præter alios multos, quos nescio explicare neque intelligere. Istæ Misericordiæ divinæ sunt huic Animæ, non lac dulce infantium, sed cibus & victus grandium: non sunt illi solatium, levamen, & gaudium, sed fortitudo ac virtus in ipsius pusillanimitatibus, & exanimationibus; non sunt porta patens, ut per illam contempletur Beatitudinem, sicut solet facere in altero gradu, sed murus fortissimus, & præsidium pro impediendo ingressu hostis: non sunt Animæ ornamentum & obtutus sponsorum, sed clypeus & scutum pro defensione adversùs ictus, & invasiones hostiles: ac tandem non sunt gustus nec suavitates, neque dulcedo palato Animæ, sed auxilium, virtus, ac robur illius.

VII. Istæ misericordiæ DEI non adferunt Animæ ordinariè

nariè (quia quod est insolitum, ùt dixi, relinquimus DEO, qui omnia potest, & juxta id quod ordinariè fit, nos debemus dirigere ac dicta intelligere) elevationes, raptus, ecstases, atque alia hujusmodi: imò videtur per breve temporis spatium Anima quodam̃odo oblivisci & esse im̃emor sui DEI ac Domini, tantùmque retinet virtutem & fortitudinem, omniaque cætera bona, quæ dixi, sicut contingit homini mortificato, quo comedente cum exiguo gustu, corroborantur & confortantur ipsius membra. Neque debet Anima in hoc statu multùm tergiversari, ac reluctari, quando advenit DEUS cum his suis divinis donis: etsi enim hoc sit laudabile in altero statu, neque propterea perdatur DEUS; ibi enim expedit, ut reluctetur Anima tanquã indigna; hic autem, ut amplectatur confortationem ac medicinam tanquam debilis, & quasi infirma: ac proinde dico, quòd debeat Anima humiliter ac reverenter, & agnoscendo suam nenecessitatem ac voluntatem DEI, amplecti & suscipere istas misericordias ac dona DEI. Cogitet quoque, & credat hoc DEO placere, idque ipsum velle ex sua bonitate ac misericordia, & pro ipsius bono, auxilio, & corona.

CAPUT XIII.

De variis modis, quibus se DEUS supernaturaliter communicat Animabus, & quibus ipsæ illum in ista communicatione cognoscunt.

I.

PRo eo, quod Venerabilis Marina de Escobar in se ipsa est experta, conscripsit DEO inspirante varios modos, quibus Divina Majestas se communicat supernaturaliter Animabus, & gradus seu scalas, quibus ad illos progrediuntur, unaque modos, quibus ipsæ DEUM in ista communicatione cognoscunt. Atque in his omnibus adumbrabat se ipsam, ac de-

depingebat id, quod illi eveniebat in duplici ſtatu viæ, quà illam DEUS ducebat, quando imprimis quidem proſpero utens vento abundavit ſolatijs ſpiritualibus; poſtea verò fuit paſſa varias, ac diuturnas afflictiones pro ſua majore corona. Sic igitur Par. 1. l. 5. c. 24. habet:

De quatuor modis ſupernaturalibus, quibus ſe DEUS communicat Animæ.

II. Primus modus, quô ſe DEUS ſupernaturaliter communicat Animæ (quantum cum Divinæ Majeſtatis gratia intellexi, & ex ipſius bonitate ſum experta) eſt loquela quædam interior ac divina, quæ ſonat in auribus, & auditu ſecretiore ac ſuperiore Animæ, ubi per divinam gratiam, & per ſupernaturale lumen ſibi à DEO communicatum, ipſum cognoſcit, valde diſtinctè, verè ac vivaciter.

Secundus modus eſt cognitio clara, & manifeſta, quoad DEUS vult, & eſt ſanctiſſima ipſius voluntas, ut Anima & pars illius ſuperior illuminetur, quâ videtur, cognoſcitur, ac intelligitur in eo ipſo Domino, admirabiliter illa veritas, & myſterium; quæ veritas remanet in tali Anima quaſi inſerta, & impreſſa valde, clarè, verè ac firmiter, ac ſi in molli cera remaneret figura ſigilli in illam impreſſi.

III. Hic modus eſt admodum divinus, excellens & ſublimis. Eſt & tertius modus, quando DEUS quaſi explorat intimos receſſus Animæ, atque ità incipit illi inſinuare aliquam veritatem, vel myſterium, quod ipſi Divina Majeſtas vult manifeſtare, & exponere fuſiùs per ſuos Sanctos Angelos: quâ illuminatione & exploratione perfectè diſponitur, ut audiat, intelligat, & cognoſcat, quid loquantur, ac annuncient illi Sancti Angeli, & quæ myſteria nomine DEI velint ipſi indicare, pandere, & exponere. Sicut contingeret cuipiam Viro gravi & prudenti, qui clarè perciperet, cognoſceret, ac intelligeret, ſibi à Rege Domino ſuo præſtandam aliquam gratiam & favorem: ideóque ſe

dif-

disponeret pro eo suscipiendo, cum gratiarum actione, & cæteris requisitis, ad audiendum, percipiendum, & intelligendum, quid Regia Majestas illi sit mandatura, ab eo petitura, & ad quid agendum sit usura ipsius operá: itá fit, & se res habet, in hujusmodi gratia & misericordia, quam DEUS præstat Animæ.

IV. Quartus modus est lumen & cognitio specialis, quam CHRISTUS JESUS Dominus noster dat, & communicat Animæ, quando dignatur ex sola sua bonitate & misericordia illi revelare aliquod mysterium suæ Passionis, Resurrectionis, vel Ascensionis, aut Infantiæ suæ, similiúmve rerum, quo lumine habito, & cognitione videt, cognoscit, ac intelligit admirabili modo, in eo Domino dolores, quos est passus in eo mysterio, quod illi manifestatur, aut gloriam Resurgentis, vel Ascendentis, vel alia mirabilia concernentia ipsius Infantiam. Quamvis autem tertius & quartus modus, quos hìc refero, videantur esse potiùs speciales gratiæ, quas DEUS exhibet Animæ, in sua divina & mystica communicatione, quàm distinctus modus se communicandi, invenio tamen, nescio quid distinctionis, ac differentiæ in hoc, quòd DEUS ità doceat Animam, ut videatur somniare, intelligatúrque esse modus communicationis potiùs, quàm specialis gratia à Divina Majestate Animæ præstita.

CAPUT XIV.

De modo, quo se DEUS communicat parti superiori Animæ sinè imaginibus aut figuris, inferiori autem per has figuras & imagines; & qualiter illas diabolus possit imitari.

I.

PArs superior nostræ Animæ (loquitur Venerabilis Marina par. 1. l. 5. c. 25. §. 1.) quò non potest ingredi diabolus, neque ulla creatura, est pars nostri intellectûs, quæ

est illuminata à DEO, sempérque illum intuetur, & res spirituales. Hæc est pars, in qua DEUS per seipsum patefacit Animæ, & explicat suas veritates ac mysteria, atque suas perfectiones, collustrans illam quodam superiore lumine ità, ut sinè imaginibus, vel figuris aut alloquijs ipsam reddat capacem, & ei imprimat, ac infundat eam veritatem aut mysterium, quod ipsam docet, suæ Divinitatis, vel suorum divinorum attributorum, ac mysterij Sanctissimæ Trinitatis, nec non Humanitatis CHRISTI Domini vel Divinitatis, ipsiusque Incarnationis, vel Nativitatis, aut sanctissimæ Passionis, aut Resurrectionis, aut cujuscunque reliquorum mysteriorum sanctissimæ ejusdem Vitæ vel Mortis: atque hoc facit sicut dico, sinè imaginibus aut figuris: sed exponendo illi veritate illâ mysticâ, & lumine superiore excellentiam, valorem, ac thesaurum bonorum, quæ continentur in eo mysterio: quo lumine habito Anima & intellectus illustratur cognitione adeò profundâ & sublimi, ut illi nihil possit obumbrare, vel obscurare eam veritatem, ac mysterium, quod DEUS ipsam docuit, & ipsi manifestavit eo modo superiore ac divino. Hæ sunt visiones superioris & intellectualis partis Animæ.

II. Modus tamen usitatior, quo DEUS ingreditur intimum recessum Animæ, ut ei præstet dictas gratias, est, exhibere illi in parte ejus inferiore, quæ est imaginativa, portam quandam regiam, seu pontem speciosum imaginum, & figurarum, quem ipse DEUS fabricavit, ut illac transeat Anima, & intret ad Civitatem DEI, atque ad videnda ipsius magnalia ac mysteria. Et quamvis sit verum à diabolo, permittente id ipsi DEO, posse efformari aliquam figuram vel imaginem falsam simulante veras imagines divinas; ità DEUS tamen custodit, adjuvat ac illuminat Animam, puram, castam, & humilem, ac fidelem suo DEO, quæ nihil aliud quærit aut vult, quàm ipsum, ut statim agnoscat ac advertat hostem proditorem, ideóque ipsi occlu-

cludat in conspectu portam, de qua diximus imaginum ac figurarum.

III. Ut perveniatur ad istam portam, solet adesse alia, eáque aptissima, & est, quam ipsamet Anima, cum gratia & auxilio DEI sibi in sua imaginatione, ac parte inferiore fabricat, dum tendit ad præsepe, & ad montem Calvarium, atque ad sepulchrum, ubi per considerationem tantorum mysteriorum, & repræsentato sibi Infante JESU, ac Sanctissima Virgine ejus Matre, vel CHRISTO Domino crucifixo aut sepulto, aliisve similibus mysterijs, elicit indè pro se admirabiles ac altissimos affectus, & est optimè disposita pro suo profectu, atque ut perveniat ad majora; & magnopere delectatur DEO, cui multùm placet, quòd Anima incipiat à tam bonis ac proficuis principijs: atque, si scit ijs bene uti & cooperari, præstabit ipsi hac viâ Dominus magna bona deducendo illam ad secundam portam, ac introducendo deinde in suam civitatem.

IV. Deinde eadem Venerabilis Virgo alios modos, quibus se DEUS communicat Animæ, explicat §. 2. Quâdam nocte mihi dixit Divina Majestas: Considera, quàm sublimi modo me communicem Animæ, hac ratione: Intellectus ipsius & pars superior se habet more ordinario & naturali, qualiter ego illam creavi, & sæpe venio ad illam obscurè; deinde radijs divinis mei luminis eam inflammo, ac illumino, & clarifico illum ipsius Intellectum, ac partem superiorem; per quod lumen divinum ipsi patefacio, & illa videt mysterium, vel veritatem, quam ego volo, & est mea voluntas, ab ipsa sciri, ac intelligi, fierique aliquid vel dici. Unde frequenter provenit alius modus communicationis, qui est quædam loquela divina, quâ ego loquor Animæ, & quæ sonat in ipsius interno ac secreto auditu. Hi duo modi comunicationis sunt altissimi & sublimissimi, multóque magis prior, unde illa superior Animæ pars illuminatur & collustratur divinâ luce, ejusdemq; radijs, sicut ferrum, quod pro-

prodit ex ustrina tam occupatum & accensum ab igne, operatúrque talia, eò quòd impositum ustrinæ participaverit ignem.

V. In visionibus verò, quas ego Animæ longè istis inferiores exhibeo, quæ contingunt in imaginativa, ubi illi ostendo & revelo mysterium, Sanctum, vel Angelum, aut aliquid aliud, quod volo, præter lumen quod do Animæ, ut cognoscat illa mysteria, & veritates, quas ipsi manifesto (id quod in ijsdem videt & cognoscit, tanquam in claro speculo) soleo dare Animæ aliam illustrationem superiorem, & cognitionem earum veritatum, quæ est quasi confirmatio prioris luminis, quod ei contuli: & ostendo ipsi quasi digito, ac dico: Ista, quæ vides, sunt veræ visiones, & vera mysteria. Atq; in hoc modo communicationis rarò permittam dæmonem sese immiscere. Istis modis communicationis, maximè verò priori, Anima summè acquiescit, & agnoscit illas veritates, ità ut etiamsi timores Animæ ipsam tentent contristare, ac dejicere, semper prævaleat, firmitérque inhæreat ei veritati, quam DEUS custodit & conservat in Anima.

VI. Solet se DEUS quoque communicare Animæ taliter: illuminat Animam, & pandit illi quodpiam mysterium, vel aliquid, quod vult ab ea fieri, aut dici, ad eum quasi modum, de quo egi ad initium in prima communicatione, concedítque Divina Majestas in ista communicatione locum intellectui congenito, auferendo ipsi reliquias alicujus defectûs naturalis, sicut qui tollit rubiginem ex pretioso lapide; ut utens facultate sibi à DEO datâ, naturaliter discurrat & cooperetur cum eo, quod illi DEUS manifestat in ea communicatione. Atque hoc, ait Divina Majestas, multum valere ac prodesse, quia DEUS operatur, & creatura utitur eo, quod ipsi DEUS tribuit naturaliter.

Sunt infiniti & admirabiles modi communicationis, quibus

bus ſe DEUS communicat Animæ per modum divini & cœleſtis colloquij, quod Animam vehementer abripit, ſolatur, & replet ſtupore. DEUS ſit benedictus.

CAPUT XV.

Qualem oporteat eſſe Confeſſarium ac Ducem ſpiritûs Animæ habentis cœleſtes Revelationes.

I.

DEſcribit hoc Ven. Marina par. 1. l. 5. c. 23. §. 6. hunc in modum. Reliquum jam eſt dicere, quòd plurimùm in eo conſiſtat, nè Pater ſpiritualis erret in regendis ad Gloriam DEI iſtis Animabus, & in cognoſcendo earum ſtatu, ut non careat tribus maximi momenti rebus, quæ ad ſecurè in hoc negotio procedendum requiruntur, & ſunt neceſſariæ.

Prima eſt perfecta virtus & charitas, quâ DEUM toto ſuo corde amando, amet pariter Animam, quam Divina Majeſtas commiſit ipſius curæ, ut ſit illius Magiſter ac Dux in via virtutis, nihilque aliud in illa deſideret ac velit, niſi quòd DEO fuerit gratius, magiſque conduxerit ad Gloriam Divinæ Majeſtatis.

II. Secunda eſt Prudentia ac Diſcretio maxima, ut ſciat æſtimare & expendere debitè ea, quæ conveniunt ſtatui illius Animæ, animadvertendo non abſque attentione & oratione, procurandóque quàm optimè potuerit, ut cognoſcat & intelligat ipſius virtutem ac ſpiritum, neque fidendo aut credendo facilè omnibus, quæ primâ fronte illi viſa fuerint eſſe virtus & ſpiritus: quia ſi hac in re intervenerit deceptio, fit ut inde ſequantur gravia mala, ac damna illius Animæ, quæ longum eſſet referre. Ideóque tantummodo unum dicam, quod eſt meo judicio ſummum, videlicet diabolum, quando hac viâ ducit aliquam Animam illuſam, quaſi in dies magis ipſi dominari, illámque

occupare, & quodammodo capere possessionem ejus domûs, ut sensim sinè sensu ipsam destruat, ac tandem circumveniat aliquibus suis mendacijs. Hoc & alia magna damna adfert istud malum & hæc deceptio.

III. Tertium idque præcipuum est, ut sit vir præditus spiritu, & familiaris DEO, qui hoc modo cognoscat, & intelligat, quid sit spiritus, & quid sit agere cum DEO, neque omnia damnet, & fortè Animas sanctas, quas DEUS ex sua infinita bonitate visitat, quibúsque se communicat, & quas docet vitam suam instituere juxta obedientiam, & alienum judicium, affligat, ac turbet, & nè, quantum est in ipso id faciendo, impediat ea, quæ agit ac operatur Spiritus Sanctus continuè illis resistendo. Licèt enim verùm sit à nemine posse impediri opera DEI, neque ullum esse tam potentem; nam denique manifestabuntur, & patefient ipsius opera, & magnalia: nihilominus vult Divina Majestas, nè illi re ipsâ obsistamus, neque taliter repudiemus ejus opera & bonitatem, sed ut agnoscamus ipsum esse eundem Dominum, qui semper fuit, habereque eandem bonitatem, quam semper habuit, & sicut novimus, quod ex eadem bonitate se communicaverit multis Animabus, similiter posse ac velle se communicare Animabus, quas amat, quia illi verè serviunt.

IV. Nisi enim in hac re adsit sancta Discretio, neq; Confessarius velit ad hoc attendere, vel id curare, etiamsi DEUS non sit se ab ista Anima absentaturus, quoad id, quod illi magis expediverit, fueritq; utilius, cùm ab ipsa repellitur, ut ei obediat, eò quòd illam jubeat obtemperare suis Superioribus, ac Magistris: imò quia ipsam amat, feret ipsam in oculis, & consolabitur, providebitque ei suo tempore de alio Magistro: tamen dum Divina Majestas ità permittit affligi istam Animam ad majus illius bonum, subtrahet suum lumen, ut puniat illum defectum, quem committit ipsius Magister, manebitque in ea deceptione, & obscuritate, ità ut non videat, neque intelligat illuminationem DEI,

DEI, nec ſpecialia munificentiæ ipſius opera & bonitatis, ac miſericordiæ atque Amoris, quo Divina Majeſtas amat Animas, quæ ſi ab ea cognoſcerentur & intelligerentur, fortè illi multum adferrent emolumenti & boni, nec ſolùm pro ipſius Anima, ſed etiam pro alijs animabus, cùm unâ candelâ accenſa ſoleant accendi multæ: verùm ſi ab aliquo obtegatur modo prædicto, extingvere enim illam hac ratione non erit poſſibile; non poterit emittere tam clarum lumen, necque tam facilè accendere alias: ideóque bene oportet ad id advertere.

V. His tribus rebus mihi videtur habere opus Confeſſarius & Pater ſpiritualis pro regendis ſimilibus Animabus. Utinam DEUS per viſcera ſuæ infinitæ miſericordiæ & bonitatis largiatur talibus Magiſtris & Patribus ſpiritualibus ſuam abundantiſſimam gratiam, ut in hoc negotio, & in omnibus aſſequantur, quæ ſit ipſius ſancta voluntas: & Animabus, quæ talia expertæ fuerint, concedat ſuum lumen, & ſanctiſſimam gratiam, ut omnia bene agant, detque illis Divina Majeſtas Magiſtrum, & gratiam convenientem ad majorem ſuam gloriam, & ipſarum profectum.

VI. Pulcherrimum eſt & illud, quod Part. 1. l. 5. c. 32. §. 3. deſcribit Venerabilis Marina his verbis: Dicit Dominus, non eſſe optimum pro Magiſtris vitæ ſpiritualis, qui regunt Animas, quas DEUS ducit vijs extraordinarijs, non habere affectum, aut propenſionem erga ea, quæ in hac materia debent docere, & ipſis communicare, quando illa exiſtimant eſſe ſecura, & conformia regulis, quæ in eam rem habentur: ſi enim careant illo affectu, vel habeant à talibus averſionem, neceſſe eſt, ut dent filijs ſpiritualibus lac inſipidum, quo generantur ſpiritus exiguæ diſpoſitionis, ut DEUS ipſis præſtet tales gratias, ſive ordinarias, ſive extraordinarias, quarum una valeat, ùt ajunt, centum: volo dicere, ut per unam talem elevet DEUS Animam ex ſtatu imperfecto ad perfectiorem, vel alium magis ſublimem ac

cœlestem perfectarum virtutum, & amoris DEI.

VII. Neque debet Magister esse tepidus, vel remissus in eo, ut velit scire & inquirere spiritualia; sed instar boni mercatoris ac solliciti non solùm vendere illis, qui veniunt ad ipsius officinam, ut quærant merces, sed etiam illis qui transeunt per viam & incitare illos, ut emant aliquid ex ipsius officina. Neq; debet dicere: qui venerint ad meam officinam, illos suscipiam, secùs verò facientem nihil curo: siquidem reperiet frequenter in aliquibus transeuntibus præclaram occasionem, quâ tam illi, quàm ipse, valde evadat dives coram DEO? cui rem fecerit admodum gratam, instruendo illam Animam, si erat innocens, atque aperiendo ipsi fraudes si erat illusa, & non incedebat per viam lucis, ac veritatum Spiritûs Sancti & sacræ Scripturæ. Non oportet istos dicere: ego non debeo interrogare personas spirituales, sed solùm audire & respondere ad ea, quæ mihi dixerint: quia sæpe eveniet, ut interrogando eruant venas aureas, admirandi Spiritûs Divini, quo utrique ditentur; aliàs verò deprehendent stagna, & lacunas, ac sterquilinia sordida & abominabilia, quæ candidâ nive apparentis Spiritûs cooperta, latebant sub illo secreto: quæ si expurgentur per veram doctrinam, non inficiunt Animam, neque corrumpunt erroribus, quos fortè conceperunt per illusionem, & operâ diaboli, nostri adversarij, ac hostis capitalis.

CAPUT XVI.

Documenta pro Directoribus Animarum sanctarum.

I.

ELegantem sanè pro Confessarijs & Ducibus Animarum Instructionem tradit Ven. Marina Par. 1. l. 5. c. 32. §. 2. ubi sic. Quod servo DEI Confessario & Patri spirituali incumbit faciendum, ut prosit Animabus, quæ sunt curæ ipsius com-

commiſſæ, & quas regendas ſuſcepit, amore DEI, primum eſt, purificare ſeipſum, & eſſe ſanctum, ac verè amicum DEI, quia re verâ nemo poteſt dare alteri, quod ipſe non habet, éſtque certum, quòd quale eſt lac à matre datum filio, talis ſit futura ipſius educatio, vigor & robur.

II. Secundum eſt, ut aſſumat hoc tantum negotium, juvandarum Animarum cònſideratè ac ſeriò, útque ſciat æſtimare & magnifacere valorem ac dignitatem Animarum, liberatarum, & emptarum divino ac infinito pretio Sangvinis JESU Chriſti Domini noſtri, qui dixit, delicias ſuas eſſe cum filijs hominum. Et cùm iſtæ Animæ ſint templum, ac habitaculum Spiritûs Sancti, ubi ipſe hoſpitatur; eſt hoc Patri ſpirituali ſingulariter conſiderandum ac ponderandum, debétque ſe æſtimare felicem, ac beatum, & humiliare ſe cum gratiarum actione, eò quòd DEUS ipſum dignetur ex ſua bonitate eligere pro ſuo œconomo, qui illi debeat apparare & exornare domum, in qua ipſe ſit habitaturus, & hoſpitio excipiendus; nec non pro hortulano, qui debeat colere ipſius hortum, ut proferat copioſum fructum, & ſvaves, ac odoriferos flores virtutum, & devotionis, quò omnia poſſint proponi in conſpectu & in menſa magni Regis, ut ea ſuſcipiat in ſacrificium & holocauſtum.

III. Debet tertiò, ſeriò, ac toto corde deſiderare, ſalutem & profectum talium Animarum, & offerre pro illis DEO orationes, ac ſacrificia, rogaréque Divinam Majeſtatem, ut ipſum faciat idoneum miniſtrum & coadjutorem ſuum. Amet quoq; illas ità in Domino, ut ſit paratus, ſi opus eſſet, exponere vitam, pro earum ſalute & gloria DEI, ad id faciendum libenter propter Dominum, qui dedit ſuam divinam pro ſalute omnium. Quòd ſi viderit exiguam diſpoſitionem ad proficiendum ex parte pœnitentis, non propterea deſpondeat animum, ut fiat puſillanimis, vel affligatur, ſed ſperet in DEO, cujus eſt illud opus, corde dilatato, fore, ut ipſe per ſuam bonitatem & miſeri-

cordiam, illam promoveat, ac provehat in lucem, quomodo & quando ejus Majestati visum fuerit ac placuerit, secundùm magnitudinem ipsius occultorum, & altissimorum judiciorum: cogitétque & credat se tantùm esse miserabile instrumentum divinæ manûs, cujus est istud opus, sicut diximus.

IV. Quartò, debet conari magnâ curâ & solicitudine, si vult erigere magnum & pulchrum ædificium, ut faciat fossas, jaciátque profunda & solida fundamenta. Volo dicere, adnitendum ipsi esse, ut auferat ab Anima terram, ac vilitatem honorum terrenorum, vanorum ac temporalium, atque etiam quorundam aliorum, qui videntur spirituales, & non sunt: utq; Anima ex proposito se collocet in sterquilinio suæ vilitatis, & sui nihili, testâ radendo sua ulcera, & saniem instar Jobi. Et credat Confessarius, non reperiri (meo judicio, atque secundùm id, quod DEO dante sum experta) aliam majorem dispositionem, quàm hanc profundam humilitatem, ut Divina Majestas operetur stupendas, & admirandas res suas in Anima.

V. Debet quintò, reddere Animam propensam, quantùm est possibile, erga amorem DEI, & erga ipsius crucem, ac ad patiendum pro Domino, qui in ipsa nos redemit, condiendo illi istam escam crucis mille modis, ut illi sit addicta, & sapiat omnimodè, instar Mannæ filiorum Israël, quia re verâ bona ac thesauri, qui in ea reperiuntur, sunt manna absconditum illi, qui eam degustat, continet enim saporem omnium rerum divinarum, & ipsiusmet DEI, quo nihil ampliùs dici potest.

VI. Sextò conetur omnibus suis viribus proscribere, & enecare in Anima pœnitentis, qui est cupidus sui profectûs, omne judicium proprium, omnémque propriam voluntatem. Hæc etenim est pessimus Animæ vermis; tinea, quæ omnia bona ipsius corrumpit, ea corrodit ac destruit. Debet autem Confessarius & Pater spiritualis illam hac in re adjuvare, & exercere, cum sancta Prudentia, proponendo ipsi mala ac damna, quæ ista

ista vitia adferunt Animæ. Debet etiam propterea expendere, & explorare genium, virtutem, ac naturam pœnitentis, & gratias ac dona, quæ DEUS ipsi communicavit, & secundùm hoc tendere vel remittere nervum acûs mortificationis, & probationum, quibus valde est necessarium & conveniens, illam exerceri pro ipsius profectu, útque omnes virtutes unitæ edant suavem, & concordem musicam, quæ bene ac suaviter resonet in auribus DEI.

VII. Debet quoque Confessarius, servus DEI, ut hoc opus bene peragat, observare in eo modum suavem & gravem, qui sit acerbus, unáque dulcis, nè Anima incipiens, in virtute debilis, & infans exasperetur, vel concidat animo, propter nimiam acerbitatem; id quod multùm ipsi posset obesse: nec propter nimiam dulcedinem magis infantescat ac debilitetur: útque corroboretur, & acquirat vires requisitas ad obediendum: quæ res est clavis hujus totius ædificij, & id, ad quod illam debet plurimùm adhortari.

VIII. Præterea illi debet magis operibus (quæ ille intelligat, cognoscat & percipiat, si nimirum toleret ipsius fragilitates ac tædia & alia) quàm verbis, præbere indicia magni desiderij, quo optat ipsius salutem, & majorem profectum, quia alioquin fortasse parùm efficeret; & nullo modo expedit, Animam in hoc statu macerare, & nimiâ fame sacræ Communionis vexare, si Anima sit pura, quia langvescet, nimiámque concipiet internam tristitiam.

IX. Debet septimò Confessarius, seriò persuadere pœnitenti, cupienti proficere, studium continuæ orationis, adducendo ipsum & collocando, quantùm potuerit, ad portas divinæ misericordiæ, ut petat eleemosynam, instar pauperis Lazari, debétq; illum ducere in hoc exercitio viâ ordinariâ, quam nos docent Sancti (non verò aliâ) orationis, ac meditationis, gratiarum actionis, & cæterorum huc pertinentium, continuæ quoque

que memoriæ DEI, & ipsius præsentiæ. Quod si, dum Anima hoc modo procedit in isto sancto exercitio, bono, ac utili, Deus, qui est universorum Dominus, intervenerit, duxeritq; ipsam ad aliam viam non ità ordinariam, non debet illam Confessarius ab ea abstrahere: sed debet diligenter attendere ad id quod DEUS operatur, & custodire suum illum agrum, nè veniant latrones, & fures, qui sunt diabolus cum suis imaginibus, ac repræsentationibus & phantasia, humores, ac natura cum suis apprehensionibus, & illusionibus: id poterit agnoscere prudens & peritus Pater spiritualis ex effectibus, quos ista producunt in Anima.

X. Atque si sub initia hujus novæ viæ viderit Confessarius, quòd plerumque tentent intrare in Animam ista mala reptilia, reducat ipsam ad priorem viam ordinariam semel ac sæpius: ità enim expedit. Et quia diabolus, ùt est tam superbus, ac hostis humilitatis, videns suos ictus resilire ad se, dum se Anima humiliat, recedet pudefactus. Neque timeatur DEUM propterea offensum iri, cùm enim sit, qui est, redibit Divina ipsius Majestas semel, iterúmque ità, ut nemo sit, qui ipsi id possit impedire, aut facere, quò minus exequatur, quod intendit, operando in Anima, quod vult, éstque conforme sanctæ ipsius voluntati. Et probando hac ratione Confessarius Animam, acquiret illius notitiam, perspectúmque habebit, quoad hoc, ejus statum. Non aperiat autem Pater spiritualis isti pœnitenti, quod sentit, & cognoscit de statu ipsius Animæ, in re præsenti, quia non expedit, nisì quando est necessarium ad ipsius profectum, auxilium, & solatium, si eo indiguerit.

XI. Hoc intelligitur de principijs, quamvìs ista principia durent multis vel paucis annis, prout DEUS disposuerit, donec nempe Anima sit exercitata, & profecerit in virtutibus ac spiritu; si enim id adsit, parùm hæc res potest nocere vel nihil cum gratia Dei: habeátq; pro optimo signo sanctum Timorem Dei

in

in Anima, & quòd hac viâ incedens sit circumspecta, & quasi timida, humilis, subdita, subjecta, & obsequens, judicio sui Patris spiritualis, cui vult obedire nomine DEI, qui ipsum illi dedit pro adjutore & Magistro. Contrarium autem, ùt est vana lætitia, & complacentia, atque gaudium licèt sit modicum, eò quòd habeat res singulares, & extraordinarias, atque vana quædam confidentia, quamvis occulta, quæ se semper prodit per aliqua indicia, & signa sui mali coloris, atque interna inquietudo, ut in nulla re spirituali videatur conquiescere, quam sentit, audit, intelligit, & cognoscit internè, atque cum continua inquietudine audiat aliquid hìc, ac videat ibi, & parùm sciat referre de eo, quod fieri internè experitur, prorsus est pessimum signum, & cura hujus morbi est, humiliare istam Animam, ac abducere ipsam ab hac via, & efficere, ut observet modum ordinarium orandi sicut dixi. Atque ut procedat bene in gubernandis, & curandis hujusmodi Animabus, debet Pater spiritualis habere animum, ac affectum quoad ista, prudentem & sincerum, ut cogitet credátque Dominum DEUM, qui est, qualis semper fuit, in bonitate, sapientia, incomprehensibilitate suorum divinorum judiciorum, & in omnibus reliquis suis attributis, facere, ac posse facere in Animabus opera admiranda, & stupenda propter suam bonitatem, & bonam dispositionem, quam ad id habent, cum ipsius gratia; atque hoc modo operatum semper fuisse, implendo Ecclesiam Sanctis, qui admirabilibus ac diversis fuerunt virtutibus ornati.

XII. Debet quoq; esse prædictus, quâdam prudenti astutiâ & sagacitate, ut exploret quàm diligentissimè, quà ingrediatur & egrediatur diabolus, ipsiúsque ambages, qui frequenter, permittente id Deo, se transfigurat in Angelum lucis, sicut vidimus, ut decipiat animas. Propter hæc omnia debet Confessarius habere pondus, & stateram fidelissimam in suo corde, nè natura ipsius ad alterutram partem inclinet, sed ut consistat in medio, ha-

beátque præ oculis Scripturam sacram, & doctrinam Sanctorum. Dominus nos omnes doceat, detque nobis suum sanctissimum Lumen & Gratiam. Amen.

Caput XVII.

Quales debeant esse Superiores Religiosorum.

I.

NOn solùm Confessarios ac Patres spirituales, sed & ipsos Superiores instruxit præclaris documentis & monitis Venerabilis ac prudens Virgo Marina: ex quibus, ut omittamus ea, quæ alibi seu per epistolas ad particulares Superiores, seu aliàs sparsim tradidit, pro coronide, ut appareat cœlestis magnæ hujus Servæ DEI sapientia, apponemus, quæ specialiter habet Part. 1. lib. 5. cap. 32. §. 1. sic scribens.

Declaremus, quales debeant esse Superiores, ac Prælati Religionum, ut perfectè exequantur sua munera.

Debet Prælatus esse servus DEI, bonus Dux militiæ CHRISTI, bonus Pater, bonus Judex, & bonus Pastor.

Debet esse bonus Dux Exercitûs CHRISTI JESU Domini nostri, sapiens, prudens, & generosus; ipsum enim oportet esse primum, & præcipuum, ac præcedere cæteros in omnibus operibus virtuosis, ac religiosis, quantumvis arduis & difficilibus. Debet quoque magis docere exemplo, & oratione, quàm strepitu verborum, ita ut sit viva regula reliquis omnibus. Debet præterea esse minister ac servus suorum militum, & subditorum, memor CHRISTI JESU Domini nostri, & Magistri, qui venit ministrare & non ministrari, sicut ipsemet dixit; debetque libenter exponere suum honorem, & suam vitam, ac sanctitatem, si esset opus, pro Ordine, ac bene peragendo suo officio, & pro honore sui Domini ac DEI.

II. Debet quoque idem Prælatus esse bonus Pater, mansue-

ſuetus, affabilis, conſolari afflictos, & proſpicere neceſſitatibus, ac miſerijs naturalibus, & ſpiritualibus Filiorum CHRISTI JESU, qui illos ipſi confidit, commiſitque ipſius manibus & protectioni. Debet inſuper eſſe prudens & ſagax in ſuo regimine, qui ſciat ſtringere, ac laxare, quando & ſicut magis expedit pro bono ordine rerum & ad gloriam DEI, ac bonum, & augmentum ſuæ Religionis, ac domûs, accommodando ſe, & compatiendo naturis, genio, ac virtuti ſuorum ſubditorum.

III. Debet eſſe bonus Judex, executor juſtitiæ, ſi id exigat neceſſitas & gloria DEI; fidelis, rectus, diſcernens verum à falſo, & liber à paſſionibus, ſemperque habens præ oculis DEUM. Debet etiam illam integrè exercere, non mutando, neque invertendo naturam, quam ipſi DEUS regendam dedit, ſed perficiendo ipſam & accomodando legibus Religionis ac Juſtitiæ, ut in omnibus DEUS honoretur, & glorificetur, ac ſacra Religio proſperè per ipſum procedat, & augeatur.

IV. Debet quoque iſte Prælatus eſſe bonus Paſtor gregis JESU CHRISTI, curam habens ſuarum ovium, & erga eaſdem hoſpitalis, quærens, ſi id ſit neceſſarium, ovem perditam, & referens in ſuis humeris ad gregem, ligans ac ſolvens quàm optimè potuerit, cum charitate, oratione, & commiſeratione, illius fracturas, vulnera, & miſerias, imponendo ipſius ori ſalem orationis, ut illum ſumât, qui curat, ac ſanat miſerias humanas, ac vegetat & confortat pro omnibus bonis ſpiritualibus, eſtque præſidium & caſtrum divinum, quò ſe recipiunt pauperes, ac vulnerati milites, ut quieſcant, & curentur.

V. Hæ ſunt leges inviolabiles, quas DEUS vult ſervari à Prælatis ac Superioribus, & ſi quis eſt, in quo non reperiatur, neque ipſi data ſit iſta dexteritas, ſeu Spiritus DEI, vehementer illum rogo nomine DEI, cujus credo eſſe id, quod dico, ut ſi non vult errare & perdere tum ſe, tum alios, fugiat ad montes, & ſolitudinem, non materiales, ſed ſpirituales, quæſiturus DE-

UM, ac operam daturus suo profectui, & curæ sui ipsius, donec illum ipsemet DEUS educat ad hoc opus, suâ potenti manu, operâ, & virtute sanctæ Obedientiæ: tunc enim bene procedet, & rectâ viâ progredietur. DEUS nos illuminet suâ divinâ bonitate, dirigâtque in omnibus operibus nostris.

CAPUT XVIII.

Venerabilis P. Ludovicus prudenter fidem habuit revelationibus Venerabilis Virginis Dominæ Marinæ de Escobar.

I.

EX hactenus de Sanctitate Venerabilis Virginis Marinæ, præsertim Parte primâ hujus Tractatûs adductis, fit manifestum Venerabilem P. Ludovicum de Ponte, non tantùm potuisse, verùm etiam post adhibitum debitè earum examen oportuisse approbare revelationes omnes à mirabili illa Virgine sibi expositas, cùm id ad officium ejus pertinuerit, ità, ut nisi id præstitisset, notam temeritatis, infidelitatis, insinceritatis incurrisset.

Fidem revelationibus istis ante Patrem Ludovicum habuêre Viri alij præclari, quales fuêre totius Domûs Professæ Societatis JESU Vallisoleti Patres, quibus Revelationes has statim à principio censurandas dabat sapiens & eximius ille Pater Petrus de Leon, quorum authoritate poterat etiam Venerabilis P. Ludovicus prudenter moveri, præsertim tot ultra triginta consequentes annos, pari spiritu continuatâ revelationum illarum constantiâ, quin & majori semper accessione.

II. Sed & universa Hispania censeri potest Ven. P. Ludovico consensisse, quando quadraginta circiter annis, quibus revelationes eæ cæpere innotescere Virginem hanc ità suspexit, ut

ut nec de sanctitate ejus, nec de veritate revelationum unquam fuerit dubitatum, adeò ut homines Vallisoleti domum illam, in qua ipsa tot annis decumbebat, illac transeuntes honorarent, tanquam Sacrarium, in quo Angeli magnæ hujus Servæ DEI ministri habitarent. Quin & aula Regis Catholici quanto in pretio sanctitatem pariter & spiritum propheticum mirabilis hujus Dominæ habuerit, patet ex eis, quæ attulimus præsertim ex Parte secunda.

III. Neque obstat, quòd nullus adhuc eâ vivente fuerit institutus Processus, aut ullum Examen, quo veritas revelationum earum, seu apud aliquam Academiam, seu apud aliquod Tribunal Ecclesiasticum agnosceretur; quin potiùs vel hinc longè majorem meretur admirationem, ostenditúrque specialis DEI manus in eo, quòd nullâ tali actione præmissâ, tanta nihilominus omnium mentes & corda jam occupaverit de infallibilitate omnium rerum ad Venerabilem hanc Virginem pertinentium, & tam firma ac secura persuasio, ut eâ vix defunctâ statim sinè ulla erroris, aut præsumptionis vel temeritatis formidine prosilíverint Viri, ex præcipuis totius nostræ Ecclesiæ Ordinibus Religiosis in Cathedras, & Encomia hujus magnæ & rarissimæ Servæ DEI tantâ magnificentiâ dictionum per tot dies, tanto omnium applausu declamârint; totáque deinde in Hispaniâ typis vulgaverint, nemini ut vel in dubium quidpiam vocaret, occurrente, ídque in conspectu sanctæ Inquisitionis Hispanicæ.

IV. Summus Pontifex Constitutiones ac Regulas ab illa Ordin S. Brigittæ in Hispania præscriptas Anno 29. hujus sæculi, adhuc eâ vivente confirmavit; eáque interveniente festum S. Joachimi Romano Calendario & Breviario inseruit; ac eidem viventi favores diversos concessit.

Egerunt cum illa coram & per literas Episcopi, Generales, Provinciales Ordinum, &c.

Omnino ergo necesse est jam eâ adhuc vivente famam sancti-

ctitatis & veracitatis ejus totâ Hispaniâ vulgatam, fidem ubique invenisse.

Innumerabiles sunt alij per Orbem Catholicum Viri omni exceptione majores, qui revelationes istas omnes mirè suspiciunt, & tanquam pretiosum in Theologia mystica à DEO cimelium, fideique Catholicæ ornamentum venerantur, ut re verâ Venerabilis hæc Virgo non videatur potuisse tot, & quidem à prudentia, scientia, pietate, præstantiores nancisci Approbatores, sinè Divinâ Providentia planè speciali.

Sed & Sancta Theresia videtur jam priùs præoccupâsse, futuráque ejus revelationes jam in antecessum (ùt loquimur) approbavisse, quando in ea DEUM sua magnalia intra angulum cubiculi operaturum prædixit.

V. Quin etsi negotium hoc totum Venerabilis P. Ludovicus solus intrà privatas absolvisset tenebras; tanta tamen adhuc apud se ipsum habuit motiva, ut nullâ ratione aliud præstare, quàm revelationes has pro genuinis & cælestibus agnoscere potuerit. Certè Consalvus Durandus in ea, quam Revelationibus S. Brigittæ ad Cardinalem Farnesium præfixit præfatione, non dubitavit asserere, revelationes illas probari, propter sanctam Divæ Brigittæ vitam, quantum momentum apud Venerabilem Patrem Ludovicum necesse est, ut habuerit tanta Venerabilis Marinæ sanctitas, quantam vel in hoc solùm Tractatu descripsi, nè dicam, quantam ipsemet Venerabilis Pater Ludovicus descripsit, & quantam ille ipsemet privatim novit, cùm Pater Michaël de Orenia, ùt vidimus, Confessarius ejus magnæ Virginis asseruerit omnia, quæ de ipsa per tot Exequiarum dies tam copiosè dicta sunt, quæque etiam adhuc dici potuissent, omnia, inquam, nihil esse respectu eorum, quæ in re ipsa essent. Sed ut luce clarius constent, quantum sanctitati hujus mirabilis Virginis detulerit Venerabilis Pater Ludovicus, & quibus fundamentis in revelationibus his nixus sit, audivimus suprà in fine

Tra-

Tractatûs ſecundi, ipſum in ſua introductione enarrantem, quam propterea ibi ſpeciali curâ & operâ produxi.

VI. His tamen non obſtantibus, videamus quàm humiliter, quàm cautè ſe in revelationum harum approbatione Venerabilis Pater Ludovicus geſſerit. Loca, in quibus ſpecialiter ejus approbatio notatur, afferuntur ſequentia.

In Introductione operis §. 1. ſic loquitur: Certus ſum, *quantum præſentis vitæ conſtitutio patitur*, ſpiritum, quo agebatur Venerabilis Marina, non fuiſſe malum, ſed bonum, non dæmonem, ſed verum DEUM.

Lib. 1. cap. 11. paulò ante paragraphum primum: multis annis, quibus ego illi fui à Confeſſionibus, & cum ipſa egi, ſemper adverti, quòd illam DEUS præſervaverit ab illuſionibus.

Lib. 6. cap. 21. & ultimo: hoc opus eſt totum DEI, demptis defectibus. In his locis omnibus ſpecialis apparet modeſtia ſancti hujus Viri, quâ nullo uſus eſt vocabulo ſpecialem aliquam authoritatem, aut prærogativam præſeferente, non ſolùm ſanctæ Eccleſiæ Tribunali ſe, ſed & cujuslibet majoris prudentiæ Viri ſenſui, ſuum judicium ſubjiciens, cùm expreſsè pronunciet, ſe non arrogare ſibi in hac cauſa plus, quàm *quantum præſentis vitæ conſtitutio patitur*; qualis profectò approbatio cancellos cujuſcunque Confeſſarij, aut Patris ſpiritualis non excedit, præſertim ſi agatur cum homine ſcrupulis afflicto, quem niſi ſpiritualis Director aſſecuret, imò ſæpe niſi quaſi juramento confirmet, ſe eſſe certum de veritate doctrinæ, quam illi homini ſcrupuloſo proponit, nunquam quietum reddit.

VII. Plus dico, etiamſi revelationes hæ uſpiam deprehenderentur falſæ & illuſoriæ, nec tunc quidem poſſet adhuc præſumptionis, aut temeritatis, vel imprudentiæ Venerabilis Vir argui, quia dum dicit: *quantum præſentis vitæ conſtitutio patitur*; oſtendit ſe, & diligentiam extremam, *quam præſentis vitæ conſtitutio patitur*, & quâ majorem nemo cordatus poſſit ab ullo mor-

mortali exigere, adhibuisse: & insuper ostendit se memorem fragilitatis humanæ, humillimè de se ipso sentire, insinuando non propterea se judicare, certitudinem suam esse tantam, ut à nemine penitus possit adhuc ad Examen revocari, sed omnia intelligi fide humanâ. Quod si nec hoc eum ab imprudentia excusat, tunc omnino Sanctorum Patrum & Doctorum nævi & lapsus exagitentur, & imprudentiæ insimulentur, præsertim cùm haud dubiè sæpe nec triginta annorum prævium examen, nec semper omnem *quantum præsentis vitæ constitutio patitur*, diligentiam adhibuerint. Et sic tollemus Ecclesiæ sanctæ hoc Divinum Privilegium, quod in ea, pro omni casu occurrentis necessitatis, extra & ante decisionem Summi Pontificis, inveniantur sufficientes Viri tantæ virtutis, scientiæ, prudentiæ, diligentiæ, & cautelæ, ut sint capaces sinè nota temeritatis regulas discretionésque spirituum intelligere, & juxta illas sententiam (quantum præsentis vitæ constitutio patitur ac fide humanâ) certam ferre, cùm tamen Sanctus Paulus asserat inter Fideles Christi dari etiam discretiones spirituum. 1. Cor. 12.

Imò modestia Venerabilis Patris eò processit, ut expressè defectus omnes, si qui in hoc sint opere, sibi esse adscribendos ultro profiteatur capite totius primæ partis ultimo, seu Lib. 6. cap. 21. ubi hæc tanta ejus modestia non solùm, si qui essent, defectuum, mereretur [redacted] ab omni temeritatis suspicione eximi, verùm etiam tantò esse pretiosior, quòd ipse jam sciverit ingens præmium, quod eum exspectaret in Cœlo ob laborem, quem in revelationibus his disponendis insumpsit; & quia caput illud compendium quodammodo etiam continet elogiorum scientiæ mysticæ Venerabilis Marinæ, ideo judicavi omnino etiam hic adducendum.

CAPUT

CAPUT XIX.

Sensus Ven. P. Ludovici de Ponte de mystica & experimentali Scientia Spiritûs Venerabilis Marinæ de Escobar.

I.

SUblimes suas de hac cogitationes magnus iste mysticæ Doctor explicat in sua Parte 1. lib. 6. cap. 21. his verbis: Extraordinarijs gratijs, quas DEUS suæ famulæ, per decursum longævæ ejus vitæ præstitit, & istud accenseamus, quòd ipsi fuerit unà cum illis communicata scientia spiritualis, quam communiter vocamus Theologiam mysticam, & scientiam experimentalem, de qua loquens Divina Sapientia, ait, quòd ostenderit justo Jacob regnum DEI, & dederit illi scientiam Sanctorum; quia ductu Divini Luminis est ingressa ad percipienda arcana regni cœlorum, quæ nimirum sentiebat, & experiebatur in se ipsa, quod est proprium Sanctorum. In hoc mirè excellebat ista famula DEI, cui Divina Majestas sensim communicavit quinque admirabiles experientias, quæ complectuntur universam scientiam spiritûs.

II. Primò: Quia imprimis experta est, ac attigit omnia concernentia Infantiam, Passionem, ac Mortem Salvatoris, ac reliqua ipsius sacratissima Humanitatis mysteria, quibus interfuit, acsi tunc executioni denuò mandarentur, ità ut sentiret in se dolores ac tormenta Redemptoris usque ad participata ejus vulnera pedum, manuum, lateris & capitis.

Secundò. Hinc est progressa ulteriùs ad cognoscendam & experiendam immensitatem DEI *Trini ac Unius*, cum suis Attributis, quæ beatos reddit Angelos, ac Sanctos, participando in se ipsa, ac degustando istam Beatitudinem, videndo aliquid de eo, quod ipsi vident in suo DEO, pro sua capacitate; idque in-

interdum eâ claritate, quamvis momentaneâ instar relucescentis fulguris, ut possimus dubitare, an non fuerit visio clara, qualem nonnulli per speciale privilegium concedunt S. Paulo.

III. Tertiò. Experta est omnes modos Familiaritatis, & Communicationis inter DEUM & Animam per alloquia, per inspirationes, per species & visiones, mille modis, jam in fundo sui cordis, jam in Cœlo empyrio, jam commorando ibi quasi stabiliter secundùm spiritum, jam idem percipiendo in suo cubiculo.

Quartò. Ad hæc accedit experientia dolorum, cruciatuum, molestiarum, ac tormentorum internorum & externorum, quæ est passa partim ex divina dispositione, partim propter persecutiones diabolorum, DEO permittente, ità ut experiretur, dolores esse scalas ad gaudium; & crucem, esse viam pro adeunda cœlesti gloria.

IV. Quintò. Denique experta est, & probavit actus heroicos omnium virtutum, in quo consistit perfectio Evangelica, cum summa prudentia, circumspectione, & cautela in vijs extraordinarijs, quibus ducebatur, nè deciperetur. Unde factum est, ut esset adeò plena hâc Divinâ Scientiâ, ut posset esse excellens illius Magistra; & Anima ipsius, ac modus vivendi, esset instar libri vivi, ubi infinita Sapientia DEI descripsit atq; expressit omnia mysteria nostræ sanctæ Fidei Catholicæ, admirabili artificio adjunctis duobus raris privilegijs, quorum unum erat, quòd etiamsi Revelationes interdum essent admodum diuturnæ, & continerent multa, ac minutissimas circumstantias; tam fixè tamen illas imprimeret suæ memoriæ, ut illarum non oblivisceretur. Alterum autem quod illi DEUS suggesserit verba convenientia, quibus posset declarare, quod viderat, & fusè referre, etiamsi aliquando esset res tam sublimis, ut illi non suppeterent verba pro ea exprimenda. Et quia omnes istæ experientiæ ac res, quæ illi accidebant, fiebant arcanè, & mo-

modo inviſibili, manebántque in ipſius ſpiritu, quaſi in libro clauſo & ſignato, voluit Majeſtas noſtri Magni DEI, ut iſte liber aperiretur, omneſque prodirent in lucem, præcipiendo illi frequentiùs (ſicut fusè dictum eſt, in Prologo iſtius hiſtoriæ) ut conſcriberet omnes gratias, quas illi præſtiterat per decurſum ipſius vitæ, eò quòd eas ipſi non communicaviſſet pro illa ſola, ſed etiam in commodum multorum.

V. Hoc fuit primum, quod DEUS præcepit Venerabili Marinæ, & comprehendit generatim id, quod Divina Majeſtas extraordinariè in illa eſt operata: voluit tamen ſimul, ut obſervarentur conſvetæ leges Eccleſiæ, útque examen rerum publicandarum, & earundem coordinatio, ac diſpoſitio fieret, ſecundùm judicium, prudentiam, & ſcientiam Confeſſarij, Magiſtri, ac Directoris, quem habebat in Societate, eò quòd non omnia, quæ DEUS ſecretò ſuis ſervis revelat, velit publicari, imò non expediret quædam propalare. Propterea cùm germanus meus frater Andreas de Ponte ex Ordine S. Dominici conſcripſiſſet ea, quæ Venerab: Marina ipſi dicebat, vel dictabat, ut illa mihi traderet, ùt dictũ eſt in Prologo, retinuiſſet autem ipſorum apographa, mandavit DEUS, ut illa ab eo peteret, mihiq; traderet, & ego ex ipſis demerem, quod judicarem non convenire, ut publicetur.

VI. Deinde §. 3. narrat Ven: Marina viſionem de magno præmio, quo DEUS remuneratus eſt laborem P. Andreæ de Ponte Dominicani fratris Ven: P. Ludovici, eò quòd juverit ſcribere ea, quæ Ven: Marina de cœleſtibus his Revelationibus exponebat.

Ac tum §. 4. ſubjungit ſe Angelis dixiſſe: Dicant mei Domini Angeli, quid meo Confeſſario, qui non ſolùm hoc obſequium præſtitit, ſed tantopere laboravit, & hac de re, déque toto meæ Animæ regimine fuit ſolicitus, dabit DEUS, cùm multùm mereatur? Reſponderunt, magni, id quod ipſis dicebam,

 faci-

facientes: Isti servo DEI dabit Dominus ingens præmium, quia non solùm est Secretarius ipsius mysteriorum, sed etiam Magister & Artifex ejusdem operis, quod DEUS in te peragit. Etiamsi enim illi dentur præcipui sumptus, & requisita pro exstruendo ædificio, solvatúrque & labor, ipse tamen impendit operam ei, laborem suarum manuum, ac proinde in cœlo pro mercede habebit suum meritum & insigne: sicut dum egregius Magister & Architectus exstruit sumptuosum & elegans ædificium, etiamsi ipsi ædificij Dominus solverit, dederitque pro eo necessaria, inscribit tamen illi, pro suo honore & insigni: talis me fecit. Et hoc dicto mihi valedicentes abiverunt.

VII. Hanc Revelationem volui referre, ut intelligatur, quantum placeat hoc opus DEO, quod est totum ipsius demptis defectibus, quos habet profectos ex ignorantia Artificis, cujus est operâ usus. Quemadmodum enim aliquis Princeps desiderans exstruere sumptuosum templum, vel palatium, dat Architecto vel perito Magistro multa præclara requisita, ligna & lapides pretiosos, ut ipse omnia designet ac elaboret, demendo superflua, ponátque singula suo loco; ità mihi Princeps Cœli, per hanc suam Fâmulam, dedit abundantiam necessariorum, & rerum mirabilium, quas illi communicabat: quia tamen mihi tradebantur à fœmina, erántque omnia dissipata, absque ordine aut connexione, necesse fuit ea limare, ac demere, quæ videbantur superflua, & in ordinem digerere, singulis suo loco repositis. Omnium porrò simul combinatio, juxta ordinem, quo est facta, vocari potest *Synopsis Theologiæ & scientiæ mysticæ spiritûs*, seu scientiæ experimentalis ac practicæ universarum virtutum, quæ disponunt ad internam cum DEO familiaritatem, ac ad assequendam Divinæ Contemplationis & Perfectionis Evangelicæ sublimitatem.

VIII. Hactenus Ven: P. Ludovicus. Ubi satis mirabile est, quòd etiamsi tunc temporis necdum emanaverit Urbani VIII. con-

constitutio, de non edendis similibus libris in lucem, nisi appositâ initio & fine protestatione, narrationes illas non excedere fidem humanam; ipse tantò antè, constitutionem hanc prævenerit, eodem haud dubiè spiritu, quo constitutio illa postea constituta est; nempe quòd statim initio in ipsa introductione operis apposuerit, se de his non esse certum, nisi *quantum præsentis vitæ constitutio patitur*: & in fine in ultimo capite iterum ultrò suos defectus, & ignorantiam humillimè ingesserit, quasi ultro sensum, & ultimatum judicium ab Ecclesia implorans.

CAPUT XX.

Historia mortis Domini Roderici Calderon Marchionis Septem Ecclesiarum.

I.

Quia in hac mirabili Tragœdia & Sanctitas & Prudentia Ven: Virginis Marinæ elucet, ideò toti huic Tractatui coronidem aptè imponet, tanquam Compendium plurimorum, quæ dici adhuc possent, plenum pulcherrimis cœlestibus luminibus & documentis. Fuit Dominus iste Rodericus de Calderon & Varga, Comes Olivæ, Marchio Septem Ecclesiarum, Ven: Marinæ addictissimus, & beneficijs in eam profusus, à qua etiam precibus suis extorsit, ut quod de sepultura corporis sui in Templo Domûs Professæ Societatis Jesu Vallisoleti constituerat, mutaret, statueretque, solo corde Templo illi, in quo spiritum suæ sanctitatis hauserat, relicto, reliquum suum corpus sepeliendum esse in magnifico Templo, quod Dominus iste exstruxerat juxta Monasterium Sanctimonialium à se ibidem fundatum. Quamvis postea, dum Catholicus Rex Hispaniarum Bona Domini hujus supplicio affecti, fisco addiceret, rursus prior Ven: Marinæ constitutio revixerit, corpúsq; totum sit sepultum in eo Societatis Jesu Templo.

II. Magnificus hic Dominus bona à Ven: Marina ſibi data monita pro ſuo ſpirituali profectu, accipiebat quidem; nihilominus quodam ambitionis æſtu, negotijs mundanæ excellentiæ ſe ità implicuit, ut præterquam quòd conſcientiam ſauciaverit, etiam apud Aulam Hiſpanicam nigro calculo notatus, captivitati fuerit deſtinatus. Hoc ſuo periculo animadverſo adijt ipſe, conſuluitque Ven: Marinam, fugiendúmne, an moriendum, aut quid demum facto opus eſſet. Jlli, ſi Animæ ſuæ bonum quæreret, ut nihil ageret, reſpondenti; ipſe generoſâ erga ejus ſanctam prudentiam fiduciâ penitus acquievit, atque in Divinam Voluntatem piè reſignatus, incarcerationem expectavit.

III. Miſſus ad eum mediâ nocte comprehendendum Dominus Ferdinandus Ramirez Farinias Supremus Auditor Conſilij Regiæ Catholicæ Majeſtatis, cùm ei cauſam ſui adventûs expoſuiſſet, atque ut ſe veſtiret, chartas ſuas extraderet, ſecúmque abiret, dixiſſet; ipſe cum tanta humilitate & ſubmiſſione, atque conformitate cum Divina voluntate ictum hunc ſuſtinuit, ut Judex, & qui ipſi erat à ſecretis, obſtupuerint, quòd illis videretur non poſſe ab aliquo ſancto Religioſo ampliùs expectâri. Chartas, quas habebat in ſacculis, ſinè mora exemit omnes, etſi eſſent ſecretiſſimæ, uſque ad libellum examinis, in quo conſcribebat ſua peccata pro Confeſſione Sacramentali, & omnes ipſi tradidit: prout hæc omnia ab ipſomet prædicto Domino Ferdinando Ramirez ſibi narrata refert Ven: P. Ludovicus de Ponte, P. 1. l. 5. c. 18. ubi §. 1. Vener: Marina ſic proſequitur: Hoc caſu mea Anima ſupra modum cruciabatur, ſummè deſiderans ſalutem Animæ ejus cum magno auctario gratiarum, idque primo loco: tum, ut ſi Divinæ Majeſtati placeret, ac illi expediret liberari cum honore ex carcere, id propter bonitatem ſuam faceret. Incepi hoc à DEO quàm enixiſſimè, & ardentiſſimè petere, quaſi abſque intermiſſione noctu diùque per tres an-

annos, demptis quatuor mensibus, quamdiu duravit captivitas. Quod ad primum attinet, quotiescunque commendabam DEO istam personam, videbam eam in manibus alicujus Judicis æquissimi & benigni, ac dirigentis totam istam causam ad salvandam ipsius Animam cum magno meritorum incremento. Unde mea Anima summum capiebat solatium. In reliquis, quem exitum essent habitura temporalia, etsi me DEUS non contristaret ex sua pietate; timebam tamen semper, ideóque non poteram consolari ipsius cognatos, qui hac de re mecum loquebantur. Erant magnæ disceptationes Animæ meæ disputantis cum DEO de isto negotio, quas, eò quòd sint usqueadeò subtiles & mysticæ, non refero.

IV. P. 1. l. 5. c. 19. §. 3. de eodem casu sic habet Ven: Marina: Dum essem afflictissima, & existimarem, quòd fortè Divina Majestas meritissimè & justissimè propter mea peccata noluisset exaudire meas imperfectas & miseras preces; inter has cogitationes me amanter & fixè est intuitus meus Sanctus Angelus Custos, dixítque mihi: Anima mea, quid agis? quales sunt istæ cogitationes, quas habes? significo tibi, tuas orationes comparuisse coram Tribunali Sanctissimæ Trinitatis, ibiq; fuisse exauditas, & placuisse illas Divinæ Majestati. Verumtamen adverte Anima, quod infinita Sapientia DEI, ac Divina ipsius Bonitas, ex suis altissimis & secretissimis judicijs decreverit à sua æternitate, in illo suo secretissimo arcano sui immensi Esse, & secundùm arbitrium ac modos constitutos in Consistorio Beatissimæ Trinitatis, vias ac rationes convenientissimas, utilissimas summéque necessarias, pro deducendis animabus ad suam salutem: ideóque etsi Potentia ipsius sit infinita, & possit quidquid vult, ac postulat Sanctissima ejus Voluntas; dirigit tamen res suarum creaturarum ad hunc finem. Quod cùm ità sit, frequenter potest contingere, ut etiamsi servi DEI & amici ab ipsomet moti, & quidem seriò ac ardenter ab eo petant quæ-

dam

dam peculiaria pro ſolatio & ſubſidio, ac remedio aliquarum creaturarum, quamvìs id faciant cum vera intentione ac deſiderio, ut omnia cedant ad majorem ipſius gloriam; non obtineant tamen illa à Divina ipſius Majeſtate, propter dictas cauſas, & quia non expedit, ut mutet ſuas divinas diſpoſitiones. Noveris præterea, Decretum Domini DEI noſtri Omnipotentis eſſe terribile, fortiſſimum, tam potens ac immenſum, quàm eſt ipſemet DEUS, neque ullum poſſe penetrare vel perſcrutari altiſſima illius judicia. Omnia hæc dixit Sanctus Angelus, méque reliquit plenam ſolatio, & illuminatam, atque admirabundam.

V. Præmiſerat §. 1. Dum aliquando commendarem DEO hunc Dominum, quando adhuc vivebat incarceratus, & non multò ante illius mortem, quia optabam magno affectu, præcipuè ipſius ſalutem, ac tum etiam bonum ſucceſſum, quoad temporalia: rogabam DEUM, ut illum dignaretur liberare ex carcere, cum victoria & palma: atque cum huic orationi vacarem, antequàm audirem Sacrum, vidi ingredientes meum cubiculum, eo tempore, quo eram Divino Epulo reficienda, plurimos Angelos, geſtantes palmas in manibus & præcedentes Sacerdotem, qui mihi adferebat Auguſtiſſimum Sacramentum. Obſtupui vehementer, viſo eo myſterio, neque tunc potui intelligere, quidnam eſſet, quamvìs intellexerim, eſſe aliquid concernens Marchionem. Et licèt ſemper eſſem valde certa & ſecura de ipſius ſalute, nihilominus quoad ſucceſſum ipſius negotiorum temporalium verſabar, & DEUS me detinebat in magno dubio. Poſtquam obiviſſet, declaravit mihi DEUS hoc myſterium, dixítque mihi, eo ſignificatum fuiſſe, quàm ſolenniter eſſent Angeli cum palmis in manibus, in ſignum victoriæ, excepturi in cœlo Animam illius Domini, ſicut re verâ deinde factum fuit: adimplevítque DEUS mea deſideria, concedendo mihi quod petiveram, imò longè ampliùs.

V. Aliâ

VI. Aliâ vice orans pro ipso ferventissimè, semperque primo loco petens illius salutem, postea verò libertatem temporalem, etiam concepi certam spem de ejusdem salute, cum magno tamen dubio de eo, quod concernebat temporalia. Et quamvis mihi DEUS dixerit, non solùm semel, sed sæpius: Ego tibi satisfaciam, ego te consolabor: semper nihilominus manebam in eo dubio. Postquam illum vidissem mortuum, dixi ad meum Dominum: quomodo egit Tua Majestas? quomodo mihi satisfecit? Dominus mihi respondit: optimè adimplevi, quod promiseram. Nónne tibi modò satisfactum est, quòd tibi ipsum ostenderim in mea gloria felicem ac beatum? nónne hoc est meliùs, quàm si mansisset in perpetuo carcere, cum periculo suæ animæ? Tum ego respondi: Ità profectò mi Domine, est mihi quàm maximè satisfactum. Atqui hoc tibi promisi, inquiebat Dominus, quando tibi dixi, me tibi satisfacturum.

VII. Ibidem §. 2. Aliàs, cùm DEO commendarem istum Dominum, dicebam Divinæ Majestati, ut, si commisisset aliqua peccata, puniret illum propter ipsa in Purgatorio, neque permitteret, ut cum dedecore egrederetur ex illo carcere. Post mortem, quasi respondens huic meæ petitioni, mihi quodam die dixit, cum magna gravitate & authoritate: Ego permisi mortem hujus hominis, ut ipsum per illam adducerem ad salutem, cum magno gloriæ auctario, propterque alios fines meorum arcanorum judiciorum. Et indè intellexi, DEUM mihi nolle dicere, commiseritne iste Dominus delicta, digna hac morte, an verò non commiserit, quia Divina Majestas mihi nunquam revelat aliena peccata: sed solummodò mihi manifestare solet præcipuam hujus suæ permissionis causam, quæ est prædicta; prætérito illo altero, tanquam eo, quod scire meâ non intererat.

VIII. Ibidem §. 4. Alio die vidi, ex laqueari mei cubiculi decidentem crudelèm quendam diabolum, qui habebat manus

post tergum revinctas. Sequebatur ipsum gloriosus Sanctus Michaël, splendidè ornatus, habens in manu lanceam, quâ illum feriebat. Ruit diabolus ad pavimentum mei cubiculi, cum tam magno strepitu, quàm si caderet caput æneum. Lamentabatur vehementer, ejulabat, ac dicebat mihi: Compatere mihi, patior enim gravissima tormenta. Sanctus Angelus impetebat lanceâ ipsius humeros, cum magna indignatione, & mille illum lacessebat opprobrijs, dicebátque: Hic est ille infelix, qui propter suam superbiam cecidit de cœlo; hic est ille Draco septiceps, princeps tenebrarum, accusator Sanctorum Fratrum; iste est ille spiritus malignus superbiæ, qui gravissimè prosecutus est illum hominem (quem nominavit) in ejus prosperitate, provocavítque ipsum, & incitavit ad superbiam, atque nunc in ejusdem adversitatibus eundem persequitur, ac tentat gravissimè; iste mundum commovit contra illum, ac incitat omnes creaturas, ut eum persequantur, & condemnent, additq; animos ipsius adversarijs. Quia id audiveram, dixi: Angele Sancte, etiámne modò in ipsius adversitatibus induxit, ut laberetur? Sanctus Angelus respondit: non, Anima; etiamsi enim effecerit, ut titubaret, non tamen ut caderet, quæ est misericordia DEI. Et hoc dicens Sanctus Angelus verberabat diabolum, donec illum compelleret descendere sub terram: atque tum alij milleni diaboli prodibant, & cruciabant ipsum, usque dum omnes unà in momento absorberentur, nec illos ultra viderem.

IX. Quantam autem senserit Dominus Calderon difficultatem ab hoc dæmone, atque etiam à sua natura, in vincenda illa tentatione, atque in resignatione suæ voluntatis in acceptanda illa infami morte, patet ex revelatione apud Ven: Marinam ibidem cap. 18. §. 1. Aliquot mensibus ante ipsius mortem mihi DEUS in spiritu ostendit hoc mysterium. Vidi istum Dominum duci ab Angelo ipsius Custode, qui constituens illum ante quandam Crucem magnam, duram ac terribilem portatu, obtulit

tulit illam ipsi amplectendam, acceptandam, amandámque ex corde, nomine DEI, dicendo illi: Anima, Crux illuminat, ac dirigit, & vivificat. Videns ea creatura horribilem terribilitatem illius Crucis, quam ipsi Angelus offerebat generosè tolerandam, naturaliter valde horrebat, & contremiscens illam subterfugiebat. Angelus autem suâ inspiratione illum potenter urgebat, ut se submitteret, atque consentiret & amplecteretur, ac susciperet crucem. Verùm, naturâ præstante suum officium, etiamsi tentaret ipsam suscipere, & amplecti, nihilominus cum magno timore reluctabatur, ac tergiversabatur. Dum itâ confligerent inspiratio Angeli, ac timor humanæ naturæ illius creaturæ, tota ea Crux fuit obscurata, à summo usque deorsum, & procidens humi, quia steterat erecta, paulatim mirabiliter descendebat, ac intrabat in terram, donec ab illa penitus tegeretur. Videns hoc ille Dominus, consternatus est ac terrefactus, & redactus in magnam angustiam, fuitque afflictus, quia videbatur sibi fuisse temerarius, tepidus & incircumspectus, eò quòd restitisset inspirationi Angelicæ, noluisśetque complecti Crucem; & prostratus humi, multa infigebat oscula ei loco, in quo fuerat Crux, & adorabat illum, ac venerabatur & cupiebat, ac desiderabat ex corde amplexari Crucem. Dum esset ista creatura tam bene disposita, Crux illa admirabilis, quæ fuerat cooperta à terra, atque sepulta, incepit resplendere, & prorumpens foras ac super terram, emittebat ex se radios splendidissimos, & tota apparebat esse conflata ex auro purissimo, ac ardens igne vehementi & comburente. Videns Dominus istud tantum mysterium, motus inspiratione Angeli, magno affectu suæ animæ amplexatus est illam admirandam Crucem, & adoravit, suscepítque ex corde, transfundens voluntatem suam in Divinam, paratúmque se exhibens ad omnia, quæ de ipso vellet facere, juxta suũ sanctissimum beneplacitum, & conducerent ad ipsius animæ salutem. Viso hoc mysterio, cum magno solatio, mea ani-

anima fuit abrepta, ac unita suo DEO, & quando mihi sum reddita, gratias egi Divinæ Majestati pro tanto favore præstito illi creaturæ.

X. Propterea ibidem priùs narrabat Ven: Marina, quòd dum offerret DEO suam vitam in manus Justitiæ, cum omnium admiratione & solatio, propter magna indicia, quæ in sua captivitate & morte edidit, Pœnitentiæ, Conformitatis cum Divina Voluntate & veræ Resignationis, quâ acceptavit mortem ac decollationem amore sui DEI, & in satisfactionem pro suis peccatis, fuerit ingens fortitudo ipsius animi, quam præsetulit in illo tam terribili actu. Prænotaverat autem ibidem Vener: P. Ludovicus. Proculdubio obtinuit ille Dominus à Divina Misericordia tam admirabilem dispositionem ad moriendum & evolandum ad Cœlum, multis eleemosynis & bonis operibus, quæ Ven: Marinæ præstitit in vita, & per ferventes preces, quas ipsa pro eo fudit, dum esset comprehensus, donec moreretur: atque etiam quia ipse rectè fuerat usus bonis consilijs, quæ ista Famula DEI ei suggerebat, præveniente ipsum ac disponente DEO, pro eo quod illi erat venturum.

XI. Triduo vel quatriduo ante mortem hujus Domini, scribit Ven: Marina Part. 1. l. 5. c. 18. §. 2. mihi illum DEUS exhibuit spectandum in spiritu, sequenti modo: Cùm nihil minùs cogitarem, quàm, eventurum mihi aliquid tale, essémque intenta consvetæ meæ orationi, vidi ipsum quasi obambulantem, cum magno gaudio & solatio, per cœlestem Curiam, acsi lustraret illam cœlestem Patriam, & adiret ipsius possessionem, in qua, ex Divina Misericordia esset æternùm victurus. Præseferebat magnam lætitiam, & vestis illius erat pretiosissima, ac elegantissima toga, ad pedes usque protensa: aureus hujus togæ pannus erat gratiosè usquequaque concisus, pérque aperturas apparebat quædam velut suffultura tam pretiosa & splendida, ut videretur purissimo esse referta auro, ac gemmis. Hæc to-

toga præbuit meæ Animæ occaſionem magnæ conſiderationis, unde dicebat: DEUS bone, quare pannum tam pretioſum & pulchrum, qualis eſt hujus togæ, ità conciderunt? nónne præſtitiſſet illum eſſe integrum & inconciſum? Dum ità mea Anima hæreret attonita, manifeſtavit ipſi DEUS myſterium dicendo: Conſidera, Anima mea, iſtas ſciſſuras, quas vides in hac veſte tam jucundas aſpectu. Repræſentant enim & ſignificant peccata hujus creaturæ, quam ſic vides obambulantem, ac defectus, qui, propterea quòd de illis doluerit, egerit pœnitentiam, atq; ab illis reſipuerit, tantum abeſt, ut defædaverint ipſius animam, ut potius per hanc ſuffulturam, ità gratioſam & pretioſam, ſicut vides, pœnitentiæ & reſipiſcentiæ, efficiant, ut tota hæc veſtis ſit figura & ſymbolum animæ ipſius tam gratioſæ, pretioſæ, & exornatæ. Mea anima fuit vehementer recreata, & mirata eſt id, quod ipſi dixit DEUS, atque attollens oculos vidit illum Dominum habere in capite pretioſam coronam, inſtar diadematis, & in ſuo collo monile ex pretioſis lapidibus, ſtatímque ac DEUS oſtendit meæ animæ hoc myſterium, fui rapta in ecſtaſim. Quando ad me redij, magnas egi DEO gratias, pro omnibus operibus ipſius ac miſericordijs.

XII. Poſtquam advenit dies, quem Divina Majeſtas in ſuo ſupremo Conſiſtorio decreverat, ut iſte Dominus migraret ex hac vita mortali, ad fruendum vitâ æternâ, per terribilem mortem decollationis, & naturæ adverſiſſimam, quod contigit quodam die Jovis, poſt meridiem, vigeſimâ primâ Octobris, Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, in feſto undecim millium Virginum, eâdem horâ & momento, quo iſta creatura conſcendit locum, ubi illi erat ſubeundum ſupplicium mortis, & conſedit in ſella ejus loci; fui ducta in ſpiritu ab Angelo ipſius Cuſtode, comitantibus me illis Angelis, quos attribuit Dominus meæ animæ, permodum ſomni cujuſdam ſpiritualis, ad illum miſerabilem locum, ubi adfui præſens illi actui, acſi re ipſâ

& verè ibi essem cum corpore & anima, fuítque mihi manifestatum, quod ad gloriam DEI recensebo. Vidit mea anima advenientem quandam formosissimam, gravissimam & modestissimam Virginem, in vestitu honesto, quam comitabantur quasi pedisequæ, aliæ Virgines. Venit ad locum, in quo erat ille Dominus, & cùm eum perquam affabiliter, amanter, ac benignè intueretur, is ipsam vicissim aspexit, & assurrexit ex sella, in qua sederat ac defixis in eo theatro genibus, salutavit illam affectu humillimo, amabiliter & humanè, dicendo ipsi: Bene veneris, dilecta mihi, Domina mea dilectissima, quam ex corde meo desideravi: tu es chara sponsa mea, atque ut talem te æstimo, & suscipio, amo ac veneror. Et apprehendens blandissimè ac modestissimè formosissimas ipsius manus, osculatus est illas dicendo: Dissvaviabo tuas sanctas manus, & tu eris gloria mea: tu es numeris omnibus absolutum bonum meum, & meus honor. At cùm hoc dixisset, illa mystica Virgo, quæ erat forma & figura Crucis, quam erat subiturus, ipsum elevavit, collocavítque in sella, & evanuit: ac tum subitò fuit peractum illud supplicium; ego verò sum reducta ab Angelis, qui me eò adduxerant, ad meum angulum. Postquam ad me redij ex illo raptu, & quasi somno, reperi me afflictissimam, ac animam meam gravatam mærore, & compatientem morti illius Domini; quamvis summum habuerim solatium in DEO, quòd vidissem talia mysteria, & illum complexum atque desponsationem, quâ sibi anima ipsius desponsavit Crucem in hora mortis. DEUS sit benedictus.

XIII. Ibidem §. 3. Biduo à supplicio hoc elapso, manè mihi cum DEO agenti, locuta est spiritualiter anima istius Domini, quin tamen ipsum more humano viderem, dixitque mihi admodum jucundè: DEUS sit tecum, mea Mater, & rependat tibi semetipso beneficium, quod mihi contulisti. Audiens eam loquelam spiritualem, subitò ipsam agnovi, illuminata à DEO, & re-

respondi illi cum solatio: Bene veneris Anima DEI: dic mihi, rogo te, amore ipsius, si id meo DEO placet, éstque illius sanctissima voluntas, quo sis loco, & an fruaris DEO tuo? vel commoreris in pœnis Purgatorij. Respondit mihi cum magno gaudio: Mater mea, fruor summo Bono, ex divina bonitate & misericordia, atque propter tuam intercessionem. Significo autem tibi, pro majori meo bono, & gloria DEI, voluisse Divinam Majestatem, ut, quando mea anima egressa est ex meo corpore, à Sanctis Angelis, qui ipsam ducebant ad cœlestem Jerosolymam, duceretur proximè Purgatorium, ut videret terribiles pœnas, ex quibus illam DEUS per suam misericordiam liberaverat, & quarum loco acceptaverat, molestiam ac tormentum carceris, & mortem mei corporis; quod tamen totum comparatum vel cum atomo eorum, quæ illic tolerantur, fuit instar picturæ, comparatæ cum re viva & vera, tantúmque mei quædam humiliatio, quam sustinui in transitu. Unde ut hoc agnoscerem, absque ullius ferè sensu pœnæ, me edocuit, ità se rem habere. Dego in summis gaudijs & quiete æterna, quam non possum exponere, neque ulla lingva est, quæ ipsam valeat explicare. Benedictus sit DEUS in æternum, qui tam abundanter remuneratur dolores temporales: ideóque te rogo, Mater mea, amore DEI, ut bono sis animo, & magno tibi sit solatio tua crux, ac tua patientia, quia pateris pro tuo DEO, manéntque te tanta ac æterna præmia & quies: atque nunc vale. Et hoc dicto cessavit, desiítque communicatio cum illa Anima; ego verò fui rapta in ecstasim, ex qua ad me rediens cum ingenti solatio meæ animæ, agebam magnas gratias DEO pro tantis favoribus ac miserationibus, quas exhibuerat illi creaturæ. DEUS sit benedictus.

XIV. Post unam abhinc diem, dum manè agerem cum DEO, venerunt ad me Domini mei Sancti Angeli, & postquam me induissent quadam mysticâ veste, coloris quasi cœlestis & lucidi, imposuissentque coronam meo capiti; in momento me tu-

tulerunt ad cœleſtem Jeroſolymam, conſtituerúntque me in conſpectu Divinæ Majeſtatis: ubi vidi venientem ad me Animam iſtius Domini defuncti, de quo loquor. Veniebat autem in humana ſpecie, referente ipſius vultum, ac perſonam genuinam; & erat tam ſubtilis ac tranſparens illa materia ejus figuræ, ut per ipſam apparuerit lumen & ſplendor Animæ, quæ eam aſſumpſerat, dixitque mihi humillimè & peramanter: Bene veneris ad hanc cœleſtem Aulam, Mater mea ac Domina mea, bene veneris in nomine Domini, qui tibi rependat tantum beneficium, quod mihi præſtitiſti, tuis precibus per bonitatem DEI, cui ego infinitas ago gratias, quòd voluerit ipsíque plâcuerit, pro tuo ſolatio & tua gloria, ut eſſes teſtis oculata gloriæ ac beatitudinis æternæ, quam poſſideo, atque id manifeſtares viventibus in mundo meis cognatis, ad eorum ſolatium, & gloriam DEI. His dictis diſparuit illa ſpecies & figura, quæ erat inſtar nubeculæ lucidæ ac ſubtilis; remanſítque Anima ipſius glorioſa & ſplendidiſſima, in ſpecie columnæ conflatæ ex auro puriſſimo, & igne potenti ac ſplendidiſſimo, quæ tota erat circumdata à Sole pulcherrimo ſummi ſplendoris, cujus radij videbantur pertingere ad Divinum Eſſe, unde illi Animæ communicabatur & conferebatur omnis beatitudo, quâ fruebatur, quámque poſſidebat.

XV. Elapſo pòſt iterum biduo, vidi iterum iſtam creaturam, quæ me eſt allocuta dicens: Venio, ut te ſoler & animem, adferámque tibi bonum nuncium, quòd non ſit diu differenda tua migratio: atque ecce, quando venerit tempus tuæ mortis, quod DEUS conſtituit, cum ijs, qui pro te venient ex cœlo, veniam & ego. Audiens hoc ab ipſo dici, fui recreata & confortata, dixíque illi: Benedictus ſit DEUS, atque etiam tu Anima DEI. Dicis te venturum pro me cum tuo collo reſecto à corpore? neſcio, quid me moverit ad hoc dicendum. Ipſe verò reſpondit: ità Anima, & certam te reddo nomine DEI, ac aſſero

iſtam

istam veritatem, ùt videbis in die Judicij, quòd propter ensem, quo fuit resectum meum collum, sit habiturum tam elegantem & pretiosum torquem, támque cœleste vellus aureum, ut valiturum sit plus, absque comparatione, quàm omnia imperia & regna mundi, & exornaturum magis meum collum, quàm clarissimus ac splendidissimus Sol, quod est certissimum.

XVI. Part. 2. l. 1. c. 19. pag. 84. patet, quàm sæpe sit Dominus ille solitus è Cœlo eam visitare: nam cùm Vener: P. Ludovicus de Ponte ei Anno 1625. die 15. Januarij apparens dixisset: modò Anima libenter cum DEO ires ad cœlestem Patriam: ego te ducam, veni mecum: Omnino (narrat ipsa se respondisse) omnino libenter eò pergerem fateor: nolo tamen Sancte Pater, ut à te ducar. Quare autem? quæsivit ipse. Quia es vir, ajebam ego, & non soleo comitari viros. Quamprimum id protuli, comparuit Marchio septem Ecclesiarum admodum hilaris, dixítque: Etiam ego illam pari ratione aliquoties invitavi, & noluit ire. Subjunxit tum P. Ludovicus: Nónne verò Sancti DEI, qui te visitaverunt, & interdum duxerunt, sunt Viri, quales nos? Ità est, respondi, sed quia illos in hac vita mortali non noveram, non me reddiderunt ità perplexam. Si DEO placet, ut proficiscar ad cœlestem Patriam, ducent me Sancti Angeli mei, sicut plerumque solent. Sancti approbaverunt meam tergiversationem.

XVII. Quantum autem Divina Majestas desideraverit, ut hoc terribili exemplo calamitatis & infortunij hujus Magnatis, proficerent, ac sapere discerent Magnates alij Christiani, ostendere dignatus est mirabili Visione, Parte 2. lib. 2. cap. 19. pag. 290. hoc modo: Feriâ quintâ, die 2. Aprilis An. 1626. mihi Dominus dixit: Veni Anima, & videbis, quod tibi volo ostendere. Fui subitò, quin possem resistere, ducta in spiritu ad ripam fluminis, cujus aquæ erant similes crystallo, & pulchræ, longéque pellucidiores, quàm quidquid isthîc videre est. Inter-

terluebat amœnissimum campum, ubi in una ipsius parte, seu ripa vidi crescentes multas pulcherrimas arbores, quarum aliquæ erant ornatæ venustissimis & gratiosissimis floribus, aliæ unà cum talibus floribus præterea habebant elegantissimos & copiosissimos fructus. Licèt verò omnes istæ arbores essent speciosissimæ, multum tamen discrepabant ab invicem non solùm proceritate, sed etiam obstupescendâ elegantiâ. Conjeci deinde oculos in ripâm alterius partis, & vidi ibi loco arbornm esse infixos palos instar perticarum, non solùm siccos carentes folijs, & omni virore, verùm etiam quodammodo exustos ac arefactos, ut nunquam ampliùs viderentur posse immutari, vel revirescere. Eram quasi attonita, considerando admirandam diversitatem tam dissimilium riparum ejusdem fluvij, & paulatim progrediens contemplabar ripam, in qua stabant pali aridi; notabam illorum formas, quæ plurimùm differebant. Aliqui erant vehementer alti, alij valde parvi, atque tandem alij mediocres: unum eorum specialiter consideravi, qui erat instar informis trunci, altissimus multúmque crassus, & longè magis arefactus, quàm omnes reliqui. Substiti modicum, contemplando illum, tanquam abrepta in ecstasim, atque tunc mihi Dominus dixit: Quid aspicis? iste est insignissimus titio inferni.

XVIII. Interea vidi Marchionem septem Ecclesiarum, Dominum Rodericum Calderonium, in habitu glorioso pulcherrimum. qui aspectui Animæ apparebat generosissimus, & magnis præditus viribus: ferebat in collo illud pretiosissimum monile, quo ipsum exornatum toties conspexi, & in manu baculum, qui speciem gerebat grallarum, qualibus consveverunt uti homines debiles ac delicati; & accedens ad illos aridos palos, nescio quid eo baculo circa ipsos fuerit molitus. Significatum mihi est, conatum fuisse, proficuam illis reddere irrigationem ejus crystallini fluvij, ut transformarentur in tam floridas & frugiferas arbores, quàm erant illæ, quæ alteram ripam occu-

cupabant: ſed quantumcunque laboraret, ſuámque impenderet diligentiam, ut id efficeret, permanebant nihilominus aridi & exſucci, ſicut antea.

XIX. Omnia iſta ſpectabam pari cum attentione & ſtupore, quando diſparentibus mihi omnibus audivi Dominum, qui me interrogabat: Marina, intellexiſtine myſterium, quod tibi oſtendi? Reſpondi: Mi Domine, aliquid mihi ex eo videor aſſecuta, non fuit tamen à me ſatis penetratum. Ego itaque volo tibi illud declarare, dixit Divina Majeſtas. Adverte autem, me non loqui de Animabus vulgarium ac plebejorum hominum, neque etiam de Animabus privatam vitam agentium, ſed eorum tantummodo, qui funguntur officijs Regijs, muneribus publicis, dominantur, & authoritate pollent in Republica Chriſtiana. Omnes hæ Animæ irrigantur ab Eccleſia, omnes fruuntur Sacramentis, ſúntque eorundem participes: quod tamen attinet ad ipſarum diſpoſitionem, & opera, reperitur tanta inter has, intérque alias differentia, quantam vidiſti intercedere inter arbores unius ripæ, & aridos ſtipites alterius. Alij producunt flores bonorum deſideriorum, & vix progrediuntur ulterius: alij his floribus adjungunt etiam fructus ſanctorum operum habéntque ſuas animas fertiles & exornatos: in alijs propter malam illorum diſpoſitionem nihil penitus operantur, ſeu Sacramenta, ſeu divinæ inſpirationes, ſeu exempla, & non tantùm non progerminant fructus ſpirituales, ſed nec etiam eorum producendorum deſideria. Per repræſentationem, quam vidiſti, illius, qui conabatur efficere, ut ſacræ ejus myſtici fluminis aquæ prodeſſent illis aridis palis, eorundémque ſterilitatem redderent fertilem, tibi indicare volui, quòd ipſis, quanquam ex multis antiquis exemplis poſſent ac deberent proficere, nihilominus iſtud recentius ob oculos ponam, ut illius memores ad ſe redeant, & non confidant falſæ præſentium temporum ſecuritati, non metuendo futura, ſed ut bene utantur meis miſeri-

cordijs, & faciant fructus dignos pœnitentiæ. Etiamsi verò modernum hoc exemplum sit adeò efficax, ut detegat mundi & honorum ipsius fallaciam, nihil tamen ipsis prodest, quia nolunt aperire oculos, ut videant lumen, quod se illis ingerit. Hæc intellexi à Domino, cujus Majestas nos dignetur disponere, ut ex ejusdem misericordijs proficiamus. Amen.

XX. Denique ut Judices etiam discerent misericordiam erga sibi commissos reos, præsertim criminum suorum pœnitentes, pulcherrimum documentum DEUS præbere voluit, per revelationem, quam Ven: Marina ibidem eodem anno sub finem Decembris sic describit: Quadam die mihi DEUS ostendit duas Animas ex divina dispositione colloquentes. Una beata & ad sublimes gloriæ provecta gradus, erat cujusdam Domini (nempe Roderici de Calderon) quem videbam in specie magni Ducis, splendidè elegantissimo torque exornatum, pendente ex collo instar torquis, quo utuntur Equites aurei velleris: & hæc omnia mihi repræsentabant, quàm eminentem gradum obtineret in Cœlo. Altera erat alterius personæ, nullatenus inferioris conditionis, quæ afflictissima degebat in Purgatorio. Vidi deinde hanc flexis genibus & junctis manibus cum magna humilitate & submissione petentem ab Anima gloriosa, ut pro ipsa apud DEUM intercederet, quò illam dignaretur liberare ex pœnis, quas patiebatur. Anima gloriosa illam intuebatur perbenignè & benevolè, multùm ei condolendo, & dicebat ipsi: faciam id omnino quàm libentissimè, & certò te scire velim, me, si possem reverti ad mundum, rursúmque pati, quod sum passus, ac sustinere mortem, qualem sustinui, quamvis toleranda forent millena alia tormentorum genera, promptissimè omnia à me suscipienda, ut te in his pœnis sublevarem: quæ dubio procul fuerint gravissimæ, quas ibi hæc persona perferebat. Et cognovi illuminata à DEO, causam earum esse, quòd, cùm utraque Anima degeret in hac vita mortali, ista, quæ nunc tanto-

pere

pere cruciatur, addiderit, licèt bonâ intentione, & existimans se bene agere, stimulos ad afflictiones & mortem, quam altera persona, tantâ nunc fruens gloriâ, fuerat perpessa: siquidem præter illam intentionem, quæ videbatur bona, aliquid, imò verò multum se admiscuerat naturalis propensionis, dum se abripi permisit à passionibus, quas debuisset moderari.

XXI. Convertit se postea hæc afflicta anima ad me, dixítque mihi, se esse damnatam ad septem annos illarum terribilium pœnarum, quas tum tolerabat, atque addidit: Famula DEI, jube conscribi, quod vidisti, & audivisti, ut homines, præsertim autem Judices, discant, quomodo suis proximis jus dicere, séq; gerere debeant, dum eos videbunt pati; & sapiant meo exemplo. Indolui supta modum ob afflictionem & angustias hujus personæ, quia illam impensè in Domiuo amaveram, multúmq; ipsi eram obstricta, dum viveret. Itaque recurri ad Divinam Majestatem, rogavi instantissimè, ut ipsius misereretur, eámque liberaret à tam acerbis tormentis. Volui idcircò statim dicere coronam, cui habeo attributas Indulgentias, atque has ipsi applicare; verùm subitò vidi Dominum, qui mihi modo quodam gravissimo signum dedit, acsi (ut more nostro ruditer loquar) imponeret labijs digitum, indicando mihi, nè sic orarem, eò quòd nollet, ut tunc uterer Indulgentijs, sed tantùm illi Animæ applicarem preces communes modo consveto Ecclesiæ.

XXII. Postea decimâ septimâ Decembris mihi, nihil tale cogitanti, hæc afflicta Anima rursum comparuit, & quamvis illam internoverim, non tamen plenè, quia habebat faciem obfuscatam obscurâ quadam umbrâ, quasi vultum manu obtexisset. Allocuta me est, & interrogavi ipsam, quænam esset? Non me novisti? ajebat, & cùm eam velut umbram abstulisset è vultu, ut mihi totus appareret, respondi: Ità Anima, jam te optimè nosco. Scito, dicebat illa, gravissimas esse pœnas, quas sustineo, & sententiam hactenus perseverare in suo vigore, ut durent

ſeptennio. Obſecro te per ipſum DEUM, & per magnam meam æſtimationem tui, ingénſque deſiderium, quod in vita habui tibi gratificandi, ut me commendes eidem magno Domino, illúmque roges, ut mei miſereatur, qui ideò quòd mea ſeveritas non fuerit miſerta peccatorum pœnitentium, neque ipſis ſum compaſſus, juſtiſſimè patior hæc tormenta. Promiſi ei prorſus ex animo, me id facturam, dixíque illi: Anima, eſto bono animo, & confortare in Domino; licèt enim ſit verum, te nunc tam multum pati, finietur id tamen, & frueris DEO in æternum. Locuta ſum ipſi alia hujuſmodi, quia mihi indè videbatur percipere ſolatium. Poſtquam abivit, confugi denuò ad DEUM, & rogavi illum, quàm optimè potui, ut miſereretur Animæ in tantis conſtitutæ anguſtijs. Divina Majeſtas autem, quaſi interrumpendo meas preces, mihi dixit: Marina, judicia mea ſunt altiſſima & arcaniſſima, atque juſtitia mea non minùs ſuum obtinet locum, quàm miſericordia. Ora pro ipſo more uſitato, quo ſolet orari pro Animabus Purgatorij. Ergóne, replicui ego, mi Domine, tot Miſſæ, quæ pro eo fuerunt dictæ, & Sangvis tuus, qui illi fuit applicatus, non ſufficiunt? Dico tibi, reſpondit Dominus, quòd longè graviores toleraret pœnas, niſi id factum fuiſſet. Hoc mihi evenit. Nihilominus ſpero DEUM miſerturum hujus Animæ. Atque per DEI miſericordiam his feſtis Natalitijs, quibus pro illa oravi, intellexi multum mitigatas pœnas, quas patitur. DEUS ipſam penitus liberet. Amen, Amen.

CONCLUSIO
ad benevolum Lectorem.

ALiqua mihi viſus es ſub finem hujus Tractatûs monendus, amice Lector. Primò me in 1. Parte hujus Tractatûs in deſcribenda Sanctitate Vitæ Venerabilis Virginis Dominæ Marinæ de Eſcobar ea omnia conatum eſſe præterire, quæ non niſi ex ipſiuſmet Reve-

velationibus & Assertis constant. Cùm enim dubiæ sint aliquibus ejus Revelationes, & Visiones, si certitudinem & veritatem earum voluissem, per illas ipsasmet Revelationes firmare, Sisiphi saxum casso labore volvissem. Alioquin si etiam ex ijs, quæ in Revelationibus ejus extant, liceat argumenta Sanctitatis adducere, næ illa altissimum supremæ cujusdam inusitatissimæ Sanctitatis apicem conscendisse dicenda sit, ad omnium seculorum admirationem. In secunda verò hac Parte, Prudentiam & Scientiam mysticam Venerabilis Marinæ, clarum est non oportuisse probare, nisì ex ipsiusmet dictis, scriptis, & dictatis.

II. Cùm ergo scopus meus sit Revelationibus ac Visionibus Ven: Marinæ fidem conciliare, nec non Ven: Patrem Ludovicum de Ponte à nota temeritatis in approbandis ijs, quæ Parte 1. mirabilis Vitæ ejusdem magnæ Servæ DEI ipsemet conscripsit, vindicare; pro quo secundùm mentem sapientissimi Episcopi Giennensis, necesse fuit ostendere primò, qualísnam Vir, & quantus Sanctitate & Prudentiâ fuerit P. Ludovicus de Ponte Confessarius, ac Rector spiritûs ejusdem Mirabilis Virginis: deinde quæ & quantæ Sanctitatis & Prudentiæ fuerit ipsamet illa Persona, cui Revelationes illæ cœlestes factæ sunt, Venerabilis Marina; spero me his duobus verarum, & non illusoriarum aut fucatarum Revelationum signis satisfecisse per hos duos, secundum & tertium, Tractatus; ut propterea apud quemlibet moderati animi, & Prudentiæ Christianæ Virum, securè dixero: *Hac Revelatio, etiamsi eam non satis ego assequar, est vera, quia eam habuit tantæ Sanctitatis & Scientiæ mysticæ Virgo, & quia eam probavit tantæ Sanctitatis, & tantæ Sapientiæ, Vir in mystica Theologia incomparabilis.*

III. Supersunt adhuc nihilominus duo ab eodem laudatissimo Episcopo assignata Discretionis spirituum signa, nempe à *Materia*, quam Revelationes illæ tractent, & contineant, atque à *Modo* quo contigerint. Quæ duo argumenta exactè propositurus sum Tractatibus sequentibus, nempe Quarto, in quo exponam, quantum lucis & firmitudinis mysterijs Fidei attulerint hæ Revelationes: Quinto verò quantum momenti, ac Documentorum moralium pro vita christianè ac sanctè instituenda. Sexto, modum quo Revelationes hæ contigêre: immenso nimirum amore DEI erga suos Sanctos, ac præcipuè blanditijs inexplicabilibus Sponsi cœlestis erga hanc suam Sponsam singularem; ubi quibusdam ille ipse excessus tam teneri amoris, parit difficultatem, ut cum S. Davide exclament: *Nimis, nimis honorati sunt Amici tui, DEUS!*

IV.

IV. Quo in genere mihi opportunum interea videtur advertere, quod habet Conscriptor Revelationum Sanctæ Mechtildis, lib. 5. cap. 21. seu ultimo, ubi postquam admirabilem Sanctitatis Sanctæ Mechtildis altitudinem compendio retulisset, eámque omnibus Sanctorum Angelorum Choris, ac ipsis Seraphinis, ac demum omnibus Sanctis comparâsset, sic concludit: *Sed nulli absurdum videatur, si nostri temporis, in quos fines seculorum, imò fæces omnium vitiorum, & tædia omnium bonorum devenerunt, unum* (seu unam Personam sanctam) *omnibus Sanctis communicavimus*, seu comparavimus, *cùm B. Gregorius super Ezechielem dicat, quòd DEUS de die in diem majori homines cognitione illustrare, secreta sua illis ampliùs revelare dignetur, & processu temporis scientiam spiritualium augeri, introducens authoritatem Danielis Prophetæ de ultimo tempore dicentis: Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Dicit etiam sic: Moyses plùs quàm Abraham, Prophetæ plùs quàm Moyses, Apostoli plùs quàm Prophetæ cognoverunt. Sicut David de se testatur dicens: Super omnes docentes me, & super Senes intellexi. Legitur etiam in vitis Patrum: qui Sancti Patres de ultima generatione prophetabant dicentes: Homines tunc temporis fore negligentes: sed tamen qui inter eos perfecti fuerint, super nos & Patres nostros meliores erunt.*

V. Hæc Conscriptor Vitæ Sanctæ Mechtildis, quibus pulcherrimè congruit, quod eadem Sancta Mechtildis ipsa habet lib. 1. cap. 35. de Ascensione Domini, qui omnes Sanctos antiqui Testamenti ex limbo eductos secum deduxit ad cœlos, ubi illa sic narrat: *Magnus etiam Sanctorum exercitus ibi visus est, inter quos Joannes Baptista, & Joseph Nutritius Domini, & Simeon, qui Christum Dominum suscepit in templo, erant Primates.* Nempe hi tres erant alijs tempore posteriores, in quos ultima Synagogæ tempora devenerunt. Neque per hoc volo concludere Sanctiores quospiam fore in fine Ecclesiæ tempore Antichristi, quàm fuerint Sancti Apostoli Fundatores Ecclesiæ, quia plures hîc occurrunt circumstantiæ, ob quas potest hîc supponi ab hac regula exceptio, ut propterea DEO sit hoc judicium relinquendum.

TRA-

TRACTATUS QUARTUS.

Quantùm ex mirabili Vita Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar confirmationis accipiat Sancta Fides Catholica.

PROLOGUS.

QUæ ad declarandam, probandámq; veritatem Revelationum Venerabilis Marinæ de Escobar hactenus juxta monitum Sapientissimi Episcopi Giennensis à Sanctitate, Prudentia, sacráque eorum Scientia, quorum operâ Revelationes hæ conscriptæ sunt adduximus, quasi ab extrinseco petita fuère argumenta: nunc ad interiora quasi ex visceribus causæ eruenda conversi, pretiosos exponemus thesauros, quibus Revelationes hæ, tam in prima à Venerabili Patre Ludovico de Ponte collecta, quàm in secunda post felicem ejusdem Venerabilis Virginis obitum edita Parte abundant, ídque seu ad confirmandos Sanctæ Catholicæ Fidei articulos, seu ad vitæ Christianæ saluberrima practica documenta: ut sic appareat cœlestes has Revelationes non admodum egere subsidijs extraneis, cùm ijs applicari possit elogium, quod Psalmo 18. Sanctus David de omnibus, quæ ab ore DEI procedunt, eloquijs protulit: *Judicia Domini vera justificata in semetipsa.*

In hoc ergo Quarto Tractatu selectiora comprehendam, quæ ad Sanctam Fidem nostram Catholicam confirmandam, aut declarandam pertinere videbantur; practica moralia Tractatu Quinto daturus.

Dividam autem Tractatum totum in Partes quinque: PRIMA continebit ea, quæ ad Librorum S. Scripturæ tam antiqui, quàm novi Testamenti, & aliquorum specialium locorum ac textuum seu elucidationem, seu confirmationem, seu imitationem, ac expressionem pertinent.

SECUNDA: Quæ ad DEUM, & ad SSS. Trinitatem in Personis distinctam spectant, adeóque comprehendet ex Symbolo Apostolorum Articulos tres, nempe primum, secundum, ac octavum; qui sunt: Credo in DEUM Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & Terræ. Et in JESUM Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. Credo in Spiritum Sanctum. Ubi tamen ea, quæ sunt Filio DEI, ùt est incarnatus, propria, nempe quòd sit JESUS Christus Dominus noster, adeóque quidquid est de Incarnatione, differretur usque ad Partem Quartam, in qua explicabitur Vita Christi Domini. Et quia in primo Fidei nostræ articulo comprehenditur DEI omnipotentia foras in ordine ad creaturas, id est Creatio cœli & terræ; ideo sicut Divus Thomas ad primam partem revocavit Tractatum de Angelis, ità & hìc subjungetur

TERTIA PARS, quæ complectetur Revelationes de Angelis tam bonis, quàm malis.

QUARTA PARS exhibebit totam Vitam Christi Domini, ùt & omnia ad Sanctissimam ejus Matrem, ac Verbum incarnatum, quocunque modo spectantia, adeóque complectetur ex Symbolo Apostolorum articulos sex, nempe tertium, quartum, quintum, sextum, ac septimum; qui sunt: Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex MARIA Virgine; Passus sub Pontio Pilato, crucifixus mortuus & sepultus; Descendit ad inferos, tertiâ

tiâ die resurrexit à mortuis; Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris omnipotentis; Inde venturus est judicare vivos & mortuos. Quibus accedet, ùt dictum est, quæ ex articulo secundo sunt huc de Incarnatione dilata: itemque articulus undecimus: Credo Carnis Resurrectionem, quia articulus ille non potest separari à septimo, de Judicio universali.

QUINTA PARS colliget reliqua Mysteria ex thesauris Verbi Incarnati in genus humanum derivata, adeóque complectetur ex Symbolo Apostolorum residuos tres; nempe nonum, decimum, ac duodecimum, qui sunt: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem; Remissionem peccatorum; & Vitam æternam. Unde huc pertinebit quidquid ad Sanctos, eorúmque cultum spectat, ut & ad omnia Sacramenta, Indulgentias, Purgatorium, Cœlum, ac Infernum.

PARS PRIMA.

Quæ ad libros Sacræ Scripturæ confirmandos pertinent.

SÆpius Divina Majestas in Revelationibus Venerabilis Marinæ Sacram Scripturam in communi tanquam librum à se generis humani saluti datum commendat, ùt & promittit Duces spirituales non erraturos, si in Animabus dirigendis eam sequantur. Nos in particulari quosdam locos & textus speciales proferemus.

CAPUT I.

Loci & textus in Libris Moysis, qui ex Revelationibus Ven: Marinæ de Escobar confirmantur, vel illustrantur.

 I. Ge-

I.

GEnefeos c. 18. ℣. 1. Abraham in fymbolo Sanctiffimæ Trinitatis tres vidit, & unum adoravit. Ità Ven: Marina Parte 1. lib. 3. c. 8. §. 1. de fe refert: Anno 1611. agens cum DEO horâ fecundâ noctis, vidi tres Beatos Spiritus, qui, ùt mihi videbatur, erant Angeli DEI, & ftantes coram me aliquantùm ex parte, dixerunt mihi modo admirabili & valde gravi: Soror, venimus, ut tibi annuntiemus nova nomine DEI. Neque mihi tunc plus funt locuti. Ego admirabar admirabilem modum loquendi, quo utebantur: nam loquentibus tribus, loquebatur tantùm unus, & loquente tantùm uno, loquebantur omnes tres; per quod DEUS vehementer illuminavit meam Animam, ut cognofcerem altiffimum myfterium trium Divinarum Perfonarum, & unius folius veri DEI, adeò, ut habito hoc lumine potuerim dicere, verum effe, quod confitemur de hoc myfterio.

II. Genefis 29. ℣. 18. Jacob fervivit feptem annis pro Rachele, loco cujus data eft illi lippa foror ejus Lia. Pulcherrimè hoc exprimitur apud Ven: Marinam Parte 1. lib. 4. c. 4. §. 3. ubi ipfa fic habet. Poft toleratas quafdam afflictiones ac moleftias dixerunt mihi ifti Sancti Angeli, fe mecum manfuros totâ eâ nocte, & unus ex ipfis, ut me diftraheret dixit: Volo tibi modò recenfere hiftoriam ex Sacra Scriptura, quæ contigit ante adventum Chrifti Domini in mundum. Jllo tempore erat quidam Vir nomine Jacob, qui fervivit feptem annis cuidam homini diviti ac potenti, ut fibi defponfaret unam ipfius filiam, quæ erat præter morem formofa. Audito principio hujus hiftoriæ, quum illam recenferet Angelus, modo gravi, fvavi, & cœlefti, unde capiebam folatium, dixi illi: Angele DEI, per DEUM te rogo, ne mihi referas, neque commemores antiquas hiftorias, quarum ego non habeo magnam notitiam; cùm etenim fim obnoxia timoribus, vivámque femper cum metu, nolo fume-

ſumere pro mea imbecillitate occaſionem ex eo, quod dicis, alicujus inquietudinis. Angelus ſe aliquantùm continuit, ac deinde dixit. Soror noſtra, nos Angeli DEI non poſſumus referre, neque quidquam dicere aliud, quàm ipſius veritates, ideóque nè timeas, nec dubites. Et hoc dicto rediijt ad hiſtoriam, quam inchoaverat dicendo: Servivit hic Jacob ſeptem annis, ut ſibi deſponſaret filiam ſui Domini, ſicut dixi, & ijs elapſis illam ipſi non dedit ejus Pater, allegans pro excuſatione, in ea regione non eſſe conſvetum nuptui dare filias minores priùs, quàm majores. Deſponſavit illi igitur filiam majorem, quæ erat lippa, dixitque ipſi: quòd ſi vellet Sponſam habere filiam minorem, quæ erat formoſa, ſerviendum illi eſſet alijs ſeptem annis. Hoc ità evenit Anima. Sed volo tibi narrare aliquid aliud ſublimius & excellentius, atque accommodatum meæ intentioni. Noveris etiam, quòd quando Filius DEI venit in mundum, & aſſumpſit carnem humanam, ut ſubveniret omnibus hominibus; venerit ad ſuum dilectum populum, in quo ſibi complacuerat, ut iniret mirabilem illum contractum cum Synagoga, ſeu ipſam ſibi deſponſaret; & poſtquam illi inſerviviſſet tot annis, præſtitiſſétque ipſi tantam gratiam, & favorem; exceperunt illum valde malè & inhumanè, neque ei dederunt Sponſam, ac proinde accepit ejus loco, pro eo tempore ſororem lippam, quæ fuit Gentilitas. Conſidera felicitatem hujus, & miſeriam illius. Quid tibi de hoc videtur? Ego eram adeò turbata propter meos ſolitos timores, ut vix intelligerem, quid mihi loqueretur in ſua illa cœleſti converſatione, quam nihilominus Angelus proſecutus eſt, dicens: Noveris quoque Anima, quòd Dominus DEUS Majeſtatis ordinariè, licèt ſit infinitæ bonitatis, & miſericordiæ erga ſuas creaturas, ſit etiam omnipotens, terribilis & juſtiſſimus in ſuis pœnis, ideóque ſæpe propter peccata & culpas ſui populi, illum derelinquat, abeátque eo, ubi meliori cum diſpoſitione recipitur ab animabus, quemadmodum

fecit cum suo proprio ac dilecto, & æstimato populo, de quo tibi modò locutus sum. Scias prætereà, ut tangaris commiseratione, & plores ac postules à DEO misericordiam, quòd Divina Majestas vehementer sentiat, se offensam esse à quodam populo, illique indignetur propter ejus gravia peccata, & vilipensiones suæ Divinæ Majestatis, & propè constituerit illum deserere, & derelinquere, & transire ad alium populum, ubi meliùs recipiatur majori fide adoretur & honoretur. Cogita Soror, quis sit iste dolor ac afflictio, & quàm dignus compassione sit status illius populi derelicti ac deserti à suo DEO & Domino, quæ est summa ipsius pœna, ac tanta, ut si nos Angeli ejus possemus dolere & flere, summè præ commiseratione fleremus, implorantes pro eo DEI misericordiam. Adverte similiter quanta felicitas, quámque immensa, & quam beata sit cœlestis sors illius populi, quem Dominus ex altissimis suis judicijs & magna misericordia disposuit, ut reciperet, crederet, ac amaret Divinam ipsius potentiam & Majestatem. Hujus misericordiæ figura fuit historia Liæ lippæ, quam tibi retuli, non solùm ut te distraherem, ac diverterem à tua afflictione & doloribus, sed etiam ut videres, agnosceres, ac ponderares opera DEI, altitudinem judiciorum ipsius, immensam ejus sapientiam & bonitatem, ac dominium, quod habet super omnes creaturas suas exhibendo ipsi pro sua divina voluntate clementiam & misericordiam, quæ semper relucet in omnibus ejus operibus. Oportet tantùm clamare & petere à DEO misericordiam cum charitate, humilitate, & confidentia, quia hac ratione placatur DEUS.

III. Genesis 28. ℣. 12. Vidit Jacob scalam stantem super terram, & acumen ejus tangens Cœlum. Angelos quoque DEI ascendentes & descendentes per eam. Venerabilis Marina Parte 1. l. 3. c. 4. §. 1. refert: Dum versarer quâdam nocte coram DEO in Martio Anni 1621. videbam interruptè quendam magnum

gnum & pulchrum campum, in quo ſtabat valde alta & mirabilis ſcala, pertingens à terra uſque ad Cœlum, & deſcendebant ac aſcendebant in illa Angeli DEI, dicebántque mihi: hæc eſt ſcala Jacob. Ego, quia agebam cum DEO modo meo ordinario, neque memineram talis ſcalæ, attribuebam totum, ſicut poteram, imaginationi: ſed in momento me inveni ad pedem ipſius cum nonnullis ſanctis Angelis. Contemplabar illam à ſumitate deorſum, & ab infima parte ſurſum, vidíque juxta ipſam magnæ authoritatis Perſonam, indutam veſtibus valde pretioſis, & ejus coloris, quem habet ardens ignis. Videbatur mihi eſſe magnus aliquis Sanctus, & optabam ſcire, quiſnam eſſet; tum acceſſit quidam Angelus ad meam aurem, dixítque mihi: Iſte eſt quidam Sanctus Propheta. Mirabar hoc audiens, & dicebam tacitè: quid ad rem facit, videre Prophetam cum ſcala Jacob? Tunc mihi dixit Sanctus, manifeſtans ſe mihi quis eſſet per ſpeciale lumen: Anima, ego ſum Propheta, nè dubites, & veni huc jubente DEO, ut te docerem, quo modo hæc ſcala conſcendatur, animarémque ad ipſam conſcendendam, ac proinde inchoabis aſcenſum: & quamvis videatur arduus ac difficilis: nè timeas, ego enim & hi Sancti Angeli, hìc præſentes, te juvabimus in nomine Domini. Atque hoc dicto Sanctus & Angeli me conſtituerunt in primo gradu ſcalæ, ac incepi illam unà cum ipſis conſcendere. Aſcendebam lentè cum magno timore, quantóque progrediebar ulteriùs, tantò timebam ampliùs illius altitudinem: videbar enim mihi poſſe ruere, niſi à comitibus meis ſuſtinerer. Hoc modo perveni uſque ad Cœlum.

IV. Geneſis 32. ℣. 24. Jacob luctatus eſt cum DEO. Complures ſimiles inter DEUM & Venerabilem Marinam luctæ referuntur: ùt Parte 1. l. 2. c. 9. §. 3. & l. 3. c. 4. §. 1. Cùm eſſem ad Cœlum adducta cum quopiam ſancto Propheta, & ab eo corroborata & animata, ut ingrederer in Majeſtatem Divinam ſub ſpecie ignis apparentem dixi: Sancte mi, quid quæſo mihi facien-

faciendum est in hoc ingressu, ecce enim jam eo. Respondit Sanctus: Ingredieris ad tuum DEUM, & statim illum fortiter amplecteris, stringésque ac dices: DEUS mi, ad te venio, & in te volo manere, neque te unquam dimittam, nisi benedixeris mihi: Tecum luctabor mi DEUS, sicut Jacob, donec mihi benedicas. Et si tibi dixerit in hac lucta: Quid vis Anima, quid à me petis? relinque me ac dimitte ex tuis brachijs; noli propterea desistere à tuo proposito, vel concidere animo & esto constans; hoc námque vult DEUS tuus, & dic illi, quod tibi dixi, sunt enim verba ipsius. Atque cùm hoc diceret ille benedictus Sanctus, introduxit me svavi quâdam violentiâ in illam immensitatem mei DEI, & in illum ignem comburentem, intra quem fui fortiter unita illi summo Bono, quod sum arctè complexa, ibíque mihi evenerunt ea, quæ Sanctus dixerat, in illis colloquijs DEUM inter ac meam animam, & in divino illo certamine, quod diu duravit; tandémque victus à sua bonitate, & misericordia, magnus ille DEUS mihi dixit: Anima bene certavisti, pro obtinenda meâ nova benedictione, quàm tibi ego libenter volo dare meo nomine, & mei Filij ac Spiritûs Sancti; suscipe ipsam. Et dedit mihi suam sanctam benedictionem, dicendo: Benedicta eris Anima in cœlo & in terra, & in omnibus tuis operibus ac desiderijs, ac in quovis loco, & ubicunque fueris in omni eo, quod toleraveris, & possederis, totáque eris in me benedicta. Summo me solatio affecit hæc admiranda misericordia mei DEI ac Domini, & occupata fui à quodam somno spiritualissimo, acsi quiescerem post luctam, & fortem unionem, quam habueram. Deinde me Angeli reduxerunt per scalam ad cujus finem iterum vidi Sanctum Prophetam, ac humi prostrata petivi ab illo sanctissimam ipsius benedictionem, quam mihi peramanter est impertitus, & indè fui ducta ad meum angulum.

V. Parte 1. l. 3. c. 4. §. 2. Aliam luctam cum suo DEO simi-

ſimilem præcedenti, habuit ſequenti anno hunc in modum: Cognoſcebat mea Anima DEUM, habito ſpeciali ipſius lumine, amabatque ipſum, ac magnâ vi ac fervore volebat amplecti, atque comprehendere totum illud ſummum Bonum, ac DEUM ſuum, & ità ei uniri. Luctabatur cum his affectibus, & quia ingentia experiebatur bona, virtutem ac ſolatium, nolebat ipſum ullo modo dimittere, dicebatque ſuo DEO: Non dimittam te, Dilecte meæ Animæ, neque te debeo dimittere, nisi benedixeris mihi. Tum Dominus magni cujuſdam & ferventis amoris præferens indicia: Quid petis, ajebat, à me Anima? dimitte me jam, & noli mihi vim inferre. Iterúmque dicebat Divina Majeſtas cum ejuſmodi amore: Quid à me vis Anima? videſne me hic? amplectere me, & quantum potes, reple tuam vacuitatem, Jam hoc dicebat, jam illud, & anima adhærebat ſuo DEO, cum quo luctabatur, dicebatque: Non te relinquam, neque dimittam ex meis brachijs, DEUS meus, niſi benedixeris mihi. Dominus autem reſpondit: Cave tibi Anima, dimitte me, alioquin te ſauciabo, & transfigam cor tuum. Fiat licèt, ajebam ego, ità mi Domine DEUS, fac, quidquid volueris, de me, quia ego te non dimittam, neque enim aliud ſcio, vel poſſum facere. Poſt hoc ſe mea anima ſenſit transfixam, & vulneratam à ſuo DEO affectu amoris, quaſi quadam ſagittâ, fuitque continuò cum ingenti ſolatio, ſopita ſomno quodam ſpirituali, ac unita ſuo DEO; & quando evigilavit ex hac divina communicatione, atque illa lucta, vehementer admirabatur talia divinæ bonitatis opera.

VI. Commentatur ibi Venerabilis P. Ludovicus de Ponte, ſequentibus verbis: Benedictio, quam Anima petit, dum ità luctatur, & certat cum ſuo DEO, eſt plenitudo cognitionis, & amor, quem tam avidè exoptat, & aſſequi conatur, tametſi nequeat comprehendere omnia, quæ vellet.

Item habetur l. 5. c. 8. §. 5. Ducta ſum ad conſpectū SS. Trinitatis,

 aſpe-

aſpexit me Dominus, dixit mihi: & tu vermicule quid hic agis? quid vis? Ego magno animo dixi: Domine mi, quamvis ſim vermiculus, adrepam ad radicem arboris vitæ, rodam illam (utpote orando) atque ſicut Jacob tecum luctabor, donec te vincam, & ignoſcas peccatoribus. Reſpondit Dominus: Bene eſt, bene dicis. Faciam id. Et præterea tibi dico, quòd ſi quis exiſtens in malo ſtatu ad te confugerit, ut pro ipſo ores, ſim illi propter te condonaturus peccata, eúmque ad me converſurus.

VII. Cùm non poſſet Ven: Marina Parte 1. l. 5. c. 9. §. 1. exorare An. 1590. ut peſtis ceſſaret, dolens maximè propter perditionem Animarum, quia ſalus unius Animæ (ait ipſa) redemptæ ſangvine Chriſti JESU, æſtimabilior eſt, quam omnium facultates & vita, exclamavit: Ah mi Domine, miſeram me? quid facient infelices? væ miſeris, quid facient? non, propter tuam bonitatem mi Domine, non fiat id ampliùs! non pereant Animæ redemptæ tuo pretioſo ſangvine. Hoc enim erat, quod comminabatur illa pœna DEI, & mihi cor præ dolore diſrumpebat; unde ei dicebam: Non, non Domine. Et Divina Majeſtas reſpondebat: ità, ità. Ego repetebam: non, non Domine, propter bonitatem tuam. Divina Majeſtas dicebat: ità, ità. Ego rurſum reponebam: conſideret verò tua Majeſtas per infinitam miſericordiam quomodo id poſſit eſſe: ineundum enim eſt aliquod pactum, nec ità fieri oportet mi Domine. Et urgebam perſeveranter ego miſerabilis meum Dominum magnum, ac omnipotentem, qui me tolerabat. Offerebam illi meam vitam libentiſſimè pro ſalute cujuſcunque Animæ. Tandem concluſi cum Domino, quòd non eſſent tot mala eventura, ſed ſolùm aliqua.

VIII. Exodi 3. ℣. 2. apparuit Moyſi DEUS in rubo ardenti. Venerabilis Marina Parte 1. l. 2. c. 6. §. 1. narrat: Dum vacarem orationi, meditando Nativitatem Domini, mei Domini ſancti Angeli me duxerunt ad quendam parvulum hortum,

tum, peramœnum tamen, concinnum, ſvaveolentem,& jucundiſſimum, ibique me in medio ipſius collocaverunt in quodam ſedili, referente ſpeciem ſellæ, ubi me ſenſi flammis vehementis & ſvavis ignis circumdatam, quibus mea Anima ardebat, neque comburebatur, quia ipſe DEUS erat in igne. Ibi fui plurimùm confortata, & Dominus mihi revocavit in memoriam Rubum Moyſis, qui ardebat, & non comburebatur, atque eum in modum fui toto illo tempore valde unita DEO, donec ad me redijſſem ex raptu. Benedictus ſit DEUS.

IX. Exodi 3. ℣. 14. Interrogavit DEUM Moyſes, quod eſt nomen ejus: dixítque DEUS ad Moyſen: Ego ſum qui ſum. Similiter Ven. Marina Parte 1. l. 3. c. 20. §. 3. dixit Domino DEO: DEUS & Domine mi, quod eſt nomen ejus? Dicat mihi: An Rex Regum, & Dominus Dominantium? omnes tituli ſunt inferiores ejus dignitate; neque inveniebam, quomodo illum compellarem. Tum mihi reſpondit Divina Majeſtas: Ego ſum, qui ſum, & hoc eſt nomen meum. Solus ego à me, & ex mea eſſentia habeo, quod ſim.

X. Exodi 33. ℣. 23. dixit DEUS ad Moyſen: Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. Simile quid refert de ſe Ven. Marina lib. 3. c. 1. his verbis: Vidi clariſſimè Majeſtatem DEI, ut ità dicam à tergo, adeò ut fuerim vehementer conſternata, contemplando tantam gloriam, qualis mihi ibi apparuit. Erat ea res inuſitatior, quàm quæ mihi unquam acciderit. Neque verò ego miſerabilis auſim aliud dicere, quàm fuiſſe à me viſam totam DEI Majeſtatem. Unde quiſque intelligat, quidnam viderit, quæ id vidit

XI. Numerorum 21. ℣. 9. Fecit juſſu DEI Moyſes ſerpentem æneum, cujus aſpectu Filij Iſraël ſanabantur. Venerabilis Marina Parte 1. l. 2. c. 16. §. 7. ſic ſcribit: Mihi manè agenti cum DEO ſpectandam Divina Majeſtas exhibuit in loco alto, & veluti in aëre ſpeciem ac effigiem JESU Chriſti Domini noſtri

ſtri crucifixi. Crux hujus myſterij erat fuſca, & ſpecies Domini ex illa pendentis erat quaſi fuſa ex ære ſolido, terribili, & inflammato, coloris ignei. Viſo hoc myſterio fui valde mirata, & timens vehementer, nè eſſet imaginatio, vel aliquid ſimile, celeriter ab eo averti oculos, méque diſtraxi, quamvis difficulter, quòd quàm ſæpiſſimè interdiu obverſaretur meæ memoriæ, ut mihi illud viderer habere ante oculos. In hac diverſione ac pugna permanſi tribus diebus, quia mihi per illas Divina Majeſtas quovis matutino tempore ſecum agenti exhibebat iſtam effigiem, ac tandem ultimâ die, cum idem ſpectaculum meæ Animæ objiceretur, neque ſciret, qualenam eſſet, mihi dixit Dominus: Anima iſte eſt ſerpens ille æneus, quem Moyſes erexit in deſerto Filijs Iſraël, ut ipſum aſpicientes liberarentur ac ſanarentur à morſibus ſerpentium. Iſtud eſt myſterium, quod tibi oſtendi his diebus quódque tu tantopere refugiebas, ac timebas. Dum audirem illud dici à meo DEO & Domino fui vehementer conſternata, eò quòd ſimilium Scripturæ locorum minimè recordarer: quia tamen habui ſublimiſſimum lumen, quod mihi tunc Divina Majeſtas communicaverat, intellexi internè magnâ vi & efficaciâ veritatem ac valorem rei repræſentatæ ab illo ſerpente æneo, quem erexerat Moyſes, utpote Sacroſanctum Myſterium Crucis Chriſti JESU Domini noſtri, & valorem & pretium mortis ejus ac pretioſi Sangvinis, quem in illa profudit pro ſalute noſtra, & remedio omnium: quod ipſum atque unà ingentia bona, quæ nobis provenerunt ab iſto Domino, & à Sacroſancta ipſius morte ac Paſſione, nobiſque etiamnum ab hoc eodem Domino conferuntur, & communicantur, clariſſimè agnovi illuminata à DEO, ideóque ipſi ſæpiſſimè & cum ingenti affectu amoris, necnon æſtimatione tam eximij beneficij & gratiarum actione dicebam: O divine Serpens! quem cum amore, fide, & confidentia intuentes omnes creaturæ ſanantur, & liberantur, à veneno, ac morſibus ſerpentis infernalis multò me-

meliùs, quàm Filij Iſraël aſpiciendo illum ſerpentem æneum, ſanati fuerint à ſuis morſibus. Tu es mi Chriſte ac Domine noſter Salus & Vita, ac Medicus noſter, & noſtra Medicina, noſtra Virtus & Fortitudo, noſtra Lux, & Dux noſter. In te mi DEUS ac Domine habemus omnia bona; per te ſalvati ſumus & redempti ex captivitate diaboli, noſtri adverſarij. Hæc frequenter repetebat Anima, & cum magno lumine atque affectu, ut non poſſet eorum oblíviſci. Sed dixi deinde ad DEUM meum: bene video & intelligo ex tua illuſtratione, quid mihi dixeris Domine de hoc myſterio: quæro nihilominus etiam modò cum tua venia: quare mihi oſtendiſti hunc divinum Agnum manſvetum, amabilem, humilem, & benignum, & benefactorem noſtrum, in tam terribili ſpecie, & fortem inſtar æris ac adeò accenſum, ut referret colorem ignis? Anima (dixit Dominus) quamvìs omnia ſint vera, ſicut vidiſti & intellexiſti ex mea illuminatione; noveris, quòd in hoc Domino Filio meo ac DEO & Homine vero, ùt eſt Homo & Redemptor mundi, habeatis univerſa iſta bona, quæ commemoratis & agnoſcitis; ob quam cauſam illum vobis donavi, ac tradidi in manus peccatorum. Ut tamen eſt DEUS, antequam ingrederetur in uterum ſuæ Matris, erat terribilis, & erat fortis, erat vindex, erat DEUS ultionum: ac proinde ità volui, ut à me illuminata videres, intelligeres, & cognoſceres omnes has veritates pro ſolatio ac bono tuo.

CAPUT II.

Textus, qui ex Libris hiſtoricis Veteris Teſtamenti in Vita Venerabilis Marinæ confirmantur.

I.

SEcundo Regum c. 11. ℣. 7. David menſæ ſuæ adhibuit claudum Miphiboſethum, filium dilecti ſui Jonathæ. Hoc

Divina Majeſtas expreſſit apud Venerabilem Marinam Parte 1. l. 2. c. 6. §. 5. Ipſo feſto Aſcenſionis manè mihi locuta eſt Divina Majeſtas, dixítq; amanter: quid agis Anima? jámne affluit ſolátio tuus affectus? ſcias velim, quòd tibi ſim præſtiturus novam gratiam, antequam abeam, quemadmodum tu dicis; quæ eſt, ut te priùs invitem ad convivium, mecúmque comedas ad meam menſam ex meo divino pane. Audivi, quod mihi à Domino erat dictum, & admirata ſum ipſius bonitatem, obtulitq; ſe ſtatim meæ memoriæ magna moleſtia & afflictio, quam patiebatur quædam perſona, & tentationes ac pericula ſalutis, quæ fortè eſſet incurſura, niſi illam Domrnus ſpecialiter adjuvaret, ideóque dixi Divinæ Majeſtati: Domine mi & DEUS mi, cùm mihi velis exhibere hanc miſericordiam, de qua loqueris, ex mera tua bonitate; obſecro te, præſta mihi & iſtam, ut convivij, quod mihi vis inſtruere, unà ſit particeps hæc perſona afflicta, & in neceſſitate conſtituta. Audivit Dominus, quod illi dixi: viſa verò eſt ejuſdem Majeſtas id diſſimulaviſſe, neque mihi reſpondit. Quod ego advertens iteratò idem petivi à Domino & majore affectu. Adhuc tamen tacebat Dominus, quaſi quoad id ſentiret difficultatem, vel illam præſeferret. Rurſum tertiò idem à Domino poſtulavi, longè vehementiore affectu denuò ſupplicando, ut per viſcera ſuæ clementiæ & miſericordiæ mihi faceret eam gratiam & miſereretur illius creaturæ. Tum Dominus videns meam pertinacem importunitatem, dixit: Volo tibi præſtare hunc favorem & gratiam, quam à me tam ſeriò petis, ac tanta cum charitate.

Cùm enim David adhibuerit ſuæ menſæ claudum, eò quòd eſſet Filius ſui magni amici Jonathæ, æquum eſt, ut ego idem ſuo modo faciam propter animam, quam amo. Interea diabolus coram Domino comparuit vehementer iratus & furens, dicens Divinæ Majeſtati, quomodo & quare facturus eſſet, ac faceret rem hujuſmodi permittendo accedere ad ſuam divinam men-

menſam tantum peccatorem, quantus eſſet ille homo, & tam perverſum? non oportere id fieri, ideóque nè id ullâ ratione Divina Majeſtas faceret. Videns magnus Dominus noſter ac DEUS audaciam ac temeritatem diaboli, cum maxima majeſtate, & modo terribili ei dixit: Apage nefarie proditor; túne audes & præſumis comparere coram me, cùm tu ſis cauſa tantorum malorum? apage abominabilis mendax ac deceptor. Animadvertens diabolus vocem Domini, verborúmque ipſius majeſtatem, incepit tremere, & cum ingenti metu ac timore evanuit.

II. Tertio Regum c. 19. v. 11. Elias in monte Horeb Dominum non in vento vehementi, ſed in ſibilo auræ tenuis percepit. Simile habetur apud Ven. Marinam Par. 1. l. 2. c. 9. §. 3.

Quarto Regum c. 6. ℣. 16. Eliſæus perterrito ſuo famulo ob adventum hoſtium dixit: *Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt*: oſtendítque illi montem plenum equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſæi. Sic contigit Venerabili Marinæ adhuc juniori prout ipſa narrat Parte 1. l. 4. c. 2. §. 1. ſequentibus verbis. Quâdam vice, vidi in meo cubiculo multos dæmones congregatos, qui mihi cum ingenti rabie vehementer optabant nocere, ità ut noctu non auderem in illud ingredi, nè cohabitarem tam malis ſocijs, neque audirem ipſorum blaſphemias, & nequitias; unde confugi ad DEUM, ut me ab ipſis liberaret; ille verò mihi dixit: Nè te affligas, quia ſunt ſine comparatione multò plures, qui te juvant ac defendunt, quàm qui tibi intentant malum, téque oppugnant. Quidquid autem tecum tam amici, quàm inimici egerint, totum cedet in tuum bonum. Ità fui confortata, & attollens oculos, vidi aſſiſtentes multos Angelos, quod mihi attulit magnum ſolatium. Poſtridie cùm legerem ad feneſtram ejuſdem cubiculi, adverti in eo committi quoddam quaſi prælium adeò vehemens, ut omiſsâ lectione me verterim viſura quid eſſet, ac vidi à quibuſdam ſanctis

ctis Angelis ejici inde dæmones ex mandato DEI; quamvis illi se defenderent; & quando sibi ipsos videbantur ejecisse omnes, redibant aliqui per rimas portæ, quos tandem etiam abegerunt.

III. Job 1. & 2. Petijt Satanas, ùt probaretur varijs afflictionibus Job, spondens eum fore DEO perfidum, & blasphemum, si seriò vexaretur. Similia sæpius Venerabili Marinæ acciderunt, Parte 1. l. 1. c. 22. §. 2. sic narratur. Quadam nocte sum passa magnam ecstasim, in qua me ipsam in spiritu vidi in angulo palatij cujusdam præcipuæ Dominæ, cui eram plurimum obligata: ubi etiam videbam Christum Dominum, præbentem indicia indignationis, qui mihi inflixit aliquot ictus, ad eum modum, quo vendentes & ementes flagello ejiciebat ex templo. Fui propterea afflictissima, quòd ignorarem causam, nec dubitarem eum, qui me castigabat, esse ipsummet Christum, etsi illum non fuerim ausa aspicere in facie. Angeli qui me comitabantur, erant nonnihil remoti condolentes mihi: fui summè pudefacta. Redij ad me & cogitans de eo, quod videram, petebam à DEO illuminari, ut cognoscerem ipsius veritates, neque deciperer. Dum sic essem constituta, dixit mihi Dominus: Vidistine quid acciderit, & scisne cur? Duæ sunt causæ. Primò quia diabolus dicebat, ut, si te seriò vellem probare, ipse ego te probarem aliquâ indignatione; tunc enim fore, ut appareret, an sis fidelis. Secundò volui, ut hæc probatio peragere-tur in eo palatio in pœnam negligentiæ, quam commisisti in orando pro illa Domina, cui tantùm debes. Fideliter tamen te gessisti in experimento.

IV. Item Lib. 5. c. 11. §. 2. Obtuli me Domino DEO ad tolerandum aliquid acerbum, ac difficile pro bono cujusdam Animæ magnæ authoritatis. Istâ occasione diabolus sciens aliquid de ijs, quæ agebantur (ùt deinde intellexi à Domino) dixit Divinæ Majestati: etsi istam creaturam, quæ se tibi promptam exhibuit ad patiendum aliquid pro juvanda illa anima, quam

quam novisti, verum sit multis jam diebus pati graves dolores morborum, nunquam tamen mihi tam amplam facultatem tribuisti ipsius affligendæ, quàm ego vellem. Nunc tibi decernendum reliquit, quid eam velis tolerare pro bono illius animæ. Cùm libenter velit pati, quidquid Tu volueris, & quævis anima sit tam pretiosa, tantóque Tibi Domino majestatis constiterit, æquum est, ut pro ista creatura, quæ petit bonum hujus animæ, si illi præstiturus es hanc gratiam & misericordiam, deligas ac decernas graves dolores & cruciatus, atque ego sim executor illorum ac minister, ut ità tua magna Majestas videat, quomodo se gerat in majoribus afflictionibus, crucibus ac tormentis, & utrum etiam, si à te derelinquatur, agat fideliter, téque amet, ac tuæ voluntati se submittat, sicut in alijs hactenus fecit. Audivit Dominus dicta à diabolo, qui solet fusè admodum loqui, & multùm blaterare, quando aliquid proponit, id quod facit fraudulenter, ac malitiosè; & interdum videtur proferre grandia oracula, postea verò prolata confundit, ac destruit, ut videatur nec se ipsum intelligere, neque dicere intelligibilia. Iste solet esse ipsius modus loquendi. Divina verò Majestas illi respondit uno verbo, tantúmque dixit cum magna authoritate: Abi & perge: ecce enim concedo tibi, quod à me petivisti. Hoc audito abivit diabolus ex conspectu Domini contentissimus. Ego autem quæ hac de re nihil sciebam, sicut dixi, nihilque tale cogitabam, incepi quodam die Veneris sub vesperum sentire dolores acerrimos, præsertim in tribus corporis partibus, qui usqueadeò intendebantur, ut horâ secundâ noctis mihi videretur intra corpus meum inclusus esse hostis quispiam armatus fodicans aliquo telo, ac vulnerans dictas partes, unde vehementissimè discruciabar, ut me putaverim disrumpendam, acsi immersa essem aquæ; neque potuerim jacere, vel me erigere ullo modo in lecto, quia mihi videbantur in ipso & supra illum, ac ubique esse quædam quasi acutissimæ cuspides, com-

pungentes, & affligentes totum meum corpus. Testes hujus rei fuerunt meæ sociæ, quæ propterea quòd tantus esset cruciatus, mihi adstiterunt totâ nocte. Hæc enim res duravit usque ad meridiem Sabbathi; alij verò immanes dolores duraverunt circiter quindecim diebus, non tamen absque aliquanto majori lenimine. Sustinui illud tormentum, conformando me cum Divina Voluntate, quæ erat ipsiusmet DEI bonitas ac misericordia, etiamsi multos committerem defectus, quos quavis occasione committo. Et quia ignorabam quemadmodum jam dixi dispositionem divinam, quidve actum fuisset cum diabolo, attribuebam partem ejusdem cruciatûs causis naturalibus; quamvìs etiam animadverterem à diabolo magis exacerbari dolores, quos patiebar, ipsúmque adlaborare, & cooperari, ut eos sustineam.

V. Post elapsos quatuor vel sex dies ab his vehementioribus doloribus quodam die nihil minùs quàm tale quid cogitans, conspexi diabolum in specie nigri ac deformis pusionis, qui se exhibebat valde humilem, & provolutus erat in genua ac tristis coram Christo JESU Domino nostro; hic autem Sacratissimus Dominus quodam gravissimo modo, ac terribili, & cum magna majestate illi dixit: Ades inimice; quid tibi nunc videtur de illa mea creatura, quam me permittente tantopere afflixisti, & excruciavisti? reperistíne quidquam in illa, quod optaveras, animóque tuo conceperas? responde, dixit Dominus. Et diabolus respondit timidâ ac tristi voce: Magne Domine, non reperio, quid dicam tuæ majestati: nihil inveni culpabile, neque potui quidquam efficere, quia ista creatura à te adjuta in his cruciatibus, quibus ipsam te permittente fui conatus affligere se gerebat eo modo, quo tua Majestas se gessit in oratione & agonia horti, spiritu prompto, & resignato in divinam voluntatem, quamvìs infirma esset caro. Tum dixit Dominus: itá fuit, proditor; vade, apage, & aufer te ex meo conspe-

ſpectu. Hoc audito diabolus ſe indè proripuit vehementer pudefactus, & confuſus, atque tunc reſcivi à Domino, quod dixi, de facultate, quam diabolus occaſione illius animæ ab ipſo petiverat, & quomodo eam ipſi conceſſerit, necnon quid tum acciderit.

VI. Item Parte 2. l. 1. c. 16. pag. 75. col. 2. Per ſex Quadrageſimæ hebdomades graviſſimos ſum paſſa, & extraordinarios dolores, atque martyria tam terribilia, ut quando nunc illorum reminiſcor, exiſtimem mihi impoſſibile fore, ut eâ rurſum ſalvâ vitâ ſuſtinerem: omnia verò proveniebant à diabolo, quia illi DEUS indulſerat, ut me non aliter exerceret ac Jobum, ſicut ipſe diabolus minas mihi intentando eſt faſſus. Cúmque ego ipſum appellarem patrem mendaciorum, & irriderem, reſpondit mihi: Non credis mihi? videbis id autem. Quod re verâ ſum experta, etiámque ij, qui mihi aderant ad me curandam & conſolandam, adverterunt, ideóque vices meas dolebant. Affligebar verò tunc, diſcruciabar, ſentiebámque ingentem internam anguſtiam & triſtiſſimam ſolitudinum, quoad operationes divinas. Quando enim hæc fiebant, licèt ſuperior pars meæ animæ ſemper ſit ſuo DEO unita; inferior tamen illius portio, natura, & ejus potentiæ patiebantur derelictiones, tantúmque in ipſis remanebant quædam deſideria continuæ in DEI voluntatem reſignationis, quod equidem durantibus his afflictionibus facere conabar.

CAPUT III.

Textus Librorum Propheticorum S. Scripturæ illuſtrati.

I.

SUper Pſalmum 44. verſiculum 8. habuit gratioſam revelationem Venerabilis Marina, Parte 1. l. 4. c. 1. §. 3. Præſente Chriſto Domino ſignavit me triplici Cruce Angelus

plumulâ aureâ, unâ in fronte, alterâ juxta os, & tertiâ in pectore, quæ remanſerunt expreſſæ in ijs partibus ſplendentes inſtar auri puriſſimi, adeóque quodammodo inſculptæ, ut non poſſent deleri. Deinde advenit alius ſanctus Angelus, & abſtulit mappam, quæ mihi fuerat applicata. Admiranti mihi id, quod fiebat, neque ſcienti, quid hoc myſterium ſignificaret, declaravit illud Chriſtus Dominus dicendo: Nunquámne audiviſti, referri locum quendam Scripturæ: *Unxit te DEUS, DEUS tuus oleo lætitiæ?* Hoc ipſum eſt, quod modo tibi accidit: gaude & eſto contenta, quia modò denuò uncta es meâ gratiâ, & confortata virtute meâ.

Parte 1. l. 4. c. 1. §. 2. dixit ipſemet Dominus DEUS in ea impleri illud Pſalmi 90. ℣. 11. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viјs tuis, in manibus portabunt te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

II. Canticorum 1. ℣. 3. dicit Sponſa: *introduxit me Rex in cellaria ſua.* Supra hoc gratioſum habuit alloquium Venerabilis Marina, Parte 2. l. 1. c. 9. pag. 38. Anni 1625. die 18. Januarij: Vacabam orationi vehementer optans videre magnum noſtrum DEUM, eóque frui, eliciendo tam amanter ardentes affectus, ut indè quaſi tota conflagrarem, & colliqueſcerem; aliunde verò mea anima avidiſſimè inhiaret ſcopo, quem inquiro. Dixi, quia me non poteram refrænare, Divinæ Majeſtati: mi DEUS, & mi Domine quouſque mei obliviſceris, & avertes vultum tuum à me? Dominus audivit meos clamores, reſponditque mihi benigniſſimè: Cur id dicis Anima & cur ità loqueris? Quando ſum ego tui oblitus, aut quando vultum meum à te averti? ſed bene eſt: ebria es mei amore, quia te introduxi in cellam meorum cæleſtium vinorum: mereris veniam, dic licèt quidquid volueris. Annotavit P. Andreas Pintus Ramirez, Parte 2. l. 1. c. 5. p. 27. maximos affectus, qui exoriebantur ex fervore benedictæ hujus Animæ exiſtentis in eo gradu,

du, qui à SS. Patribus vocatur: *ſobria ebrietas charitatis*, de qua multa dicuntur in Canticis.

III. Specimen hujus afferamus ex loco citató pag. 26. col. 2. Colliqueſcebat mea anima raris affectibus, quos illi DEUS communicaverat, amoris erga ipſum & erga proximos. Deſiderabam ardenter me in omnibus & per omnia unire DEO, prout ipſe mihi inſpirabat, cúmque deficerem viribus ex intimo animo illum invocabam dicens: Quouſque, mi Domine, me dereliquiſti? quouſque à me receſſiſti? Hoc ſæpe iterabam, atque tam vehementi ardore illum deprecabar, ut exiſtimem me fuiſſe diſrumpendam, niſi DEUS reſponderet. Exaudivit me pro ſua miſericordia & infinita bonitate, dixítque mihi: Anima quid habes? quid vis? Ego te non deſero, neque à te recedo: dic age, quid velis. Domine mi, ajebam, ego nihil volo præter te, & ecce Domine, quod volo eſt, ut te magnâ vi complectar, téque comprehendam, & arctè meis brachijs ſtringam. Tum Dominus cum magna reſpondit affabilitate dicendo: Quid loqueris Anima? an ignoras me eſſe magnum, me eſſe immenſum, te verò vermiculum, & nihilum? quomodo igitur me vis complecti? Omnino mi Domine, perſeverabam ego, volo te complecti, téque inducere intra viſcera mea, intra me. Adverte, Anima repoſuit Dominus, non poteris id præſtare, non me capies. Ità mi Domine, dixi, ità potero. Altercabar ſat diu & Divina Majeſtas me cum ſuaviſſima manſuetudine tolerabat: videbat enim ardorem meorum deſideriorum, quæ mihi ipſe inſpirabat, atque tum mihi dixit: Fiat licèt Anima, experire, quid poſſis. Et cùm id dixiſſet, datum mihi fuit ingens lumen, cum quo agnovi infinitum ipſius Eſſe, & immenſam ejuſdem magnitudinem. Obſtupui & demerſa in cognitionem meæ miſeriæ, atque exiguitatis, flexíſque genibus procumbens humi manibus junctis, & fronte affixa terræ dixi: Ah mi Domine, quàm es magnus! fateor meam miſeriam & vilitatem. Atque ità

ità non fui ausa attollere oculos, aut ullum præterea proferre verbum: sed adorabam in silentio immensitatem magni DEI nostri & Domini, ac pudefiebam in pulvere meæ vilitatis. Tantùm subinde dicebam: non est jam Domine, quòd ultrà hac de re agatur. Tunc me Dominus jussit elevari, & peramanter subjunxit: eja Anima, experire tuas vires, & amplectere me. Hac mihi à Domino concessâ facultate tentavi, cæpíque conari, ut caperem quantum possem. Comprehendi quantum patiebatur mea capacitas, & fui ità repleta DEO, ut ampliùs nequiverim; instar cujuspiam vasis, dum in magno fonte impletur aquâ, ut plus capere non valeat. Hac vice fui satiata ac impleta meo DEO, & quievi in illo per fortem ac arctissimam unionem, quæ diu duravit. Eâ cessante me reperi in meo angulo, advertens etiam dolores meos multùm esse mitigatos. Ipse sit benedictus. Amen.

IV. Aliud habet perquam elegans hujus *sobriæ ebrietatis sanctæ* specimen eâdem Parte 2. l. 1. c. 9. pag. 39. col. 1. A. 1626. feriâ quintâ, 20. Januarij. Exarserunt vehementer affectus in mea anima facto initio ab ardenti desiderio perfectè implendi in omnibus DEI voluntatem, ut nullum in ejus obsequio admitterem defectum. Augebantur tantopere, ut cor videretur è pectore exilire, & abrepta violento hujus desiderij impetu, clamavi ad DEUM postulando ipsius gratiam. Divina Majestas mihi respondit cum magna suavitate & exhibitione amoris dicendo: quid vis Anima? quid petis? quiesce. Tum ego illi dixi: da mihi quidquid habes, omnia, omnia. Hoc tamen protuli, quia dum anima sic est constituta, lingva animæ magis regitur affectu, quàm ratione. Quod dicere volebam, erat, ut mihi Divina Majestas præstaret gratiam implendæ suæ voluntatis in omnibus & per omnia, útque misereretur sui populi Christiani, & eorum, quos illi soleo commendare. Divina Majestas pro sua immensa charitate ostendit sibi placere, ut annueret meis pre-

precibus. Et statim interrogavi: mi Domine, quomodo id exequeris? Respondítque mihi: ego id imprimam tuo cordi, ut, quod dixi, in eo conserves. Conspexi subitò duos Angelos, qui manibus utrinque tenebant parvam pelvim, in qua erat cor. Postea vidi Personam Christi Domini nostri, qui se hactenus non exhibuerat spectandum, tenénsque manu parvulum subtilissimum calamum inscribebat cordi quasdam literas. Attendi solicitè, ut viderem, quidnam scriberet, & vidi fuisse scriptum: *Fiet, quod desideras.*

V. Sapientiæ 4. ℣. 14. dicitur: *Consummatus in brevi explevit tempora multa*, Quod elegantissimè declaratur apud Venerab: Marinam, Parte I. l. 4. c. 3. §. 4. Vidi Majestatem JESU Christi Domini nostri, qui tenebat in suis sacratissimis manibus coronam, quam Angelus abstulerat ex meo capite, & ipse attentè contemplabatur, ac versabat in omnem partem considerando illam undique cum ea attentione. Deinde dixit suo Æterno Patri: Ista corona est elegans & pulcherrima, & vehementer mihi placet Domine; designánsque locum digito, addidit: hìc tamen aliquid deest, ut eam obtineat perfectionem, quam tu, mi Domine, decrevisti jam indè à tua æternitate: sed ego supplebo defectum virtute, & pretio meorum meritorum, ac sangvinis, quem profudi, applicabóque illi talem virtutem, & eam dabo gratiam ipsius operibus, ut quod peragendum & complendum erat longiore tempore, fiat citiùs, atque ità acceleretur illius emigratio, ajebat Dominus DEUS Majestatis. Cùm ego audivissem meum DEUM dicentem hæc tam mirabilia, egi ipsi infinitas gratias.

Ad idem spectat locus pulcherrimus itidem Parte 1. l. 6. c. 19. §. 5. Reperi me intra ipsummet DEUM, & cùm in illo manerem, vidi, quod Divina ejus Majestas contemplans seipsam, & quasi ingrediens suum Divinum secretum, voluerit meæ animæ denuò præstare misericordiam, ipsíque hoc modo my-

myſtico declarare gratiam, quam illi exhibebat, & dixit mihi: Benefecero, ſi abbreviavero per meam miſericordiam, potentiam, & ſapientiam dies tui exilij; ità tamen, ut non perdas gradus tuorum meritorum, quos tibi conferre decrevi, neque tibi hoc breviore tempore dem plures cruces, ut ad illos pervenias, ſed diſponam res tuas alijs modis, quod mea ſapientia poteſt facere, ut pertingas ad id, quod dictum eſt.

VI. Jeremias cap. 1. ℣. 6. dixit ad DEUM: *A, A, A, Domine DEUS! ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Simile planè contigit Ven: Marinæ prout ipſa refert Parte 1. l. 1. c. 23 §. 1. Dum aliquando manè pro more agerem cum DEO, dixit mihi Divina Majeſtas, eſſe ſuam voluntatem, ut aliquot diebus agam & converſer cum quibuſdam ex ordine S. Dominici, pro aliquo ipſorum ſpirituali emolumento; id quod ego exiſtimo factum eſſe petente ac urgente glorioſo S. Dominico. Et quia initio DEUS ſe ſolet inſinuare ſuaviter, quando ejus Majeſtas ſimilia animæ inſpirat, non inferendo illi propterea magnam vim, ego id diſſimulabam. Sed cùm mihi iteratò diceret, ſe hoc velle, retuli illo die meo Confeſſario (is erat Pater Petrus de Leon) quod acciderat, qui mihi dixit, ut rem DEO commendarem, & videremus, quomodo ea inſpiratio ulteriùs progrederetur. Præterierant aliquot exinde dies, & DEUS ſemper meæ animæ inſpirabat, quod mihi dixerat, vehementérque me ad id impellebat, quamvis ego ſemper deſiderabam, ſi eſſet voluntas DEI, non egredi ex meo angulo, & ibi ſola agere cum Divina Majeſtate, ſicut conſueveram, ideóque continuè conquerebar Divinæ Majeſtati, & ſæpe illi dicebam cum lacrymis: Mi Domine, & Bonum meum, quò me vis ire? quid eſt hoc, quod me jubes facere? adverte per bonitatem tuam, me eſſe mulierculam ſimplicem, imbecillem, & inhabilem ac deſtitutam viribus, atque ità meticuloſam, & puſillanimem ex mea naturali propenſione, ſicut tu Bonum meum ac Domine ſcis, quódque nunquam ſola ege-

egerim nisi tecum, & cum meo Confessario, ut me instrueret ac duceret per viam tuæ sanctæ voluntatis. Quid ergo modò me vis facere, si est verum, ùt est, quod tibi dixi? Respondit mihi Divina Majestas & Bonitas peramanter affabiliter, & suaviter: Perge Filia, fac, quod tibi dico, esto bono animo, & noli angi, ego enim te juvabo, ac docebo.

CAPUT IV.

Sanctos Evangelistas describit Ven: Marina.

PArte 1. l. 2. c. 20. §. 2. Vidi Majestatem Christi JESU Domini nostri admirabiliter jussu Patris sui, post acceptam ipsius benedictionem, consedisse in quodam augusto throno, referente speciem currûs triumphalis, magnæ majestatis, ac magnificentiæ. Is incipiebat moveri, & videbatur trahi à quatuor sanctis candidissimis ac purissimis animalibus, quibus immixti unà ibant multi Angeli DEI. Atque licèt hæc sancta animalia moverint ac traxerint mysticum currum, quo vehebatur magnus ille Rex Gentium; regebat illum tamen idem Rex Majestatis, suis illum premens pedibus, & movebant ipsum ac trahebant virtute ab eo acceptâ. Hunc in modum processit iste Dominus, comitantibus ipsum ritu supplicantium, laudantibúsque illum, & inservientibus ei omnibus illis Spiritibus beatis, ac Palatinis cœlestibus, donec reverteretur ad locum, in quo priùs fuerat ad dexteram sui æterni Patris. Inspiravit mihi Dominus aliud internum desiderium, resciendi, qualia essent ea sancta animalia, quæ trahebant illum currum, seu thronum; & subitò mihi fuit dictum, per lumen & communicationem divinam: hæc sancta & mystica animalia, quæ vidisti, sunt quatuor sancti Evangelistæ, qui describendo, assistente ipsis virtute Spiritûs Sancti, passionem & mortem divini Agni, promeruerunt tantum honorem, támque sublimem dignitatem, ut ipse DEI Filius

lius per illos vellet manifestari populis, útque illi essent calamus & lingvæ ipsius Mysteriorum ac Magnalium, propter quæ adoraretur, honoraretur, crederetur, & coleretur ab omnibus Fidelibus, qui sunt, & erunt in mundo; ut sic videantur Regem Majestatis ferre in suis humeris, quo manifestetur, & agnoscatur à populis: verumtamen idem Rex est author, & prima ac principalis causa hujus illuminationis & agnitionis, quam habet mundus.

CAPUT V.

Loci quidam Sancti Evangelij declarati.

I.

MAtthæi c. 4. ℣. 19. dixit Christus Dominus eis, quos ad Apostolatum vocabat: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Hunc textum habemus eleganter declaratum Parte 1. l. 4. c. 22. §. 2. Agens cum DEO in Augusto, Anni 1622. vidi venientem quempiam Beatum ex Ordine S. Dominici, qui graviter & paulatim introivit in meum cubiculum. Consedit in quadam sella mystica, & post ipsũ stabant circiter duodecim Religiosi ejusdem Ordinis, ex etiamnum viventibus in mundo, exhibentes indicia magni honoris, quo ipsum prosequerentur. Ego illos non agnovi, neque sum intuita eorum vultum. Fui turbata, more solito. Postquam me Sanctus vidisset quietam, tunc dixit Religiosis: Filij procedite ulteriùs, & attendite, quid sim quæsiturus ex hac DEI famula, ac audite, quid sit responsura. Duodecim ij Religiosi, appropinquaverunt quàm humillimè meo lecto, inclinantes se profundè, & præ reverentia coram Sancto prosternentes, quos Sanctus jussit surgere. Cùm ità illi, unáque ego sedulò attenderemus, vidi Sanctum ponentem manus ad latus sellæ, quasi habiturus esset ad nos sermonem. Cæpit autem sic loqui: dic soror,

ror, famula DEI, mihi, & his ejus servis, quomodo bene applicabimus Ordini S. Dominici verba dicta à Domino, quando vocavit quosdam è suis discipulis ad suam scholam, & Apostolatum: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum;* quæ est interpretatus linguâ vernaculâ. Ego istâ interrogatione fui pudefacta, & dixi: Quomodo, sancte Pater, id ex me quæris, cùm sim rudis muliercula? tu certè scis meliùs applicare, quod dicis? Sanctus autem respondit: Noli verecundari, soror nostra, neque recusa dicere, quod te interrogo, quia DEUS frequenter eligit infirma mundi, ut confundat fortia; & quod dices, non erit tuum, quia DEUS te docebit, quid tibi sit dicendum. Ità fui animata, ac dixi: existimo sancte Pater, quòd sequi Christum Dominum, sit ipsum imitari, insistendo ipsius vestigijs, & viæ crucis ac humilitatis, atque contemptûs mundi. Ubi id factum fuerit, statim sequitur, quod Dominus promittit: *faciam vos fieri piscatores hominum.* Hoc mihi Dominus inspiravit, priusquam responderem. Audivit meum responsum Sanctus, dixitque: optimè profectò locuta es. Et vertens se affabilissimè ad Religiosos, agénsque cum ipsis, tanquam cum filijs, dixit illis: hoc vos oportet facere, & mandare executioni. Ite in mundum universum, ac loquimini in aurem omnibus nostris, imbuendo ipsos hac doctrinâ, & Dominus vos faciet piscatores animarum. Tum replicui: Quomodo verò debent isti Patres perambulare totum mundum, ut hoc dicant in aurem omnibus suis fratribus, qui sunt per illùm dispersi? Sanctus reposuit: optimè, si id dixerint omnibus, qui ipsis occurrerint, & conati fuerint ità vivere, atque relucere tali exemplo, sanctitate ac imitatione Christi Domini, ut fama virtutis ipsorum perveniat ad aures absentium.

II. Lucæ 8. ℣. 5. habemus parabolam de semine, quod in variam terram incidit, quam Christus Dominus declarare dignatus est apud Ven: Marinam, Parte 1. l. 4. c. 5. §. 4. Vidi in

Martio Anni 1623. omnes ſanctos Angelos Cuſtodes comparuiſſe coram Majeſtate JESU Chriſti Domini noſtri, qui erat indutus veſtibus aureis & ſubnigris, mirè ſplendicantibus. Omnes ſe proſtraverunt ac adoraverunt ſuum DEUM, & Dominum. Juſſit illos Divina Majeſtas ſurgere, & interrogavit Angelos Cuſtodes Fidelium: Quomodo vobis ſuccedunt ea, quæ agitis cum meis fidelibus? Quidam ex ſanctis illis Angelis reſponderunt, contrahendo humeros: Domine, totâ nocte laboravimus, & non cepimus ullum fructum. Dominus autem ipſos eſt ſolatus, dixítque: ite modò, ac in nomine meo projicite retia, & referetis ingentem fructum. Deinde interrogavit Angelos Cuſtodes infidelium: & veſtra, quem ſortiuntur ſucceſſum? illi reſponderunt: Domine, omnis noſter labor eſt inutilis. Quibus Dominus dixit: nolite affligi; nónne ſcitis, quòd ſemen ſeminantis aliud ceciderit ſupra petram, aliud inter ſpinas, aliud in viam, & totum perierit, tantúmque illud, quod cecidit in terram bonam, protulerit fructum? ac tum Chriſtus Dominus ſtans coram Æterno Patre, monſtravit ipſi ſua vulnera manuum & pedum, ac lateris, dixitq; illi: obſecro tuam Majeſtatem, Pater Æterne, per hæc vulnera, quæ paſſus ſum pro hominibus, & per meam mortem ac paſſionem, ut illorum miſerearis, & ignoſcas ipſis eorum peccata, déſque illis lumen & cognitionem tui ipſius. Pater Æternus reſpondit: Fili mi, fiat quidquid petis, juxta divinam ſapientiam tuam, & prout ſcis convenire ad meam gloriam, ac ſecundùm tuam divinam diſpoſitionem.

III. Lucæ 15. ℣. 10. Chriſtus Dom: retulit, quantum ſit gaudium Angelorum in cœlis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Gratiosè hoc expreſſum habet Ven: Marina, P. 1. l. 6. c. 14. §. 1. Abſolutâ quadam muſicâ omnium meorum decem Angelorum, duo parvi Angeli tulerunt in ſuis pallijs, magnam copiam florum, valde fragrantium, ſvaviſſiméque olentium.

Ne-

Nescio quales fuerunt, præterquam, quòd illorum odor fuerit admirabilis. Erant autem multi flores accumulati, quos ego optimè olfeci, ut magnopere confortaverint meam naturam: accipientésque ad manus istos flores, quasi plenis pugnis, consperserunt illis quàm reverentissimè, gradus aureos, qui tendunt à portula aurea ad meum cubiculum, & ijs conspersis exhibebant magnam reverentiam Domino, qui ibi aderat, quasi occultus. Paulò pòst, cum eadem reverentia, ijdem duo parvi Angeli omnes illos flores rursum collegerunt ad suas manus, & distribuerunt suis sanctis quatuor Angelis, singuli suo quaterioni, ac deinde permutatis officijs hi ipsi parvuli Angeli, transeuntes ad alios quatuor Angelos, dederunt ijs plures flores quàm suis, uti & meo Custodi, quos illi intrà se ipsos servaverunt. Obstupefacta, eò quòd viderem tale mysterium, dixi sancto meo Angelo Custodi: mi Domine videat; mihi non dederunt ullos flores. Sanctus autem Angelus respondit: nè propterea doleas, Soror, dederunt enim illos mihi, quos ego tibi servabo. Fui vehementer refocillata, & recreata isto amœno spectaculo. Intellexi autem illis floribus fuisse significata gaudia, & gloriam accidentalem, quam habent in cœlo Angeli, quando convertuntur peccatores, & DEUS confert favores, atque gratias suis electis.

IV. Joannis c. 11. ℣. 21. Martha fratre suo Lazaro defuncto venientem Christum Dominum allocuta, dixit: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Hoc eleganter habemus applicatum P. 1. l. 5. c. 5. §. 4. Habebam in manu quoddam album parvum Rosarium, & rogavi Divinam Majestatem, ut illud benediceret. Dixitque Dominus, se quàm libentissimè benedictionem impertiturum tam mihi, quàm etiam omnibus meis vestimentis, omnibúsque Rosarijs quæ haberem. Tum ego cogitavi in animo meo: quomodo benedicet Dominus Rosaria, quæ ego habeo in meis cistis? Dominus autem mihi

respondit: esne similis Marthæ, quæ mihi dixit, quòd si adfuissem, non fuisset mortuus ipsius frater? nónne ego potero benedicere Rosaria absentia? Surrexítque Dominus, ac dixit: Benedictio mei Æterni Patris,& mea,ac Spiritûs Sancti,sit tecum, atque cum omnibus tuis Rosarijs ac vestibus.

V. Joannis 14. ℣. 14. dixit Christus Dominus: *si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* De hoc habetur pulchra declaratio, P. 1. l. 5. c. 30. §. 2. Dixi humiliter DEO: mi DEUS, procul dubio miserabiles & indignæ meæ preces carent conditionibus requisitis, siquidem sæpe, ùt mihi videtur, cùm id non merear, non obtineo quod à te peto. Non bene dixisti Anima, respondit Dominus: certum enim est, te nihil à me petivisse, quod tibi non concesserim. Atq; si aliter est, dic mihi nunc, unde, quod à me dicitur, intelliges. Si quidquid à me petis,id petis cũ resignatione in meam voluntatẽ, útq; in omnibus fiat, quod cedat ad majorem gloriam, & ad majus obsequiũ meum, ac bonum animarum; & bene petis, sicut oportet petere, atque etiam petis cum dictis conditionibus, etiamsi interdum patiaris nonnihil naturalis fragilitatis in confidentia, atque ego omnia facio, sicut à me petis, quomodo his suppositis, dicis, à me non exaudiri tuas orationes? adverte, quòd me offendas, quódque id sentiam.

Audivit mea anima, quod illi à DEO erat dictum, fuítque vehementer pudefacta & humiliata, quamvis non desolata: cùm autem occultè desiderat plura reponere, intelligerétque illam ipsius DEUS, dixit ei amanter ac benignè. Dic, age, Anima, interroga me, quidquid volueris,ego enim tibi respondebo & satisfaciam tuis dubijs. Quo dicto fuit mea anima recreata, ut ipsum idcirco interrogaret, ac diceret: dic igitur mihi, mi Domine, quando à te peto & postulo,ut aliquid bene succedat, quod à te rescivi cessurum in tuum honorem, & bonum animarum, vel salutem multorum, & video id non fieri, neque man-

dari

dari optatæ executioni, quænam poteſt eſſe hujus rei cauſa? Reſpondit Dominus quàm graviſſimè: animadverte Anima, ſemper petis quemadmodum dixi, ut fiat in omnibus, & ante omnia, quod cedat ad majorem meam gloriam, prout fieri oportet: propterea, & propter liberum arbitrium, quod dedi homini, cum omnibus neceſſarijs & ſufficientibus auxilijs, ut ijs bene utatur, faciátque quod eſt melius, & perfectius; ordinariè hoc modo, quaſi ab invicem non diſcrepamus, quamvis meâ infinitâ potentiâ poſſim ampliùs & ampliùs facere, & quidquid volo, quod eſt magnum meum ſecretum, in quo includuntur diverſæ & graviſſimæ cauſæ. Et cum hoc ſit verum, debeatúrque Divinæ Juſtitiæ ſuus locus, ac veneratio & honor, ſicut Miſericordiæ & Clementiæ, omnibúſque cæteris divinis Attributis, offenderetur Divina Juſtitia, ſi ei auferretur ipſius honor ac potentia. Jam verò poſtquam Bonitas & Miſericordia multùm præſtitit, imò plurimùm homini, tribuendo illi liberum arbitrium, ille & ejus tepiditas, pigritia & malitia, & paſſiones inordinatæ, noluerunt amplecti auxilia divina, & gratias ac beneficia: ſed potius omnia hæc abominati ſunt homines, ac ſpreverunt hæſerúntque in abyſſo iniquitatum ac miſeriarum: alij verò ſequendo ſuas occultas & vanas inclinationes, præpoſterè judicant de veritate, & errando cogitant, ſe agere bene valdéque ac quieſcunt ſuis erroribus. Dic mihi igitur Anima, ſpectato hoc duplici hominum ſtatu, annon tibi videatur, fore contra DEI, ipſiúſque Majeſtatis ac Divinæ ejus Juſtitiæ gloriam, iſtos relinquere impunitos? cum ſuâ propriâ voluntate ac deliberatè velint damnari, & ruere ad infernum: alios autem, eò quòd non aſpiciant oculis puris, neque res expendant abſque paſſione & affectu, ideóque errent in agendo? Quòd verò ego ità fieri permittam, eſt æquiſſimum, ſiquidem nolunt uti meis auxilijs & conſilijs.

VI. Quod de S. Thoma Apoſtolo poſt Reſurrectionem Chri-

Christi Domini incredulo habetur Joannis 20. ℣. 27. aliqualiter expressum apud Ven: Marinam extat P. 1. l. 2. c. 17. Quodam die sancto Veneris Anno 1616. mihi comparuit Christus Dominus defunctus, in specie lamentabili, ut vehementer obstupescerem, & consternarer, quòd illum viderem tantâ dignum commiseratione; conabar ab eo avertere oculos, & recurrere ad DEUM, petitura ab ipso lumen, nè deciperer. Cúmq; aliquamdiu ità fuissem comparata, intulit mihi Divina Majestas suavem vim, ut aspicerem illud exanime corpus, ac tum Persona Christi Domini, quæ erat unita illi corpori, mihi dixit: Marina, quare me aversaris? quare me spernis? respondi: Domine, tu scis, quòd te non aversor, multóque minùs spernam, sed reluctor, quia timeo, nè decipiar in rebus adeò inusitatis. Dominus mihi dixit: accede huc, & tange vulnus mei lateris. Accessi & tetigi illud, statímque sensi prodeuntes ex corde Christi Domini per idem vulnus quosdam radios, quasi igneos, divini amoris, pertingentes usque ad meum cor, quod amore ipsius incendebant. Postquam autem ità aliquamdiu fuissem affecta, dixit mihi Dominus: noli esse incredula.

VII. Joannes 21. ℣. 25. suum Evangelium his verbis clausit: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit JESUS: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Hæc verba videntur quædam enormis hyperbole, nec ad literam strictè accipienda. Verumtamen quod apud Ven: Marinam simile quid legitur, multum eisdem addit luminis. Narrat ipsa P. 2. l. 1. c. 41. Anno 1625. die Transfigurationis Domini se habuisse Revelationem de admirabili mysterio Divinæ Incarnationis tam sublimem, ut hæc subdiderit verba: nequit autem intra millenos annos explicari, quod in ijs verbis denuò intelligitur, quæ hìc tam facilè pronunciamus, & quod concipitur de scientia, potentia, & infinito amore DEI, déque immensa ejusdem erga homines clementia. Denique, ut

ex

ex hoc Sancto, qui me illuminabat, intellexi bona in nos per Incarnationem Filij DEI derivata, nunquam fuerunt cognita, aut audita, qualia in se sunt, neque plenè intellecta & percepta, præterquam ab ipsomet DEO, qui ea est operatus. Et Parte 2. l. 2. c. 7. de mysterio Incarnationis loquens sic concludit: Quàm rudibus & paucis id refero verbis! cùm omnia totius mundi verba non sufficiant ad explicandam vel atomum ex multis, quæ tunc Anima intelligit de altitudine hujus mysterij.

VIII. Si ergo Ven: Marina propter speciale lumen sibi per Angelum communicatum, tam multũ de unico mysterio Incarnationis intellexit, ut judicaverit nec millia annorum, nec omnia verba mundi ad ea explicanda sufficere, quid mirum si Sanctus Joannes Apostolus, lumine divino longè ultra Ven: Marinam illustrior, advertit tanta esse, quæ scribi oporteret, si universa, quæ Filius DEI in carne egit, essent congruè explicanda, ut plurima millia annorum non sufficerent, adeò, ut tandem libris scribendis nec locus in mundo sufficeret. Nempe ostendere voluit infinita esse, quæ de mysterijs nostræ sanctæ Fidei restant intelligenda, siquidem Ven: Marina de unico solius Incarnationis mysterio asserit, illius bona in nos derivata, nunquam hactenus adhuc ab omnibus Angelis & Sanctis in cœlo & in Terra, fuisse cognita, qualia in se sunt; imò nec plenè percepta, nisi à solo ipsomet DEO. Ergo nihil obstat, quo minus ad literam intelligatur locus ille in fine Evangelij Joannis, nempe quòd gesta Filij DEI in carne sint materia infinitorum librorum, nunquam exhauribilis ab ullis creaturis.

Jam quoque minùs mirabile videbitur dictum S. Ignatij de Loyola, fatentis se nec millesimam partem divinitus in se collatorum donorum potuisse suis Socijs Patribus exponere, eò quòd capacitatem eorum intellectûs excederent. Sic Ven: Pater Gaspar Druzbiczky è Societate JESU Poloniæ bis Provincialis, dicebat se in cœlo post adoratam SSS. Trinitatem Hu-

manitatémque Christi Domini nec non Virginem Beatissimam, millionem annorum impensurum in investigandis admirabilibus modis, quos DEUS adhibet in directione cordis humani.

CAPUT VI.

Textus ex Epistola Sancti Judæ Thadæi.

SAnctus Judas Apostolus in sua Catholica Epistola ℣. 9. scribit, inter S. Michaëlem Archangelum, & inter diabolum fuisse altercationem de corpore Moysis. Hæc historia lumen à similibus casibus accipit, qui apud Ven: Marinam referuntur Parte 1. l. 5. c. 6. §. 5. pag. 476. col. 2. Post paucos dies vidi Angelum candido equo insidentem, qui vibrabat quandam lanceam, unde nonnihil extimui: sed dixit mihi: tu non habes, quod metuas: DEUS me mittit ad destruendos & præcipitandos ad infernum multos peccatores, qui id promeruerunt. Interrogavi illum: súntne Mauri? Non, inquit, sed hæretici, & mali Christiani: verùm & in hoc relucet divina misericordia, quòd eripiendo ipsis vitam, eos liberet à majore inferno. Subitò Angelum utrinque præterivit turma dæmonum, qui illum antecedebant, & Angelus mihi dixit: ora DEUM, ut me confortet in hoc opere. Ego autem dixi: ergóne S. Angele, potes timere diabolum, maximè cùm sis missus à DEO? Respondit: non recordaris, te audivisse, altercatum esse diabolum cum S. Michaële, de corpore Moysis? diabolus enim cupit impedire opera DEI. Ego vado, vale.

P. 1. l. 6. c. 18. §. 2. Post toleratos in Novembri A. 1623, multis diebus maximos dolores & cruciatus, ut tantùm non morerer, venerunt ad me in festo sancti Martini manè Domini mei Angeli, qui mecum manent in aurea aula, & cum charitate ac amore mihi dixerunt: Scias declarandum tibi à nobis mysterium, quod in te peractum fuit his diebus, quoad tuos tam acerbos

bos dolores. Valde altercatus est ſanctus Michaël Archangelus cum diabolo his diebus, quia te volebat conficere, & privare vitâ, præ rabie & odio, quo te proſequitur; id quod ità ardenter conatus eſt efficere, ſicut advertiſti. Archangelus autem te ijſdem diebus defendit uſque dum tandem illis elapſis, ipſi imperavit, in nomine DEI, ut te relinqueret.

PARS SECUNDA.

Complectens ea, quæ de Divinitate, & Divina Trinitate ad Sanctam noſtram Catholicam Fidem ſpectantia in mirabili Vita Venerabilis Marinæ habentur.

IN hac Parte explicabuntur ex ſymbolo Apoſtolorum articuli tres, nempe primus, ſecundus, & octavus, qui ſunt: Credo in DEUM Patrem omnipotentem Creatorem cœli & terræ. Et in JESUM Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum. Credo in Spiritum Sanctum.

CAPUT I.

De DEO.

I.

SAncta noſtra Fides Catholica credit DEUM eſſe Ens ſuperans omnem noſtram capacitatem, eſſeque incomprehenſibilem infinitum in omni genere. Huic noſtræ de-

DEO sanctæ Fidei congruit profunda Revelatio facta Vener: Marinæ, Parte 1. l. 3. c. 1. §. 3. Post permolestè transactam in Martio A. 1615. noctem unam ac diem propter oppressionem à doloribus, quasi horâ 6. vespertinâ, Domini mei Angeli appropinquantes meæ Animæ abstraxerunt illam à sensibus, quæ se reperit ante cœlestem Jerosolymam, ubi circa illam vidit vastissimum pellucidissimum, pulcherrimum fluvium, cujus littus erat valde umbrosum, & amœnum, ac repletum sanctis Angelis, qui adhibitis instrumentis musicis admirabiliter canebant: Gloria in excelsis DEO. Fui momento abducta ab ijs Angelis, & collocata in littore magni illius & mystici fluvij, in quem me derepentè quàm profundissimè immerserunt, ubi mihi fuit communicata magna & extraordinaria cognitio divinæ Magnitudinis, Omnipotentiæ, Sapientiæ, & Immensitatis.

II. Jlli verò Angelici Spiritus mihi subitò dixerunt voce aliquantum altâ & concitatâ: nónne est ampliùs, quàm hoc? Tunc mea anima denuò illuminata, ut cognosceret illud modicum de Immensitate DEI, respectu infinitorum, quæ illi restabant cognoscenda, ità ut tota absorpta prorsus oblivisceretur omnium, quæ cogitaverat, respondit: ampliùs est, quàm hoc. Et cum summa admiratione similiter altâ, & acceleratâ voce iteratò dicebant: ampliùs est, quàm hoc. Immerserunt me deinde paulò ulterius in illum fluvium, ubi mihi fuit collatum majus lumen, & cognitio illius divinæ Essentiæ, ejusdémque divinæ caliginis. Et fui statim interrogata sicut priùs, ab ijsdem Angelis altiori voce: éstne ampliùs quàm hoc? Respondi, ùt priùs eodem modo, postquam longè plura cognovi, magísque fui illuminata: ampliùs est quàm hoc. Immerserunt me tertiò usque ad fundum ac abyssum illius mysterij, fuique continuò interrogata ab Angelis, attollendo semper aliquantò magis vocem: éstne ampliùs quàm hoc? mea verò anima magis ac magis illustrata, ampliùs cognoscens illud divinum Esse, non secùs ac initio,

tio, quaſi nihil eorum nôſſet, quæ cognoverat, propter infinita quæ videnda ſupererant, & cognoſcenda, reſpondit: amplius eſt quàm hoc.

III. Tum Angeli extraxerunt meam animam, ex illo profundo & myſtico mari, elevatámque in altum tribus adhuc vicibus & quavis vice altiùs, quæſiverunt eo modo arcano: éſtne ampliùs quàm hoc? mea quoque anima ſemper lumine & cognitione majore prædita, jam quaſi perdita, & ſubmerſa in illo divino Eſſe, repoſuit: ampliùs eſt quàm hoc; tertiò verò reſpondit: quàm maximè ampliùs eſt quàm hoc. Tandem ipſam magìs elevaverunt ad quandam infinitam & incomprehenſibilem magnitudinem luminis & claritatis, ac immenſitatis bonorum, quæ nulla ſatìs poteſt lingva explicare, aut eloqui, ibíque Dominus Majeſtatis oſtendit meæ animæ momentaneè, quaſi mihi illuceſceret fulgur vel amotâ cortinâ ſpectandi exhiberentur maximi theſauri, eâdémq; ſubitò reductâ rurſum ſubducerentur oculis, infinitam ac incomprehenſibilem immenſitatem illius divini Eſſe noſtri magni DEI ac Domini Majeſtatis, adeò ut cum exigua meæ animæ capacitas non poſſet ſufferre tanta bona, quanta in eo momento vidit, & cognovit, viribus deficeret atque adeò totum meum corpus contremiſceret. In eo verò puncto temporis Angeli me apprehenderúnt & confortaverunt in mea debilitate ac deliquio, collocaverúntque in meo angulo. Hactenus Ven: Marina.

IV. Credimus DEUM eſſe ſimul benignum ac ſuavem, ad quod pertinet gratioſa Revelatio Parte 1. l. 3. c. 4. §. 1. Perveni uſque ad cœlum cum quopiam ſancto Propheta, & apparuit in ea Jeroſolyma cœleſti quidam magnus, vehemens, potens ignis & comburens, ut tota illa cœleſtis Patria videretur ardere & conflagrare divino, terribili, admirabili, immenſo, infinito ac potenti igne, in quo aderat ipſe DEUS, & tota Beatiſſima Trinitas, ſe in ea ſpecie ignis comburentis oſtendens meæ ani-

animæ, quæ maximo correpta timore, tremebat. Subitò mihi fuit ab eo Sancto dictum: Anima, intra in gaudium Domini tui, & confide in illo, ac noli timere. Audiens hæc ejus verba, incepi magis timere, & tremere, ac dixi: quid mihi dicis? quomodo intrarem ego, quæ sum debilis ac miserabilis, exiguæque capacitatis, in illam summam Majestatem, in eum ignem infinitum & comburentem, in illum DEUM fortem & potentem? nónne animadvertis à me nequaquam sustinendum tantum DEUM, méque interituram, consumendam & in cinerem redigendam, in ipsius conspectu? Anima, ajebat Sanctus, noli turbari, noli langvere, vel pigrescere: licèt enim verum sit, DEUM esse fortem, terribilem, omnipotentem & infinitum; est tamen ità benignus, mansvetus, & svavis, ac infinitè bonus & misericors, humiliavítque se, & factus est parvulus, ut ipsum anima posset complecti, & eo replere suam exiguam capacitatem.

V. Parte 1. l. 3. c. 7. §. 2. prolixè describit Ven: Marina, quomodo viderit creaturas accipere à DEO omnem valorem, lucem, gloriam, & beatitudinem. Item quomodo viderit Apothecam cœlestem, in qua ex infinito valore ac pretio Sangvinis JESU Christi pro nobis effusi accipiant virtutem omnes medicinæ & sancta Sacramenta in remedium animarum nostrarum; ac denique quomodo omnes Medici spirituales & Ministri Evangelij, accipiant virtutem, valorem & sapientiam ad sanandas omnes infirmitates animarum, etiam ad resuscitandas mortuas.

VI. Parte 1. l. 4. c. 20. §. 2. Invisit me cum alijs Sanctis gloriosus S. Dominicus, & mota à DEO habui desiderium aliquid interrogandi, & obtentâ ab eo facultate, dixi: quid est hoc mysterij, quòd dum hic estis gloriosi Sancti, sicut vos video, sitis unà beati, & versemini in præsentia Divinæ Majestatis, quæ semper replet vestras animas semetipsâ & vos reddit Bea-

Beatos? Reſpondit Sanctus: noſter magnus DEUS ac Dominus immenſæ Majeſtatis, ſuâ infinitâ potentiâ omnia replet, & univerſa complectitur, totúſque eſt ubivis operando in qualibet creatura ſecundùm ipſius indigentiam, & capacitatem, ac merita juxta ſuam divinam diſpoſitionem, ſapientiam, & bonitatem. Quapropter Animæ beatæ, quæ jam æternum poſſidemus immenſum mare hujus divini Eſſe, in quocunque loco, ad quem nos divinus iſte Dominus deſtinat, ac mittit, ut peragamus aliquid concernens ipſius gloriam, permanemus ſemper in eodem immenſo mari, obtinentes æternâ poſſeſſione omnem gloriam & participationem DEI, cujus eſt capax quævis noſtra anima, juxta ſua merita, & magnam bonitatem DEI Domini noſtri, qui eſt inſtar fontis copioſiſſimi, profluentis ex Oceano immenſæ magnitudinis, ſempérque effundentis venas & rivos aquæ vivæ, quâ univerſi quantumcunque ampla, replere poſſent vaſa, pro eorum capacitate ſuámque ſitim extingverent, ac mederentur ſuis neceſſitatibus, quin illis poſſet quidpiam uſpiam deeſſe; quia virtus illius aquæ eſſet tanta, ut ſe ad hæc omnia extenderet, & qui eam biberet, non ſitiret ultrà. Sic ſuo modo ſe habet, ut aliquantum eſt explicabile noſtrum magnum myſterium, de quo quæſiviſti.

VII. Parte 2. l. 1. c. 2. Spiritus Sanctus cooperiens me ſplendidiſſimo velo mihi infudit cognitionem ſimilem illi, quam aliàs percipio, quando anima quodammodo ſubmergitur in divina Eſſentia, ubi nihil aliud repræſentatur, aut videtur, quàm quædam perfectionum, & attributorum divinorum abyſſus, præſertim verò Æternitatis, Immenſitatis, & Infinitudinis, atque dum plurimum de illis intelligit pro ſuo captu, neſcit tamen tunc anima (minùs verò poſtea) aliud dicere, quàm: ampliùs eſt quàm hoc, ampliùs eſt. Etiamſi namque plurimum cognoſcat, ſimul tamen illi indicatur ſupereſſe infinities plura cognoſcenda, & anima ſubmerſa in hac infinitudine ſe perdit, ut ſibi ipſi eripiatur.

CAPUT

Caput II.

De Attributis Divinis.

I.

PRæclaram habuit de divinis Attributis Revelationem Ven: Marina in Majo An. 1617. quam refert Parte 1. l. 3. c. 6. §. 2. Fui deducta per meos sanctos Angelos ad Aulam cœlestem, quæ erat immensæ magnitudinis, & in medio ejus erat quoddam magnum Castellum, in cujus summitate lucebat Sol splendidissimus, qui suis radijs illuminabat omnes Beatos, illósque beatificabat. In circuitu hujus magni Castelli erant alia illi adhærentia, in quorum uno, quod apparebat valde præclarum, fuit patefacta porta, per quam introspiciens vidi in abstrusissimo & remotissimo loco Sanctissimam Trinitatem, quasi in secretissimis penetralibus suæ divinæ Naturæ. Postquam hoc spectaculo aliquamdiu me oblectavissem, duxerunt me Angeli ad aliud Castellum huic vicinum, ubi mihi videbar videre Divinitatem DEI, & hunc in modum me duxerunt per omnia alia. Interrogantibus me Angelis, an scirem, quidnam id esset, dixi, quod in singulis eorum Castellorum viderim DEUM. Jlli autem mihi hoc magis explicuerunt, dicentes per illa Castella repræsentari divina Attributa, quæ sunt ipsemet DEUS. Vicinissimum illi excellentiori, erat divina Bonitas; alterum in altera parte divina Misericordia; postea sequebantur alia, divinæ Fortitudinis, Justitiæ, & reliqua, videórque mihi vidisse, quomodo DEUS in sinnulis Castellis operetur aliquid in suis creaturis juxta illud Attributum divinum, quod ibi mihi repræsentabatur. Deinde vidi, quòd Persona Patris æterni, in specie humana, etsi valde diversa ab illa, quam habet Filius, quem video verum esse Hominem, ascenderit ex eo minore Castello intus ad aliud maximum usque ad summitatem,

tem, conjunxerítq; caput cum illo Sole, qui erat divinum Verbum Incarnatum, indicando mihi ſe propter merita hujus Domini benefacere omnibus Beatis, ac reliquis hominibus. Et cùm eâdem viâ deſcenderet, quâ aſcenderat, vidi eundem magnum DEUM deſcendentem uſque ad Infernum damnatorum, & ibi per attributum ſuæ divinæ Juſtitiæ illos punientem, licèt quodammodo illibenter, & quaſi coactè, quòd id nollet facere, niſi exigeret ipſius Juſtitia, ac proinde adverti etiam ibi aliquid operari ejus Miſericordiam, & abſtrahebam me ab hoc videndo: quia non intelligebam, quomodo id fieret.

II. Venerabilis P. Ludovicus de Ponte ibi ſubdit: Ego illi dixi id eſſe, quod docent Theologi, nimirum DEUM punire juxta condignum, minùs, quàm illos poſſet punire, & in eo reperiri aliquid miſericordiæ: ſtatímque intellexit hoc ipſum eſſe, quod viderat, neque ſciebat exponere. Proſequitur Venerabilis Marina: Vidi præterea infinitatem iſtius punitionis in æternitate pœnarum, quod me reddidit attonitam, & adverti, quàm infinita eſſet culpa, eò quòd adverſetur DEO infinito, qui tali pœnâ & modo illam punit per ſuam Juſtitiam. Poſtea vidi eundem DEUM Patrem tranſeuntem ad purgatorium, & per ſuam Juſtitiam ibi infligentem animabus illam pœnam; ſed ſuaviore modo & quaſi illarum vicem doleret. Deinde aſcendit ad locum, in quo priùs fuerat, cúmque me abripuiſſet in ecſtaſim, inveni me in meo lecto, ſicut ſoleo.

§. 3. narrat iterum in Julio Anni 1619. ſe vidiſſe divina attributa, & ait: Perveni ad magnitudinem divinæ Bonitatis, nec non Miſericordiæ, Juſtitiæ ac Sapientiæ, in quibus Attributis contemplabar, & cognoſcebam divinum Eſſe. Viſa autem ejus Juſtitia fui conſternata atque exterrita.

III. Maxima DEI erga ſuas creaturas Bonitas & Dignitas, quantam in Angelis pariat admirationem deſcribit Parte 1. l. 1. c. 14. §. 2. Conſpexi adſtantes quoſdam ſanctos Angelos pul-

cherrimos, vehementer ſtupentes & admirabundos quod demonſtrabant, & manifeſtabant in ſitu corporum, in quibus comparebant meæ animæ, nec non in divinis ſuis ac ſpecioſis vultibus. Cauſam autem hujus admirationis intellexi eſſe, quòd viderent majeſtatem illius magni DEI ac Domini ſui (in cujus divino conſpectu proſternitur omnis creata & eminentiſſimi Seraphini ſe reputant quaſi vermiculos) tanto amore proſequi ſuas creaturas, tantæque eſſe erga eas bonitatis, ut propter illam dignetur agere cum iiſdem ſuis miſerabilibus creaturis, ac terrenis, pleníſque corruptione naturæ humanæ, & ſe eo modo ijs communicare. Ità attoniti illi Angeli ſe invicem intuebantur, ſemel ac iterum attollendo ſuos oculos ad cœlum.

IV. Clementiam DEI commendat Revelatio Parte 2. l. 2. c. 10. An. 1626. cùm eſſem afflictiſſima propter multas adverſitates, quæ his diebus, ut mihi referebatur, obvenerant in hæc Regna Hiſpanica, quantumcunque me reſignarem in divinam voluntatem, non poteram me tamen componere. Tum mihi Dominus dixit: conquieſce anima, ſic enim fieri conveniebat, ut punirentur qui ſunt mortui, & ſuperſtites emendarentur. Adverte: nónne vidiſti magiſtrum aliquem puerorum, dum hi ſunt negligentes in legendo, & garriunt, ſurgentem ex ſella, & duorum triúmve ex ipſis capita ac aures ſcuticâ aliquoties verberantem atque ſic terrefacientem omnes, qui metu perculſi ſe applicant lectioni? ità verò ego nunc egi.

V. Hanc eandem clementiam commendat Revelatio P. 1. l. 6. c. 16. §. 5. Venit ad me ſanctus Angelus Cuſtos, elevavítque me, apprehenſam in humeris, erigens me in lecto, ac dixit: Anima aſpice DEUM, ecce pergit ad mare, & videtur eſſe iratus. Elevavi oculos & vidi meum Dominum ſtantem inter cælum & mare, quaſi imperantem ventis ac mari, ut conturbarentur, valde offenſum peccatis, quæ contra ipſius Majeſtatem committunt navigantes (ego verò vehementer condoleo, &

com-

compatior navigantibus, propter ingens discrimen, quod ordinariè subeunt, tam vitæ quàm animæ) & postquam vidissem DEUM, ità sicut dixi iratum, mota commiseratione proripui me, & constituta coram DEO inter ipsius Majestatem ac mare, expansis brachijs dixi: noli mi Domine, noli mi Domine, per tuam clementiam te obsecro, noli id permittere, nè submergantur isti homines. Dominus præseferens gravem indignationem, mihi dixit; Quid facis, anima? permitte me agere. Noli mi Domine, reposui ego, per tuam infinitam bonitatem, noli hoc facere. Dominus mihi dixit: recede anima, adverte, quòd etiam tu possis submergi. Tum ego subjeci cum magna confidentia: non debeo te derelinquere mi DEUS, etiamsi submergar; licèt me occidas, non intermittam confidere in te. Hoc audito DEUS fuit mutatus, quasi in mansvetum agnum & non punivit illas astimas, dicens mihi: fiat, sicut tu vis & veni huc, Anima, perge mecum ad cœlestem Jerosolymam, volo enim, ut hodie assideas meæ mensæ, & bibas ex meo poculo. Atque in momento me univit secum Divina Majestas, & reperi me in illa cœlesti Patria, vidique paratam quandam mensam, cui assidebant omnes Beati comedentes, séque satiantes divinâ visione. Jussit me DEUS assidere mensæ. Videns autem ego illos Sanctos, ac illas species corporum, quæ habebant admirabilia, & considerans me, erubescebam, ac timebam assidere cum ipsis, dixíque meo Domino: non mi Domine, non decet, ut ego assideam huic divinæ Mensæ cum istis sanctis Beatis, quæ vivo in carne mortali: hîc sedebo sub mensa & comedam. Dixitque Dominus: non Anima, non ità oportet fieri, asside mensæ. Assedi cum Sanctis, & incepi me reficere, ac frui illâ beatitudine, pro meo captu, idque brevissimo tempore, sicut pertransit fulgur, & eram ibi valde confusa ac pudefacta. Obstupui ac passa sum ecstasim videns talia mysteria: & quando ad me redij deduxerat me jam DEUS ad meum angulum. Sit ipsius Majestas benedicta.

VI. Eandem Clementiam videre est Parte 2. lib. 2. c. 10. p. 254. col. 2. Mense Martio ducta Vallisoleti versùs fluvium. Vidi turbari à dæmonibus aquam, & vehementer intumescere; quod agentes illi infernales spiritus volebant omnia in ea vicinia destruere & inundare. Incepi id videndo exclamare ac dicere: adjuro vos, mali spiritus, in nomine DEI, ut relinquatis has aquas & non conturbetis, neque damnum fidelibus inferatis. Et hoc solicitè ac frequenter iterabam. Tandem coacti ac furentes abiverunt,& aquæ conquieverunt. Fui statim reducta à SS. Angelis ad meum angulum, ubi dixi: cur verò, mi Domine,sic fecisti? bene tu potuisti imperare dæmonibus & aquis,atque omnia fuissent sedata, quin ego illuc irem, quemadmodum ivi. Verum quidem est, respondit Dominus, me id facillimè potuisse; non volui autem, sed mittere te nomine meo, ut hoc exequereris. Ecce nunquid non vidisti, quod dum aliquis manet in cubiculo,& audit subtus excitari tumultum in gallinario, quia ibi infrà comparet rapax quæpiam avis; advocet puerum, illique dicat: curre deorsum, & incute illi avi timorem. Ità verò ego nunc feci, & videns dæmones eâ licentiâ, quàm à me his diebus habent, velle conturbare fluvium, ac nocere isti civitati, præ commiseratione,quâ mea Clementia fuit permota, misi te, ut ires ad illos terrendos,& nolui id ipse facere, tanquam pertæsus vestrarum negligentiarum atque exiguæ emendationis vitæ, post tot beneficia, quæ accepistis. Hæc omnia mihi dixit Dominus.

Ad eandem Clementiam spectat ibidem mox sequens revelatio sic relata: Alio die mihi DEUM pro his præsentibus, & totius regni necessitatibus oranti, ut nostri misereretur, dixit Divina Majestes: penes te sit arbitrium pacis & belli: tu esto judex inter me & populum meum: quid vis ampliùs à me fieri?

VII. Severitatem DEI declarat Revelatio, Parte 1. lib. 5. **c. 9. §. 4. An. 1599. jussit Divina Majestas admoneri Judices** **ac.**

ac Prælatos Civitatis Vallisoletanæ ob ingratitudinem pro gratia accepta à liberatione à peste: sed ipsi omnes & singuli seorsim eam culpam à se rejiciebant allatis excusationibus, quæ illis videbantur sufficientes; verùm DEUS, qui illâ re fuerat offensus ostendens mihi non esse sibi satisfactum ipsorum excusationibus dixit mihi: Ego illos puniam propter istud exorbitans delictum, & in pœnam hujus defectûs ipsis auferam personas convenientes ac necessarias eorum reipublicæ.

CAPUT III.

De Providentia DEI, & Prædestinatione.

I.

PLurimis in locis referuntur pulcherrima, & sublimissima de admirabili DEI erga creaturas suas Providentia, præsertim circa æternam hominum salutem planè conformia nostræ sanctæ Fidei, ex quibus proinde declaratur, quantum fieri potest, sublimissimum hoc mysterium.

Parte 1. l. 3. c. 6. §. 4. narratur. In Augusto An. 1615. vidi Christum Dominum considentem in quodam throno, circumdatum ab Angelis, ibi correpta spirituali somno cognovi specialiter illuminata à DEO de subtilitate divinorum Judiciorum, ac variorum arcanorum divinæ Providentiæ: etsi non scirem, neque possem id exponere, sicut vidi ac intellexi. Tantùm stupebam, & eram attonita, atque etiam timebam, videns quomodo prolabantur res exaltatæ, & exaltentur res prolapsæ, nec non occulta DEI arcana, quoad varias vias, per quas ambulant homines. Occurrit parti superiori meæ animæ exemplum, quo id possem explicare & est, considerare altissimum montem, in quo est reperire varias semitas, ac vias inter ingentia præcipitia; & imaginabar mihi multos illum perambulantes; bonos quidem insistentes semitis tam arduis ac angustis, ut vi-

derentur præcipites ruituri, qui tamen ſuperatâ hac difficultate, & moleſtiâ devenirent ad viam planam & amænam, magiſque ſecuram: alij verò incederent viâ, in ſpeciem planâ, & amænâ cum magna proſperitate, in cujus termino prolaberentur, in præcipitium ac perirent. Hoc exemplum mihi incidit, ſed non explicat adhuc bene id, quod vidi. Cognovi etiam & experta ſum, quomodo DEUS adſit tribulatis ac afflictis; videórque mihi hoc vidiſſe.

II. Parte 1. l. 3. c. 20. §. 3. Divina Majeſtas me eduxit ad altitudinem valde eminentem, ubi mihi per ſpecialiſſimum ſuum lumen oſtendit res tam admirabiles, ut illas cor humanum non capiat, neque poſſint exprimi, niſi dicendo: eſt aliquid amplius, quàm hoc. Licèt verò eſſem intra hoc ſummum, adeóq; divinum Bonum, nihilominus quando me vidi tam elevatam, timui, dixíque in animo: ſi me DEUS hinc dimitteret, quid fieret? annihilarer. Et Dominus reſpondit meæ cogitationi: bene dixiſti; univerſæ creaturæ à me dependent, & omne ipſarum eſſe pendet à mea Providentia; ità ut, ſi illas desererem, redigerentur in nihilum: verùm tu noli timere, quia te non deſeram. Addidítque Dominus: aſpice illuc versùs. Conjeci oculos ad eam partem, quam mihi Dominus deſignaverat, ac aſpexi procul. Et cùm mihi appareret maximum quoddam ſpatium, quod quàm longiſſimè extendebatur, & erat admirabilis cujuſdam coloris, vidi quaſi in quadam æternitate divinam mei Prædeſtinationem, quâ me ab æterno DEUS prædeſtinaverat. Rurſúmque mihi dixit: noli timere, quia te non deſeram. Et datâ mihi ſuâ ſanctâ benedictione diſparuit.

III. Parte 1. l. 4. c. 6. An. 1620. in Februario vidi duodecim Angelos DEI, qui deinceps interdum me viſitârunt, & aliquando vidi, quòd tres ex ipſis formaverint ſinguli quendam thronum myſticum. Aſpexi primum, qui licèt mihi initio videretur eſſe inſtar admirabilis altaris, & imaginis, alia ex parte

ta-

tamen crescebat, vidique illum evasisse quasi in altum & excelsum montem, valdeq; pulchrum & pretiosum, ac plenum grandi thesauro. In hoc monte erant multæ viæ & semitæ: prima erat plana, lata & spatiosa; aliæ angustæ & arduæ, sursumque tendentes intercedentibus infinitis semitis longis & brevibus per alias vias, ac vergentibus ad alias partes, & latera, ut in his non videretur aliud, quàm quidam labyrinthus, & quoddam rerum diversarum ac veluti invicem intricatarum infinitum: erant quoque ibi quidam quasi gradus in una parte, valde difficiles ascensu. In vertice tandem hîc mons habebat jucundissimam & pulcherrimam planitiem, Angelus se collocavit ad radicem istius montis, dixitque mihi: accede anima, & videbis diversitatem viarum, quas DEUS habet pro deducendis ac dirigendis animabus ad earum salutem: aspice quali viâ ambulaverit quædam anima, quam Dominus meæ curæ commisit, ut illam juvarem & custodirem. Constitui ipsam initio in hac via lata & plana, quàm hîc vides, quæ est figura & repræsentatio Legis DEI, ac sanctorum ipsius Præceptorum (designabat autem mihi quasi digito, velut eminus id, quod ostendebat) incessit, ajebat, ea anima hac viâ facilè, & cum solatio, donec attingeret & conscenderet superiorem illam angustam semitam, quæ significat ac repræsentat Consilia Evangelica. Jllàc progressa est aliquamdiu, aliquantùm molestè & difficulter, & nonnunquam impingendo ac cespitando. Demum descendit per illud latus deorsum, quod ibi vides. Continuo autem illam, DEO juvante, arripui prout potui, & eduxi ad priorem viam latam, quâ illam deducebam; sed dæmon illam tentabat varijs rebus, & inquietabat ac turbabat, ut mihi tandem evaserit è manibus, & intraverit in illam lacunam, quam ibi vides; & sic incidit in magnam miseriam ac fæditatem. Ego tamen, cum DEI auxilio eam indè extraxi, & mundavi: atque dum illi inspirarem dolorem de peccatis, & pænitudinem, ipsamque ma-

nuducerem hac viâ, contulit illi Dominus tantam virtutem & & fortitudinem, ut cum ea conſcenderit illos arduos gradus, quos ibi vides, non abſque labore ac moleſtia, quæ ſignificat magnam illam difficultatem, quæ ſentitur, quantum eſt ex parte animæ, dum aſcenditur ex ſtatu imperfectiore ad alium perfectiorem. Inde illam DEUS deduxit ad ſemitam vehementer anguſtam & altam, quæ ſignificabat ac repræſentabat viam orationis & contemplationis, quam tenuit valde cum magno & inſigni profectu ac ſpiritu. Poſtea ipſam DEUS perduxit ad illas vias tam extraordinarias, quas illic vides, & ſolus DEUS, ipſiúſque ſapientia intelligit, ac ſcit, quò vergant & tendant. In hoc ſtatu, & in iſta via ultra modum profecit, mansitque in illa cum magna pace & quiete, in admirabili quadam ac divina ſolitudine DEI & ſui ſpiritûs. Hinc eadem anima fuit deducta à DEO, me ipſam comitante, ad illam viam altam ac divinam, quam ibi vides, ubi in altiſſima contemplatione, & cum ſubliміſſima cognitione DEI, ipſiúſque perfectionum, ac ſpeciali unione tradidit ſuum ſpiritum DEO: quo fruitur æternùm. Volui tibi juſſu DEI oſtendere hoc myſterium, & viam admirabilem atque extraordinariam, quâ DEUS duxit iſtam animam, pro tuo ſolatio, útque conquieſceres in operibus DEI, & recrearetur tua debilitas. Noveris autem, quòd nos duodecim Angeli DEI, qui te aliquando pro tuo ſolatio, ex DEI mandato viſitavimus, Cuſtodes fuerimus duodecim animarum, ex quibus tantùm tres ſunt ſalvatæ, ſicut vidiſti in tribus illis ſacellis, & novem damnatæ: atq; ità ordinariè res eveniunt. Commenda id totum DEO, & eſto bono animo, ac habe ſolatium in tuo DEO. Rogo autem te, amore Domini DEI noſtri omnipotentis, ut evulges id, quod vidiſti: cedet enim ad gloriam DEI, & utilitatem ac ſolatium animarum; atque nunc vale.

IV. Parte 1. l. 5. c. 8. §. 1. Quodam die præ dolore & commiſeratione, quòd viderem tantas Eccleſiæ neceſſitates, atque mul-

multitudinem hostium nostræ sanctæ Fidei Catholicæ, dixi Divinæ Majestati: Mi Domine, potens & magne ac misericors, siquidem nos tantopere amas, & tantum fecisti nostri causâ, ac pro nostra salute, habésque potentiam infinitam, quâ potes, quidquid vis, nónne esset fortè conformiùs tuæ magnæ misericordiæ ac bonitati, ut converteres ad tuam sanctam Fidem Catholicam istos paganos & infideles, qui vivunt in tenebris, & umbra mortis? est enim res vehementer dolenda ac digna commiseratione, considerare, quòd videantur quodammodo plura esse opera tuæ justitiæ, quàm misericordiæ; cum tot damnentur, & pauci sint electi. Postquam hoc dixissem, respondit mihi Dominus: modò non es bene locuta, quia multò plures, sinè comparatione sunt miserationes meæ, & bona quæ præstiti hominibus, dum descendi de cœlo in terram, & factus sum homo, ac mortuus pro ijs, redemique illos meo pretioso sangvine, & reddidi participes meorum meritorum, vel in ipsis pœnis, quibus eos addixi propter gravia illorum peccata. Dic age an beneficia comparanda sint pœnis? nónne existimas magnum intercedere discrimen inter bona, quæ ipsis contuli, & pœnas, quas ab illis exegi? & nónne præterea scis me non solum esse misericordem, & bonum ac potentem, & justum, verùm etiam sapientem; ideóque sicut magnitudini misericordiæ meæ, ac bonitati competebat conferre gratias, & bona hominibus, justitiæ autem punire malos, & rebelles, ac violatores meæ legis, meorúmque præceptorum; ità magnitudini meæ sapientiæ convenire, ut non salvem omnes, quamvis possim, neque eos cogam, ac traham ad beatitudinem: siquidem ego creavi hominem, ut esset beatus, atque ut consequeretur hunc finem, dedi ipsi multa & maxima auxilia; creavi quoque illum liberum ac Dominum suiipsius, ut possit eligere pro suo arbitrio bonum vel malum, quod maluerit: & cùm talem condiderim hominem, non erat decens, ut ipsum cogerem traheremque ad cœlum violentè.

V. Parte 1. l. 5. c. 9. §. 1. An. 1599. dum pestis affligeret Hispaniam, rogabam Divinam Majestatem, & tandem illi dixi: Ergóne mi Domine, tui servi debent pati, & puniri cum peccatoribus? Respondit Divina Majestas: nónne verò scis, quòd ego possim formare vestem, quæ omnibus conveniat? Hoc Dominus Venerabili Marinæ dixit, quia communibus afflictionibus ità puniuntur mali, ut simul perficiantur boni.

Parte 1. l. 5. c. 10. §. 1. An. 1619. in Decembri dixit mihi Dominus: Anima mea, video te afflictam & contristatam, ac mærentem propter vehementem dolorem, quem percipis ex eo, quòd videas vilipendi & offendi gloriam meam, ac honorem, quantum est in hominibus, atque propter tam multas animas, quæ versantur in statu æternæ damnationis. Plurimùm mihi id placet, & compatior tibi. Verumtamen gaude in me, & bono esto animo ob id, quod tibi dicam. Scias, velim universam humanam naturam esse unum corpus, cujus Anima & Vita sunt mei Justi, & mei Sancti, quos mihi elegi jam inde à mea æternitate. In ista anima & hac vita istius corporis defixos habeo oculos, & obtutum: atque hi sunt, qui manent in meo corde, quósque ego in illo gero, & quibus oblector, glorior, ac recreor. Ablatâ verò istâ animâ ac vitâ ejusdem corporis, quæ est formosa, & sponsa mea ac subsistit, habétque gratiam in oculis meis, omnia reliqua membra putrida, & vitiata hujus corporis naturæ humanæ; non curo, nec mihi displicet, quòd cùm sint talia, propter suam malitiam & culpam, abscindantur in ignem, quamvis non sinè dolore & afflictione animæ. Ità facit bonus & sapiens Medicus, qui attendens ad id, quod præcipuè prodest infirmo, estq; maximum ac optimum, nimirum ad vitam hominis & ipsius substantiam; cæterùm non curat, quòd abscindantur, vel adurantur quæcunque membra putrida, & vitiata illius corporis. Quocirca anima mea, noli consternari, vel animo concidere, sed quiescendo in meo corde

&

& mente mea divina, habe ſolatium in me & in operibus meis ac judicijs altiſſimis,& ſecretiſſimis meæ Juſtitiæ, in quibus omnibus relucet ac reſplendet mea Bonitas & Miſericordia, quemadmodum dixit Moyſes, quando me vidit.

VI. Parte 1. l. 5. c. 10. §. 2. An. 1622. in Martio deducta fui ad cœlum, ubi mihi Divina Majeſtas dixit: pete quod tibi placet, quia id faciam. Ego avidiſſimè ex divina inſpiratione reſpondi. Mi Domine ſalutem omnium hominum peto; quod petebam iterando inter ardentia deſideria & affectus identidem: ſalutem omnium hominum, ſalutem omnium hominum peto Domine. Hoc dicto fui ſummo impetu projecta ad meum locum, acſi aliquis projiceret graviſſimum lapidem, qui rueret ad ſuum centrum. Ego tamen non ſolùm non fui conſternata, neque concidi animo, ut potiùs videns me in meo loco, animoſiùs ac ardentiùs repetierim: Domine ſalutem omnium hominum à te peto; & attollebam vocem repetendo eandem petitionem: quin imò etiamſi deturbarer ad infernum, peterem ſalutem hominum. Interea mihi comparuerunt duo ſancti Angeli ex ſuperioribus, & graviſſimis, interrogaveruntque me: Anima quid vis? ego dicebam: ſalutem omnium hominum. Jlli mihi dixerunt: ducemus te iterum ad Dominum diversâ viâ & facili, ut progrediaris abſque defatigatione; ibi pete quod volueris. Duxerunt me quâdam viâ tam pulchrâ, amæna, & gratiosâ, ut abſque ulla moleſtia pervenerim ad conſpectum DEI. Divina Majeſtas me ſuſcepit peramanter, dixitque mihi: Anima dic mihi, quid velis? ego reſpondi: mi Domine, ut ſalventur omnes homines. Dominus autem repoſuit: multùm petis; adverte me, licèt ſim omnipotens, & poſſim omnes ſalvare, nihilominus operari juxta mea divina decreta, relicta hominibus libertate, ut pro ſua voluntate diſponant de ſua ſalute. Non cogo ipſos; dedi illis liberum arbitrium, & multi ſunt, qui nolunt bene uti meâ miſericordiâ, nec reſpondere meis voca-

tionibus, súntque mihi refractarij. Fieretne bene, si aliquis Rex ignosceret omnibus suis subditis rebellibus, qui contra ipsum conspiravissent abutentes ipsius benignitate? certè non. Tempera tibi, pete aliquid aliud. Ego respondi: quod peto, Domine est, ut salves millena millia millium. Adhuc non bene petis; est mulum; pete aliquid speciatim, dixit Dominus: accede, nónne tibi sufficiet, si salvem tot homines, quot potest capere aliquod regnum? Huic dicto divino me oportebat acquiescere. Et Dominus mihi pollicitus est se id facturum: quo fui contenta.

VII. Parte 1. l. 5. c. 10. §. 5. An. 1622. in Julio allocutus est Dominus meam animam peramanter & benignè compatiénsque mihi propter meos dolores dixit: Considera quid à me velis, & pete à me quod volueris. Audiens mea anima hæc divina verba fuit repleta summo solatio, & incepi alta voce dicere: DEUS mi, & Domine mi, ac omne Bonum meum, quod mihi à te peto dari, quódque mihi debes concedere, est, ut impertiaris tuam sanctam Benedictionem ex tua infinita bonitate omnibus qui se mihi commendaverunt: neque aliter ullo modo fieri oportet, sed necesse est, ut ipsis bene preceris. Et cum eo fervore & affectu expandebam mea brachia, valdeq; procul in altum elevata clamabam & dicebam: Filij mei, animæ meæ (quod aliàs nunquam dico) venite huc quàm citissimè, nolite morari (& advocabam illos manibus) ut suscipiatis benedictionem vestri magni DEI, ac Domini. Ad hanc invitationem & vocem meæ animæ veniebant omnes celeriter, cum suis Angelis Custodibus, qui ipsos adducebant. Agnovi quosdam ex illis, qui advenerant, & simul sumpti erant plures, quàm ut possent locum habere in aliquo magno templo. Cùm viderem omnes illas animas circa me, & coram Christo Domino affluebam ingenti solatio, & prostrata ante ipsius Majestatem repetebam meam petitionem, ac dicebam: videsne eos hic mi DEUS ac Do-

Domine, da illis benedictionem. Audivit me Dominus perquam amabiliter, ac amænum exhibendo ſuum divinum vultum & amantiſſimè, graviſſimeque his meam animam eſt allocutus divinis verbis: quid eſt hoc Anima? quis te huc adduxit cum iſta vehementia tam ferventium affectuum? quid vis & petis? quieſce jam, neque ſis ità præceps, & attende bene quid petas: volo enim tibi dare tempus loquendi. Ad hæc dicta tam divina & mirabilia, quibus DEUS meam animam fuerat affatus, ipſa pro ſuo fervore reſpondit: DEUS mi, & Domine mi, ego bene ſcio, quid petam: eſt enim ut pro tua infinita bonitate, & miſericordia, impertiaris tuam ſacram benedictionem omnibus iſtis animabus, quæ hìc adſunt in divino tuo conſpectu. Bene dicis, Anima (ajebat Dominus) ego quæro, an fortè ſcias, ipſas omnes habere diſpoſitionem requiſitam, ut illis præſtem iſtam gratiam & miſericordiam, quam tu petis? Mea anima reſpondit: mi Domine non habes, quod opponas meæ petitioni, hanc enim gratiam hodie infallibiliter à te præſtari oportet propter tuam bonitatem & miſericordiam. Tum mih dixit Dominus: Viſne forſitan, ut tranſgrediar leges, jam inde à mea æternitate conſignatas in tabulario meæ Sapientiæ, ac Divinæ Juſtitiæ, quas nequeo præterire? nimirum, creaturam debere eſſe diſpoſitam mea gratiâ & auxilio, ut ipſi conferam novas gratias ac miſericordias, & illa eaſdem à me ſuſcipiat? Etiamſi enim mea potentia ſit infinita, quâ poſſum facere omnia quæ volo; leges tamen meæ ſtabilitæ ſunt, quales eſſe dixi. Quid reſpondes ad hoc? quando mea anima audivit iſta dicentem ſuum DEUM, proſtravit ſe & obmutuit, neſciens quid diceret, atque ùt erat attonita ac obſtupefacta, aſpiciebat quaquaverſum, ubi eſſent ipſius ſancti Angeli, ſed ipſi tacebant, & nihil loquebantur. Interea mea anima abrupit ſilentium, & cum magno fervore ac vehementia dixit ſuo DEO: Domine mi & DEUS mi, bene omnia dixiſti; verumtamen ego me ijs non implico, neque illa

cupio intelligere, & nolo aliud facere, quàm conjicere oculos in tuam infinitam bonitatem, potentiam & ſapientiam ac miſericordiam: cæteroquin potes facere quicquid vis, quódque eſt conforme tuæ ſanctiſſimæ voluntati. Hoc ego arripio, & huc recurro, neque aliud quidquam ſcio: Domine mi, rogo te per temetipſum, ut in mei gratiam preceris omnibus iſtis humilibus; & interea vocabam omnes celeriter dicendo: venite citò filij mei, ad ſuſcipiendam benedictionem noſtri DEI. Audivit Dominus hos meæ animæ ardores diu, & cum ſumma complacentia atque gravitate dixit: verè es valde fervens, Anima mea, & conviciſti me ideóque quàm promptiſſimè & libenter volo facere, quod à me petis. Statim autem atq; hoc dixit Dominus, omnes illi ſancti Angeli præſentes inchoaverunt quandam divinam & cœleſtem muſicam, atque paulò pòſt ceſſaverunt, ac tum Majeſtas JESU Chriſti noſtri Domini DEI & Hominis veri cum ſumma authoritate dedit tres benedictiones omnibus ijs animabus quæ aderant, dicendo latinè: Benedicat vos omnipotens DEUS Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Et omnes illi beati Spiritus ſuo cœleſti cantu reſponderunt: Amen. Deinde ſurrexerunt omnes eæ creaturæ, quæ ſe proſtraverant, ut ſuſciperent benedictionem ſui DEI, & fuerunt abductæ à ſuis Angelis Cuſtodibus, qui ipſas adduxerant ad ſuſcipiendam illam gratiam DEI. Ego manſi in magno raptu, & quando ad me redij, reperi me pleniſſimam ſolatio, agebámque magnas gratias DEO, pro omnibus operibus ipſius ac miſericordijs. Ipſe ſit benedictus in æternum. Amen.

VIII. Parte 1. l. 5. c. 22. §. 1. Poſtquam cognoviſſem aliquid de ſacratiſſimis Libri Sapientiæ DEI myſterijs, vidi venientem per illa cœleſtia tabernacula quandam proceſſionem ordinatiſſimam Beatorum cœli incolarum, quam ſequêbatur Majeſtas Chriſti JESU, ac Sanctiſſima ipſius Mater; & cùm procederent prætergrediebantur ſuo ordine illum cœleſtem Librum.

Pri-

Primus ex ijs Sanctis advenientibus accessit, & conversus reverenter ad Librum, qui erat apertus, substitit tantisper valdè attentè ipsum intuendo, intelligénsque in tot illis divinis mysterijs plura indicari, quàm ut eorum posset assequi, aut penetrare magnitudinem, contraxit humeros & progressus est ulterius. Deinde suo ordine reliqui sequentes, idem faciebant quod primus; quorum alij percipiebant plus, alij minùs pro rata sapientiæ sibi communicatæ ab illo divino fonte. Postquam multi transivissent mihi ignoti, advenerunt alij, quos agnoscebam, quia illos à me DEUS volebat agnosci. Primus fuit Gloriosus S. Laurentius Martyr, à quo ubi cum magna reverentia accessisset ad sacratissimum Librum, & ipsum aspexisset perattentè, adverti percipi multò ampliùs ex illis divinis Mysterijs, quàm ab alijs Sanctis, qui transiverant tametsi contrahens suos humeros sicut alij, indicaverit se non posse assequi incomprehensibilem altitudinem eorum, quæ contemplabatur. Prætergresso sancto Laurentio, venit S. Apostolus Petrus, & post præstitam suam reverentiam detinuit se ibi modicùm, aspiciendo Librum cum magna attentione, intellexitque longè plus, quàm ullus reliquorum Sanctorum, qui præterierant, adeò ut ego mirarer tam sublimem ejus sapientiam, & modum intelligendi illa divina Mysteria: sed nihilominus & ipse contractis suis humeris quemadmodum cæteri Sancti processit ulteriùs, significans se non assequi omnem ipsorum sublimitatem. Postea venit Sacratissima Virgo Domina nostra, & appropinquavit cum profundissima reverentia sacro Libro aspiciendo illum aliquamdiu quàm attentissimè, & cognovit divina mysteria multò subliміùs quàm omnes simul sumti Sancti, qui transiverant, quamvis & suo modo humeros contrahens, quasi non comprehenderet omnem illorum amplitudinem, processit ulterius: venitq; Majestas JESU Christi Domini nostri, qui se convertit ad sacratissimum Librum, & illum aspexit, statímque intellexit, & compre-

prehendit, perfectissimè omnia mysteria in eo contenta ac transivit, non contrahendo humeros, neque ullum præbendo signũ, quod non comprehendisset integrè omnem illorum incomprehensibilem magnitudinem; imò significabat ea à se comprehendi, tanquam ab eorundem Domino ac Authore, in cujus divino pectore & Sacratissima Persona essent peracta & continerentur. Postquam Christus Dominus transivisset tota illa sacra Sanctorum pompa abivit ad suum locum pacis, quietis & gloriæ æternæ cum Beatissima Virgine, & Majestate Sacratissimi ejus Filij, DEI ac Domini nostri.

IX. Parte 2. l. 2. c. 21. An. 1626. Dum affligerer, ac dolerem ob allatum nuncium de inundationibus, quas est passa Hispalis, & Salmantica, deque tot facultatum & hominum jactura, tenerè proximis meis compatiens, totóque affectu illos DEO commendans vidi Dominum, qui me benignissimè vocabat. Et utens suâ potentiâ me duxit ad cœlestem Jerosolymam, ostenditque mihi nonnullas Animas, quæ paulò antè fuerant ingressæ in eam cœlestem Civitatem, & erant illorum, qui in prædictorum locorum inundationibus fuerant submersi. Erant pulcherrimæ & contentissimæ, utpote fruentes eo summo Bono. Tunc mihi dixit Dominus: ecce noli cogitare, nihil aliud fuisse, quàm rigorem, siquidem etiam exercui clementiam. Animæ, quas hic vides, fuerunt hâc viâ salvatæ, & versatæ fuissent in gravi periculo damnationis, si diutiùs in mundo mansissent. Æterna mea Providentia junctæ meæ Clementiæ prævenit hanc malam sortem educendo illas ex vita mortali, constitutas in mea gratia. Quin & eorum quoque sum misertus, qui sunt damnati: nam si vixissent diutiùs, multiplicavissent sua peccata, quibus fuissent promeriti majorem pœnam eâ, quam nunc patiuntur. Audivi, quod edocebar à Domino, & venerando altissima ipsius judicia, laudavi immensam ejusdem misericordiam.

X. Par-

X. Parte 2. l. 2. c. 38. Dum aliquando manè orarem, accendit DEUS meam animam, ut ardentiſſimè deſiderarem ſalutem animarum. Audivi DEUM cum incredibili benignitate mihi dicentem: poſtula à me, quidquid volueris, quia tibi omnia concedam. Dum hoc audirem dici à DEO, viſa eſt mihi mea anima non eſſe ſui compos, & neſciebam, quomodo mihi eſſet petendum, quod adeò ardenter deſiderabam, ſalutem nempe totius mundi. Nihilominus cum jam vellem durante meâ turbatione loqui, conſpexi Dominum, qui graviſſimo geſtu, acſi digitum apponeret labijs, mihi dixit: Expecta Anima, tace, quid vis petere? nunquid ignoras non debere, nec poſſe fieri, quod dicis, niſi ſuo tempore? Quia autem jam meo affectu tantopere extra me rapta fueram, ſtatim reſpondi: ah mi Domine DEUS, noli mihi id dicere: noli mihi ità loqui mi Domine. Si námque tu iſta expendis tanquam DEUS, ac ad libellam altiſſimorum tuorum judiciorum; ego tamen ea non aliter conſidero, quàm ut miſera creatura cupida ſalutis animarum, ideóque præſta mihi, quod promiſiſti mi DEUS: ego enim plus neſcio, neque amplius intelligo. Expecta anima, repoſuit Dominus, expecta; implebo, quod tibi ſum pollicitus, ſed non aliter, quàm petiveris in exordio tuæ orationis; quia re verâ nihil aliud petebas, quàm auxilia & ſubſidia pro omnibus animabus Fidelium, præſertim autem illorum Catholicorum, qui degunt inter Infideles, & eorundem Infidelium, qui exoptant lumen Evangelij. Hoc à me ab initio poſtulabas, revoca id tibi in mentem, hoc tibi à me præſtabitur.

XI. His divinis verbis fu • mea anima recreata, & velut abſorpta in ſuo DEO; atque in hoc ſtatu vidi ſubitò Infidelium iiſque immixtas aliquas Fidelium Animas ità ad infernum deſcendentes, ſicut quando ningit, ac denſiſſimi flocci decidunt ad terram. Senſi vehementiſſimam anguſtiam & afflictionem, videndo horribile ſpectaculum, & cum incredibili dolore in-

cepi dicere: quid est hoc mi DEUS, quid est hoc? éstne possibile ut sic disperdatur, & malè impendatur pretium & fructus sangvinis JESU Christi? Noli affligi anima, noli affligi, respondit DEUS: siquidem fructus & valor hujus pretiosissimi sangvinis non potest disperdi, & malè impendi. Non diceretur perdi thesauros mundi, si omnes congererentur ad pulchram aliquam grandem & munitam urbem: non perduntur itaque etiam fructus illius sangvinis, eò quòd ipsos, tanquam in munita urbe, recondiderim in Catholica Romana Ecclesia. Bene est, mi DEUS, ajebam ego, optimè est: verum quandoquidem es infinitè bonus, sapiens, & potens, quare permittis tot animas damnari, prout nunc vidi, cùm absolutè omnes possis salvare? Anima, respondit Dominus, quando creavi hominem, condidi illum mei ipsius capacem, dedi ei liberum arbitrium, unà cum omnibus necessarijs, & sufficientibus ad salutem auxilijs, majorémque profectum: ad omnes suo modo pervenit lumen Evangelij: atque hæc auxilia meæ gratiæ sunt adeò sufficientia ad finem, ad quem illos destinavi, ut nemo de me possit conqueri. Neminem creavi ut damnaretur, sed unumquemque ut salvaretur, dummodo ipse sibi non defuerit. Adverte Anima, quando ampla & nitida civitas ædificatur, non sufficit ut extruantur palatia regia, & formentur plateæ ac sumptuosæ fabricæ, relinquantur quoq; & adornentur amæna fora una cum alijs hujusmodi operibus, sed necesse est pariter, reperiri in ea cloacas & meatus pro educenda sordium colluvie, qui quidem sunt utilissimi ad conservationem urbis, & munditiem. Ità in mea Ecclesia, quæ est mea civitas, & regitur à Spiritu Sancto, necessariæ sunt, ac debent esse cloacæ, quibus devehantur sordes ad infernum, ut purgetur mundus & Respublica Christiana, quæ totius mundi intelligitur nomine, purificetur. Nunc te consolabor Anima, conferendo omnibus Fidelibus existentibus in gratia nova auxilia, ut magis proficiant & peculiarissima

ma dona ijs, qui fuerint diſpoſiti ad ſuſcipiendas meas miſericordias.

XII. Mea anima multùm recreabatur eo, quod audiebat dici à ſuo Domino; præ deſiderio tamen, quo tenebar, ut omnes ſalvarentur, me non potui continere, quin dicerem: ſit ità mi DEUS; ſed quid dabis conſtitutis in peccato mortali, & expertibus tuæ gratiæ? da illis aliquid boni mi Domine, per temetipſum te obſecro. Bene eſt Anima, dixit Dominus: verùm videtúrne tibi fore bonum, ſi quiſpiam dives ac potens Princeps vilipendendo ſuos theſauros, & lapides pretioſos eos objiceret canibus, ut illos beſtiali ſuo fætore inficerent, & confringerent, atque inutiliter & abominabiliter deglutirent? bonúmne eſſet, ut eximius aliquis Doctor conſcendens cathedram, & perſpectos habens auditores, ſciens eſſe ſimplices, ac inſtar beſtiarum incapaces diſcendi, ipſis ſublimia & ſubtilia ſcientiæ argumenta, cum prodiga jactura, exponeret? fieretne id bene? non profectò. Atqui ità ſuo modo fieret, ſi ego mea dona & miſericordias effunderem in dura & inepta corda, in animas ſurdas & cæcas, ad audiendas mearum inſpirationum voces, & videndum lumen mearum veritatum. Mi Domine replicui ego, quæ dicis ſunt infinitæ authoritatis & Veritatis; ſed rogo te, quàm demiſſiſsimè poſſum, ut cùm tua bonitas ſit tam immenſa, ſisque præditus ſapientiâ & potentiâ pro diſponendis ijſdem iſtis animabus, illas efficaciter juves tuis inſpirationibus, & nova tua dona ipſis concedas. Verè Anima, reſpondit Dominus conſtringis me tuis affectibus, nè intermittam te exaudire, ut acceptem tuam petitionem, téque conſoler: ac proinde dico te à me exaudiendam in eo, quod petis. O mi magne DEUS & mi Domine, ſubjunxi, noli id dicere, noli ſic loqui: ſcis enim me non eſſe eam, quæ te conſtringam, atque convincam; ſed hoc facit tua immenſa bonitas & amantiſſimum deſiderium, quod habes, ut nobis præſtes miſericordias. Unde fit, ut effica-

citer tangas ac penetres animam, quam eligis, & accendas charitate ac amore tui, suorúmque proximorum; quò sic à divina manu tua disposita vim habeat & efficaciam in suis ad te precibus. Sis semper benedictus propter tantas miserationes.

CAPUT IV.

De Sanctissima TRINITATE.

I.

PLena est vita Venerabilis Virginis Marinæ augustissimo hoc mysterio, quod etsi sit ob altitudinem suam ineffabile, adeóque Ven. Marina innumeris vicibus protestetur se illa, quæ de hoc mysterio rescivit, effari non posse; nihilominus quæ nostro captui poterant accommodari, non pauca, eleganter ad nostrum solatium & illuminationem, ac in Fide Catholica confirmationem protulit, ex quibus aliqua, tanquam gemmas pretiosas seligemus.

Parte 1. l. 1. c. 11. §. 3. Dixit mihi DEUS: veni mecum, & quiesces modicum: docebo te quoddam secretum cordis mei, ob quod in me recreaberis: atque dum hoc diceret, univit me secum invenique me in pectore Patris æterni, ubi mihi ostensum fuit clarissimè & manifestissimè pro meo captu, mysterium Beatissimæ Trinitatis, ac æterna processio Verbi Divini quâ procedit à Patre, & quomodo ab istis duabus personis Patre & Filio, per amorem quendam infinitum, quo se amant, procedit Divina Persona Spiritûs Sancti! Mansi satis diu in ista cogitatione cum extraordinaria admiratione: magis tamen stupebam, quomodo Pater intelligendo & comprehendendo seipsum produceret Verbum Divinum.

II. Parte 1. l. 3. c. 3. §. 3. Agendo quâdam vice cum DEO, vidi tria elegantissima specula; in duobus erant duæ facies & in tertio Sol splendidissimus, in quo mihi Dominus per specialissimum

mum lumen manifeſtavit myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. In duobus ſpeculis cognovi, quomodo Pater generet Filium communicando illi totam ſuam Divinitatem, ità ut ſint unus DEUS. In tertio, quomodo Pater & Filius producant Spiritum Sanctum, qui eſt unus DEUS cum ipſis, deditque mihi ejuſdem Majeſtas ſpecialiſſimam ſecum unionem in his tribus Divinis Perſonis, durantem multis diebus, quibus continuò intra DEUM manebam.

Subjicit huic Viſioni ſuam explicationem Venerabilis P. Ludovicus de Ponte: Iſta viſio trium ſpeculorum, quæ ſignificabant diſtinctionem trium Divinarum Perſonarum, magis declaratur in hoc addito, quòd duæ facies repræſentaverint Filium per æternam generationem, eſſe quaſi imaginem & ſimilitudinem ſui Patris in ſua Divina Eſſentia, quæ eſt beatiſſima facies DEI; Spiritum Sanctum verò ſpectata ejus proceſſione, non procedere tanquam imaginem Patris & Filij, ſed tanquam infinitum ignem amoris, repræſentatum per Solem, quamvis ſit idem DEUS cum utroq; & habeat eandem cum ipſis faciem.

III. Parte 1. l. 3. c. 9. §. 2. Cùm audirem dici in templo verſum Gloria Patri; illuminata à DEO vidi illius divinas tres Perſonas, & intellexi Patrem non eſſe Filium, nec eſſe Filium Patrem, neque Spiritum Sanctum Patrem vel Filium. Contuli me ad ſumendum Chriſtum Dominum, atque cum illum ſumerem, dedit mihi Divina Majeſtas, ſingulare lumen & cognitionem ejuſdem myſterij, propter quam quando coram illo verſor, contremiſco, vellémque me intra terram abdere: & nihilominus amo toto corde meo infinitam bonitatem ac ſapientiam tanti Domini.

IV. Parte 2. l. 1. c. 14. Poſtquam ardentiſſima mea ſancta deſideria varia propoſuiſſem, inveni me in conſpectu DEI, ubi Dominus Majeſtatis conjectis in me ſuis oculis dixit: de ijs, quæ tanto affectu poſtulas, videbimus. Et poſtquam ſe ille Domi-

Mmm 3 nus

nus Gloriæ, ac Pater æternus convertiſſet ad ſacratiſſimas Perſonas Verbi Divini & Spiritûs Sancti præſente Majeſtate JESU Chriſti Domini noſtri DEI & Hominis veri, Divinæ eæ Perſonæ quaſi inter ſe conferendo dicebant: verè hæc anima & tota iſta creatura eſt quantum ad ipſam attinet tam bene diſpoſita, ut illi, quod petit, interveniente gratia, quæ illi negari nequit, concedatur. Et ſubitò, quaſi idcirco ſe ille Dominus Majeſtatis ad me convertit, dixitque: audivimus, anima, tuam humilem & ferventem petitionem, atque propter bonitatem noſtram, atque miſericordiam, tuamque bonam diſpoſitionem tibi libenter & amanter, quod à nobis petiviſti, in perpetuum concedimus. Quamobrem quódque ità ſit futurum, accipe, Anima, noſtram benedictionem; ſimúlque mihi illam Divina Majeſtas impertita eſt.

V. Parte 2. l. 1. c. 20. Anno 1631. 27. Junij juſſa accedero ad convivium in menſa quadam myſtica, ubi ad caput menſæ conſedit Beatiſſima Trinitas, atque ad ejus dextram Majeſtas JESU Chriſti Domini noſtri veri DEI & Hominis. Itémque Sanctiſſima Virgo Domina noſtra cum glorioſo S. Joachimo, S. Anna, & S. Joſepho, multiſque ex SS. Patriarchis & Prophetis, aliiſque Sanctis ex ſupremis. Cibus in ea menſa appoſitus erat admirabiliſſimus ac divinus, & quantum mea anima aſſequitur ipſemet DEUS, qui eſt ſuſtentatio & vita (ut ſic dicamus) ſui ipſius propter ſuum Eſſe à nemine dependens, & Suſtentatio ac Vita noſtra, Principium & Finis noſtri Eſſe, motuum & actionum tam naturalium, quàm ſupernaturalium. Et obſervavi, quòd tres illæ Divinæ Perſonæ ſe meæ animæ interdum ſpectandas præberent, inſtar trium ſublimiſſimorum Angelorum. Verùm advertebam quoque me pariter, cùm ſe mihi repræſentarent quaſi Angelos, in ijſdem agnoſcere id, quod erat, hoc eſt unam in tribus realiter diſtinctis Perſonis Divinitatem. Quocirca etiam illas in illa ſpecie Angelorum adorabam

rabam modo ùt unum DEUM, aliàs ùt tres Perſonas. Ex ijs tribus ſupremis Angelis, qui repræſentabant, ùt dico, Sanctiſſimam Trinitatem, is qui medium occupabat locum, diſtribuit cibum, imprimíſque ſingulos porrexit bolos ſibi utrinque aſſidentibus, ac deinde Sacratiſſimæ Humanitati JESU Chriſti Domini noſtri, quo, ùt ego intelligo, indicabatur, qualiter Pater æternus ſit origo & fons, à quo Divina Eſſentia communicatur Filio & Spiritui Sancto, quódque Chriſtus Dominus noſter quà homo (quia eſt Divino Verbo unitus) obtineat primum locum, & præ omnibus creaturis in gradu incomparabiliter perfectiſſimo participet dona DEI. Poſtea dabat ſuo ordine omnibus convivis, quod juxta cujuſque capacitatem ſingulis conveniebat. Adverti, quod ille Angelus medius repræſentans ſicut dixi, Perſonam Patris æterni, dum diſpenſaret eum divinum cibum, duobus ipſum tantummodo digitis ſumeret ex quadam velut patena: & intelligo per hos duos digitos fuiſſe ſignificatas reliquas duas divinas perſonas, quæ unà cum Patre impertiuntur hæc myſtica dona ſuis creaturis, & patenam fuiſſe figuram divinitatis, ac divinæ naturæ communis omnibus tribus Sacroſanctis Perſonis, quæ in ijs eſt principium operum, unde tanquam ex cauſa procedunt effectus, quos DEUS in ſuis creaturis operatur. Myſterium præ cæteris meæ animæ manifeſtatum illud erat, quod ſublimi cognitione percepirim, qualiter DEUS ſe comprehendendo ſemet amet, ſeque ipſo fruatur, ſinè dependentia ab ulla creatura, eò quòd ſit ſupremus DEUS & Dominus univerſorum, à quo omnia creata in ſuo Eſſe dependent & in conſervatione: atque omnia ſumma & amabili providentiâ ſecundùm ipſius bonitatem ac miſericordiam, & uniuſcujuſque indigentiam juſtiſſimè ac perfectiſſimè gubernentur.

CAPUT V.

De Divinis Personis in particulari.

I.

PArte 1. l. 2. c. 21. §. 4. Feriâ quartâ ante Pentecosten, horâ tertiâ matutinâ 20 Maij An. 1617. vidi tres Divinas Personas quasi viderem aliquam imaginem coopertam delicato velo. Inter Angelos erant quatuor, qui tenebant vestem pretiosissimam, & quodammodo divinam, in qua vidi tria insignia seu notas Sanctissimæ Trininitatis, & erat Sol, Castellum, ac Palma. Castellum repræsentabat Patrem, Sol Filium, & Palma Spiritum Sanctum. Postea me est allocutus Dominus cum magna Majestate, dixitque mihi hæc verba: dic Anima, an te mihi ex toto tuo tradas corde, & cum firmo proposito me nunquam deserendi? Ego tremebam, & respondi animosissimè: itá Domine. Divina Majestas autem dixit: itaque te suscipio in perpetuum in meo nomine, & in nomine mei Filij ac Spiritûs Sancti. Deinde id ipsum Dominus dixit secundò, & ego similiter respondi. Atque tum tertiò dixit loquens nomine omnium trium Personarum: dic Filia mea & Sponsa, ac Amica mea tradisne te mihi ex toto tuo corde, & cum firmo decreto de me nunquam deserendo? cui ego: itá Domine: intellexiq; nomen filiæ referri ad Patrem, sponsæ ad Filium, amicæ ad Spiritum Sanctum. Tandem dixit Dominus: itaque te suscipio in perpetuum in meo nomine, & mei Filij, & Spiritûs Sancti: atque ad singula ea nomina mihi impertiebatur suam benedictionem. Et post hæc omnia venerunt quatuor Angeli, qui me induerunt illâ veste eleganti cum maxima solennitate ac musicâ: & intellexi eâ veste immortalitatem significari atque gloriam animæ. Imposuerunt etiam capiti meo coronam seu sertum, & plerisque digitis inseruerunt annulos pre-

pretiosissimos, videbanturque mihi calceamenta pedum splendere instar auri.

II. Parte 1. l. 3. c. 9. §. 3. In Januario Anni 1622. fui lata ab Angelis ad conspectum Domini DEI, nullâ velati imagine, ubi mihi sunt ostensa magnalia Bonitatis ac Essentiæ Divinæ Trinæ ac Unius. Tulerunt me deinde ad Personam Patris Æterni, & posuerunt me intra ipsius Esse Divinum, ubi cognovi illam Divinam Personam ut distinctam à reliquis, & in ea illius Divinum Esse. Deinde sum lata ad Personam Verbi æterni, constituerúntq; me intra DIVINUM ejus Esse. Et postea ad Personam Spiritûs Sancti, similiterque me introduxerunt intra ipsius Esse DIVINUM, ut cognoscerem, in quavis persona DIVINAM naturam & Esse DIVINUM, quantum conceditur capacitati creaturæ, & quidem tam clarè, ut mihi viderer non habere Fidem, quâ creditur hoc DIVINUM mysterium, tametsi illam haberem. Post hoc vidi sanctissimam Humanitatem Christi Domini, qui ascendit ad quoddam Castellum ex purissimo constructum auro resplendens undique, clausum & altum, quamvis non adeò latum, atque Angelis adjuvantibus ascendi post Dominum. Postquam venisset ad locum eminentem Castelli, dixit mihi ipsius Majestas: Anima aperi oculos, & aspice. Incepi aspicere, ac vidi immensam altitudinem: obstupui, fuique consternata ac attonita videndo magnalia, quæ mihi fuerunt ibi ostensa, cum singularissimo lumine, quod mihi Dominus contulit pro cognoscenda Divinitate, Magnitudine, Potentiâ, Pulchritudine, & Sapientiâ DEI Infiniti, Immensi, Omnipotentis. Multò mihi ampliùs hic fuit manifestatum, quàm priùs. Omnia erant DEUS & amplius DEUS; & hic fui ità absorpta, ut non essem mei compos satis diu. Dominus descendit per quosdam quasi gradus ex Castello, quod jam erat apertum, & Angeli me per eosdem deduxerunt: & Dominus se contulit ad priorem locum, me verò collocaverunt ad ipsius pedes, & coram Beatissi-

tissima Trinitate. Ibi mihi dixit Dominus: jam est tempus Anima, ut redeas ad tuum angulum, sed nolo te reverti vacuam. Pater æternus dignatus est mihi dare quoddam cimelium, imposuitque illud quasi intra cor meum, quod videbatur esse apertum. Fuit autem quædam Potentia ad resistendum tentationibus diaboli, & ad ferendam crucem, atque afflictiones, quas mihi Dominus esset oblaturus cum pace, gaudio, ac fructu meæ animæ. Et Verbum æternum etiam mihi dedit cimelium, quod inseruit pectori; & fuit donum Sapientiæ ad eundem effectum. Spiritus verò Sanctus mihi dedit donum Amoris ad accendendam magis meam animam amore DEI. Fui summo repleta solatio, plurimúmque confortata, ob hæc tam pretiosa cimelia.

III. Parte 1. l. 5. c. 8. §. 5. Die Sanctissimæ Trinitatis, in Majo An. 1617. fui rapta in Aulam cœlestem, ubi tantùm vidi meos quatuor Angelos, & beatos, quasi eminus considentes in suis thronis. Dixi meis Angelis: ubi est magnus Rex DEUS Majestatis, quòd ipsum non videam? responderunt mihi: est in Tribunali suorum DIVINORUM ac arcanorum Judiciorum. Et derepente vidi quasi reducto quopiam velo Sanctissimam Trinitatem more solito: atque JESUM Christum Dominum nostrum, intercedentem apud illam pro peccatoribus, allegantem ipsi omnia à se pro illis facta. Et Spiritus Sanctus gratam sibi esse ejus orationem ostendebat, sed Pater æternus dicebat, tribuendum esse locum DIVINÆ Justitiæ.

IV. Parte 2. l. 1. c. 16. pag. 68. An. 1625. 24. Julij, vidi derepente parari à meis Sanctis Angelis magnâ celeritate mensulam eandemque nitidissimè instructam repleri odoriferis floribus, & pariter variorum fructuum. Deinde vidi, quòd ad mensulæ caput gravissima cum Majestate assederit Sacratissima Persona Spiritûs Sancti, speciem gerens humanam, in qua tamen erat observare illam subtilitatem, de qua aliàs dixi ac diversitatem, quâ (& verò maximè) differt à corporibus, quæ

assu-

assumunt sancti Angeli & Animæ beatæ, ut conversentur cum hominibus. Siquidem umbratile corpus, in quo se DEUS exhibet videndum, est absq; comparatione subtilius & delicatius. In eadem figura mihi etiam comparuerunt aliæ duæ personæ, repræsentantes mihi quodam arcanissimo, sed aptissimo modo, dogma sanctæ Fidei de Unitate Essentiæ in Trinitate Personarum. In hoc tamen opere, quia DEUS illud specialiter attribui voluit Spiritui Sancto, magis se manifestabat hæc Divina Persona, quàm reliquæ duæ.

Caput VI.

De Spiritu Sancto.

I.

PArte 1. l. 2. c. 24. In Martio Anni 1623. audivi meos Dominos Angelos colloquentes ac dicentes: Magnus DEUS Majestatis venit ad suam Sponsam, disponamus nos. Aliquantò pòst audivi ingentem strepitum tympanorum, ac tubarum, & musicam cœlestem omnibus absolutam numeris, ac auditu jucundam, vidique aperiri cœlos, & omnem illam cœlestem Angelorum, ac Animarum Beatarum Aulam descendentium ad terram, versùs meum cubiculum, quasi se paulatim dimitterent cum gravitate & authoritate. Alij veniebant splendidissimè, & elegantissimè ornati, alij armati lucidissimis armis, habentes in manibus lanceas; alij ferentes evaginatos gladios: alij apparebant sapientissimi, alij clementissimi, alij ardentissimi amore DEI; uno verbo, omnes portabant quædam quasi insignia Divinorum Attributorum, quæ relucebant, & ego videbam in DEO. Omnes sequebatur Sacratissima Persona Spiritûs Sancti, cum maxima Majestate. Et semper, quando me visitat, venit cum magno tumultu, ac svavi strepitu. Antequam ad me veniret Divina Majestas, mei Domini me erexerunt

runt in pedes, & induerunt veste eleganti albâ, cujus manicæ erant cæruleæ, texerúntque pallio pretioso cæruleo. Advenit Dominus, & salutavit me quàm amantissimè, dicendo: bene tibi sit Sponsa, & Anima mea. Ego adeò stupebam, videndo tantam magnificentiam, ut illam tantùm fuerim contemplata, nihilque responderim. Divina quoque Majestas circumspectabat assistentes sibi duos Angelos cum duobus calathis, in quibus erant multa pretiosa cimelia. Accessit ad me Dominus, ac tum vidi comparentem quasi quandam manum, quâ ipse Dominus imposuit torquem meo collo, & pectori pretiosissimum cimelium, nec nõ septem annulos manibus, coronam capiti, & inaures auriculis. Omnia sunt facta spiritualiter, cum magna gravitate & authoritate; atque ad singula, quæ mihi imponebat, dicebat Divina Majestas verba Latina, quæ ego non intelligebam, sed tantùm audiebam. Stupebam spectando talia mysteria, & sancti Angeli recreabantur videntes id, quod in me DEUS operabatur, qui se mecum subitò arctè univit, & sic unitam me duxit secum ad cœlestem Jerosolymam, ascendente simul totâ illâ cœlesti Aula, eodem modo quo descenderat, & omnibus mirantibus ac stupentibus, dum viderent talia opera DEI. Postquam eò pervenissemus, ostendit mihi Dominus totam illam cœlestem Civitatem. Fruita sum pro meo captu Divinâ illâ Essentiâ, cum qua eram unita satis diu, & quia fueram sopita quodam somno spiritualissimo, quando fui expergefacta, seu redij ad me ex raptu, inveni me in meo angulo.

II. Parte 1. l. 2. c. 24. §. 2. Vidi patefieri cœlos, & omnem illam cœlestem Aulam descendentem ad terram, venientémque Dominum cum comitatu plurimorum Angelorum, qui erant nitidissimè ornati modis diversis, ab ijs, quibus ipsos exornatos fuisse dixi aliàs. Et Divina Majestas progrediebatur in specie lucidissimi Solis, qui habebat quasi duas facies, & emittebat divinos radios, alios quidem directos, alios autem latera-

tera-

terales, in medio verò veniebat spiritualissima imago Sacratissimæ Personæ Spiritûs Sancti. Radijs lateralibus feriebat adstantes Angelos, irradiando eorum pectora, & ibi illis imprimendo suam Divinam Essentiam, ac Divina Attributa, speciatim verò alijs insigne suæ misericordiæ, alijs clementiæ, benignitatis, bonitatis, amoris, potentiæ, pulchritudinis, sapientiæ, & justitiæ. Cùm hac pompa mihi appropinquabat Sol iste Divinus, constititque duabus vel tribus circiter ulnis à loco, in quo ego eram, & indè radijs directis, quos evibrabat, attigit meam animam, possedítque me fortiter & suaviter.

III. Parte 1. l. 3. c. 14. §. 4. In Vigilia Pentecostes, in Junio An. 1623. audivi in cœlo ingentem strepitum, sicut soleo, & vidi descendentes plurimos Angelos, totámque Beatissimam Trinitatem, peculiariter verò agnovi Sacratissimam Personam Spiritûs Sancti, qui ad me veniens univit me secum, duxítque ità unitam ad cœlestem Patriam. Postquam illuc pervenissem, fui constituta in quodam loco eminenti, & cæpta est magna quædam solennitas, quæ celebrabatur in cœlo in honorem totius Sanctissimæ Trinitatis, ac præsertim Spiritûs Sancti, eò quòd esset ipsi dicatus dies. Resonuit ingens strepitus campanarum, & multi Angeli dispergebant per pavimentum illius cœli igneas lingvas splendidissimas; alij parvas fulgidissimas cruces, alij jactabant stellas & soles ad eum modum, quo hic ejiciuntur ignes artefacti in solennitatibus Sanctorum. Post hoc instituta fuit musica suavissima & divinissima Angelorum, concinentium hymnos in laudem totius Sanctissimæ Trinitatis, & speciatim Spiritûs Sancti. Tota illa cœlestis Aula videbatur ardere igne ac divinis splendoribus charitatis & amoris. Omnia denique collucebant, & ex illo Divino Domino DEO, Trino & Uno, prodijt quidam Sol, qui erat figura Spiritûs Sancti, emittebátque ex se multos radios, quos ad me dirigebat, feriendo me ipsis, & per illos quasi intimè sum ingressa in illum Divinum

num Solem, ibíque fui veluti oppressa à Majestate DEI, & submersa in ea magnificentia, ut non sciverim de me, fruerer tamen illo summo Bono, pro meo captu. Hæc res satis diu duravit. Deinde dixit Dominus Angelis: accipite Angeli mei, istam creaturam, & reducite ipsam ad ipsius angulum. Verùm pars superior meæ animæ mansit ibi, & huc deducta fuit pars animæ necessaria ad vivendum & operandum, ac patiendum.

CAPUT VII.

De septem donis Spiritûs Sancti.

I.

PArte 1. l. 2. c. 22. §. 1. Feriâ secundâ ante Pentecosten, dum agerem cum DEO inter primam & secundam matutinam, me illuminavit ejusdem Majestas, ut agnoscerem misericordiam, mihi ab illa exhibendam; imprimenda videlicet intrà meum pectus septem signa, & parvula vulnera; pérque eam impressionem communicandam mihi virtutem septem donorum Spiritûs Sancti. Post tres quatuórve horas, vidi in cœlo, terram versùs, comparentes infinitos Angelos DEI, qui cum magno gaudio laudabant & benedicebant suum Creatorem. Inter cœlum & terram erat lux quædam clarissima, & gratissima nec non ventus suavis & quasi aureus, quamvìs aliquantùm perstrepens. Intra istam lucem, & suavem ventum, apparuit quidam DIVINUS, splendidus, & pulcherrimus Sol, qui ex se emittebat quasi coruscando radios igneos & aureos. Appropinquans mihi iste DIVINUS Sol (cujus speciem assumpserat Sanctissima Persona Spiritûs Sancti) penetravit meum pectus cuspide unius sui radij, afflictâ ac vulneratâ illâ parte, ità ut vehementer sentirem tam internum, quàm externum dolorem; deinde idem DIVINUS Sol mihi appropinquavit, quoadusque illaberetur in meam animam & cor, attemperando hac ratione

par-

partem molestiæ ac afflictionis, quâ fueram affecta ex ea impressione, unáque per arctam unionem meæ animæ cum suo DEO. Dum anima esset in hoc raptu, expergefecit illam sanctus ejus Angelus, fuitque per hanc divinam misericordiam repleta solatio ac illustrata; vehementer autem afflicta & confracta natura, præsertim ob dolorem pedum, ac manuum & cordis: quia ex illa parva plaga pectoris procedebant quidam radis doloris, & afflictionis, qui excruciabant illas partes.

II. Subsequente postea Feriâ tertiâ, horâ octavâ matutinâ, agens cum DEO, vidi in cœlo; terram versùs sicut priori vice, infinitos Angelos, laudantes cum magno gaudiò Dominum. Et Dominus Majestatis Trinus in Personis, ac Unus in Essentia, se subitò spectandum præbuit oculis meæ animæ, in in hac specie. Sanctissima Persona Patris in forma humana, Persona verò Filij qualis ordinariè comparet, DEUS & Homo verus. Ex pectore & corde utriusque personæ prodibat divina Columna ignea inaurata, vehemens ac resplendens, quæ erat symbolum & figura Spiritûs Sancti. Hæc divina Columna coruscabat ac emittebat ex se, cum forti ac suavi strepitu scintillas illius ignis comburentis. Videns id mea anima, valde timebat, cúmque ità timeret, in momento attigit meum pectus una earum divinarum scintillarum, quæ illud vulneravit cum ingenti dolore, relicto ibi secundo signo, & parvo vulnere, juxta prius; statimque per modum unionis cum Spiritu Sancto attemperavit illam molestiam ac dolorem, quam in meo pectore & corde senseram ex ea impressione.

III. Sequenti Feriâ quartâ manè, dum agerem cum DEO, postquam præcessissent in cœlo eadem admiranda indicia, quæ reliquis vicibus, Angelicæ nempe laudes DEI, & lux clara ac resplendens, strepitus vehemens, & ventus suavis; vidi in specie candidæ & splendidæ nubeculæ Sacratissimam Personam Spiritûs Sancti. Hæc divina nubes incepit instar pluviæ emittere

tere ex se infinitatem granorum, quasi margaritarum, & pretiosorum lapidum, qui diversorum erant colorum, & coruscare atque ejaculari parvos radios ignis, instar lingvarum, quorum alij cadebant ad terram, & alij remanebant in aëre. Cùm mea anima id valde admiraretur, & propterea esset vehementer afflicta, decidit unus ex illis mysticis radijs, & contingens me suâ extremitate in pectore, reliquit ibi tertium signum, seu parvum vulnus, juxta reliqua, ex quo ego tota percipiebam specialissimum dolorem, sed magis in manibus, ac pedibus & latere. Post hoc autem sensit mea anima blandum & suavem ventulum, qui refrigeravit, atque confortavit illas partes dolore affectas, & sic mansit abrepta in unione cum DEO, donec ad se rediret.

IV. Feriâ quintâ subsecutâ manè, agente me cum DEO, vidit mea anima sacratissimum mysterium Beatissimæ Trinitatis in ea specie, in qua aliàs, & quòd ex pectore atque corde Christi Domini, ùt est DEUS, prodiverint quidam veluti radij lucis, ac splendoris, qui erant symbolum & figura Spiritûs S. Unâ istorum divinorum radiorum cuspidulâ tetigit ille Dominus meum pectus, relinquendo ibi impressum signum quartum juxta cætera, ac efficiendo in me eadem, quæ aliàs, & fui suavi animæ cum DEO unione recreata, desiitque mysterium.

V. Immediatè sequenti Feriâ sextâ manè agens cum DEO, conspexi DIVINUM quendam Solem resplendentem, qui apparuit inter cœlum & terram cum omnibus & singulis mysterijs, quæ videram primâ vice: tantùm jam Sol in medio suæ maximæ lucis & claritatis habebat crucem flavam, & ex eadem mystica cruce prodibant scintillæ cujusdam divini ignis: atq; dum illum contemplarer cum summo stupore, insilijt in pectus una ex illis scintillis, in eóque impressit quintum signum juxta reliqua: unde mea anima & corpus notabiliter fuit debilitatum. Lenita est tamen ipsius molestia ac dolor, per specialem unionem Divini illius Spiritûs, & meæ animæ.

VI. Po-

VI. Postero die Sabbati manè, dum agerem cum DEO, sicut aliàs, essetque afflictum pectus ob illa stigmata, seu vulnuscula, quæ in eo DEUS impresserat, audivi tumultum, ùt mihi videbatur, grandem, cujus sonus erat tanquam militum venientium cum tympanis: quod admirans, vidi advenientes, bipertito ordine, homines admodum graves, fortes, ac potentes, omnes armatos, & gestantes in suis humeris hastas: appropinquabant mihi magis, vidique inter ipsos, & quasi in fine venientem, cum maxima & extraordinaria Majestate totam DEI Potentiam, omnem ipsius Magnitudinem, omnem Majestatem, omnemque Sapientiam, Bonitatem, Misericordiam, ac Justitiam, ac totam ejusdem Infinitam Divinam Essentiam. Quando mea Anima vidit rem tam stupendam & immensam, fuit quasi perterrefacta, & magno perculsa timore. Interea verò vidi accedentem ad me totam eam pompam, ac Divinam Majestatem, donec denique quàm svavissimè venerit totus ille Dominus ad meam Animam, illamque intimè pervaderet, ac totam occuparet, abriperet, & secum uniret tam forti amplexu, ùt se ipsam non agnosceret. Dum mea Anima esset in hoc Paradiso sui DEI, vidit intrà se, & in illo Domino, cum quo erat unita, quandam manum aliquantùm tectam, quæ per speciem parvi digiti accessit ad meum pectus, illúdque tetigit in medio quinque stigmatum ex dextera parte, ubi reliquit sextum signum, seu vulnusculum, cum ingenti afflictione meæ Animæ, & confractione naturæ; paulò verò pòst svaviter mitigavit dolorem. Sed obstupescebam, & cogitabam intrà me, quid mysterij esset in illo strepitu, & militibus, qui comitabantur Divinum Spiritum, ac DEUM omnipotentem, & quare id fieret. Dum hoc versarem animo, dixit mihi Sanctus Angelus: Anima, si Rex quispiam suæ alicui parvæ filiæ traderet maximos thesauros & opes, ut illas possideret, eisque frueretur, & illas conservaret, attribueret illi simul custodes ad eam defendendam,

dam, & protegendam, ut nè ullus ipsam auderet molestare, vel ei auferre thesaurum, quem Rex ipsius Pater illi dedisset, ac tradidisset: similiter tibi magnus DEUS noster voluit præstare gratiam, & postquam tibi communicavit tantos thesauros, ac opes suorum donorum per decursum vitæ tuæ, voluit attribuere modò novos Custodes, nè ullus tibi audeat auferre thesauros, quos ab eo accepisti. Magnum cæpit solatium mea Anima ex eo dicto Sancti Angeli.

VII. Postea describit Venerabilis Marina quanto apparatu ad eam venerit ipso Sancto die Dominico Pentecostes CHRISTUS stipatus Sanctis quatuor Patriarchis Bernardo, Dominico, Francisco, & Ignatio, & eam spirituali sacra Communione refecerit. Fuerunt extraordinarij affectus, & motus, quos in mea Anima excitavit hæc Divina misericordia: quia dum ista agerentur, vidi intrà me ipsam totum mysterium Beatissimæ TRINITATIS cum magno meo stupore, non enim recordor me vidisse simile mysterium intrà me. Hic Divinus Dominus Trinus in Personis, Unus in Essentia, ibi mihi ostendit mysticam quandam manum, quasi non nihil coopertam, quæ erat figura & Symbolum Sacratissimæ Personæ Spiritûs Sancti: qui Dominus extremitate digiti illius Sacræ manûs tetigit meum pectus in altera parte sinistra, relicto ibidem septimo signo, & vulnusculo, fuitque efformata Crux ex illis septem stigmatibus, quorum quinque erant sita secundùm longitudinem, & duo transversim. Miserabile verò corpus remansit valde afflictum, & confractum per multos dies.

VIII. Post hoc Majestas CHRISTI JESU Domini nostri abivit, datâ mihi priùs suâ benedictione, & illi Sancti Patriarchæ me sunt amanter alloquuti, valedicentes mihi, ac dicentes, ut eorum nomine precarer felicia festa ipsorum filijs, quos essem conspecctura. Postridie mihi dixit Sanctus meus Angelus, opus illud misericordiæ à Domino in me per impressionem

co-

eorum septem stigmatum ideo peractum fuisse, ut in me confirmaretur virtus septem donorum Spiritûs Sancti, quæ jam mihi communicaverat, ac pro novo augmento, Lumine, & cognitione Divinarum ipsius & excelsarum virtutum, addiditque fore, ut in me experirer veritatem ipsius verborum; & intuens cum gaudio pectus, mihi dixit: Anima mea, inter omnes misericordias & gratias, quas tibi DEUS præstitit, per decursum vitæ tuæ, hæc est admirabilissima meis oculis, de quo summè lætor. Benedictus sit DEUS!

CAPUT VIII.

De Pentecoste.

I.

PArte 1. l. 2. c. 21. §. 1. Hac die intellexi, etiam in cælesti Jerosolyma agi maximum festum singulari lætitiâ, propterea quòd Spiritus Sanctus se communicaverit tanta cum gratiæ abundantia Apostolis, & exinde omnibus fidelibus, qui se disponunt ad suscipienda ipsius munera, dum se illis donat cum adeò immensa charitate, & ardenti amore. Vidi ab hac Divina Persona, & ab ipsius infinita virtute, prodeuntes ac descendentes quosdam Divinos radios, qui accendebant, inflammabant, & clarificabant animas, iisque conferebant vitam gratiæ. Quod advertens dicebam ad DEUM: Mi Domine & dilecte Animæ meæ, ego vellem, essetque summum meum solatium, ut multa essent festa hujus tui Sanctissimi Spiritûs. Divina verò Majestas mihi respondit: sunt utique multa, quia semper descendit, & existit iste Sanctus meus Spiritus in Animabus, in quibus habitat per gratiam, ac proinde pro illis semper est Festum Sancti Spiritûs.

II. Anno 1614. quadam die festorum Pentecostalium vidi quomodo aperti fuerint cæli, descenderintque milleni An-

geli, ac Majeſtas DEI Domini noſtri in pulcherrimo throno, qui appropinquando terræ, quaſi concutiens ſuas alas, emittebat ex ſe, inſtar grandinis, innumerabilem copiam & varietatem pretioſorum lapidum, ſignificantium gratias ac dona, quæ communicat juſtis. Apprehenderunt me Angeli, & collocaverunt ibi ſubtus, ut colligerem aliqua ex illis pretioſis cimelijs, & quia tunc recordabar meorum Benefactorum, ac aliorum in gravibus conſtitutorum neceſſitatibus, qui ſe mihi commendaverunt, dicebam cum magno fervore ad DEUM: Ibi, Domine; ibi; deſignatis locis, in quibus intelligebam morali tales perſonas, & ſpeciatim unam, quæ ſe exhibebat valde rebellem Divinæ inſpirationi. Dicebam autem tam inſtanter: Ibi, ibi; ùt Angelus meus Cuſtos dixerit: Paulatim, Soror, attende, quid dicas. Sed Dominus illi dixit: Relinque ipſam, hoc enim proderit. Non intellexi bene, profuturúmne id eſſet mihi, an alteri perſonæ, pro qua orabam, an verò mihi ſimul & illi; adverti tamen copioſam alibi cadere cæleſtem grandinem, alibi verò non ità; quod factum fuerit juxta diſpoſitionem eorum, qui ipſam ſuſcipiebant, & ſecundùm miſericordiam, quam illis Dominus volebat exhibere. Aliàs vidi Perſonam Spiritûs Sancti in ſpecie inaurati radij lucis, pleni lingvis, cum tanta magnificentia, potentia & bonitate, ut nullus intellectus vel lingva id poſſit intelligere, ac declarare. Significabat hac ratione radios lucis, ignis & amoris, quem Spiritus Sanctus infundit cordibus juſtorum, ut loquantur quaſi lingvis igneis ipſius magnalia.

III. Ibidem §. 2. Alio Anno, die octavâ Junij 1615. quæ erat ejuſdem ſolennitatis, agens cum Domino, vidi ac adverti ſub quodam pretioſo velo, ſimili ijs, quæ ponuntur ſuper Calicem, Divinam quandam Columbam, candidiorem nive, totam refertam ac plenam pretioſis, valdéque inſtar ſolarium radiorum, reſplendentibus lapidibus. Intellexi eſſe Perſonam Spi-

Spiritûs Sancti, qui me in illa ſpecie Columbæ dignabatur viſitare... Incepit ſubitò ſvaviſſimè, blandiſſiméque concutere ſuas pretioſas alas, & ejicere ac ſpargere quàm copioſiſſimè illos Divinos theſauros ac gemmas ſupra meam Animam, unde me ſenſi plurimùm ditatam, ac adornatam, & vehementer unitam Divinæ Majeſtati, atque accenſam, ac inflammatam Divino ipſius amore. Poſt duas circiter horas fui ducta à meis Dominis Angelis ad quendam veluti hortum jucundiſſimum & floridiſſimum, qui propter ſuam pulchritudinem & abundantiam ſvaveolentium florum, & fontium, videbatur eſſe Paradiſus. In medio hujus Paradiſi erat menſa, & ad ejus caput thronus Regius, ubi ſedebat Majeſtas noſtri DEI ac Domini Trini & Unius. Fui collocata ad inferiorem illius menſæ partem, è regione Domini, ubi mea Anima eſt ditata & repleta mille bonis cæleſtibus; datum etiam mihi fuit ſpeciale lumen & cognitio myſterij Sanctiſſimæ TRINITATIS, vidíque clariſſimè, quomodo, cùm DEUS noſter ſit unus DEUS, ac Dominus, una Eſſentia, ac Divinitas, ſit nihilominus trinus in Perſonis. Præſtitit mihi quoq; aliam extraordinariā gratiam, præbendo mihi deguſtandum illum Divinum cibum, quo paſcit animas, & de quo loquitur DEUS dicens, ſe cænaturum cum anima, & ipſam cænaturam cum illo. Qualis fuerit hæc eſca, & iſta Divina refectio, ſolus poteſt exponere Dominus, qui illum præbet, ac præparat conformiter ſuæ infinitæ magnificentiæ, & amori, Divinæque Sapientiæ. Erat quaſi Divinum manna, habens in ſe omnem ſvavitatem, gloriam, ſolatium, divitias, ac theſaurum abſconditum & reliqua bona, quæ obtinentur in Cruce, atque dum pro DEO tolerantur afflictiones, ut proinde contineret omnem ſaporem, longè meliùs, quàm illud manna filiorum Iſraël. Similiter alio Divino modo communicavit DEUS meæ Animæ, mihique dedit delibandas illas Divinas delicias, quas ſe dicit habere cum filijs hominum, conditas

afflictione crucis, quæ etsi videatur esse sal insipidus, & mordax, tamen reposita in manu DEI, reddit jucundiorem, & sapidiorem cibum, ac delicias, quas Divina Majestas sibi agit esse cum ipsis.

IV. Alijs Festis Pentecostalibus conspexi eundem Divinum Spiritum in specie Columbæ, ùt soleo, atque dum concuteret suas alas, decidentia ex ipso in primis multa quasi grana margaritarum, ac deinde alia majora, instar pretiosorum lapidum. Cucurri quàm velocissimè, ut me ponerem sub Columba útque me contingerent illi pretiosissimi lapides, quorum multi ceciderunt supra meum caput, & complures alij ad terram. Desiderabam ipsos colligere, nè res adeò pretiosa perderetur, cúmque me ad id accingerem, dixerunt mihi Angeli: Relinque illos, non enim sunt pro te, sed pro alijs.

V. §. 3. Alio die Pentecostes in Junio Anni 1620. postquam mihi Dominus promisisset in festo suæ Ascensionis, quòd esset missurus Spiritum Sanctum, qui me consolaretur, ac ditaret, dum agerem cum Divina Majestate horâ sextâ matutinâ, vidi mystycè nonnullos Sanctos Angelos, quasi impedimentis amotis adaptantes quoddam palatium, amplitudine par civitati, idémque postea adornantes multis & magnis thesauris, quo quidem modo rem peragebant usque adeò mirandam, ut illud Palatium videretur esse terrestris Paradisus. Deinde in ejus medio vidi comparentem Divinum quendam Solem splendidissimum, cujus radij coruscabant instar purissimi auri, & vehementis ignis. Intrà circulum hujus Solis comparebat quædam species candidissimæ & purissimæ Columbæ, quam cooperiebat tenuis nebula, quæ tametsi esset lucidissima, mihi propè Columbæ illius eripiebat aspectum. Discernebam verò clarissimè, atque cognoscebam in eo Divino Sole, & in illa specie Columbæ, quandam infinitam Majestatem, & immensam magnitudinem, ac DEUM, & Divinam Personam

Spi-

Spiritû sancti, adeò, ut exigua capacitas Animæ non posset complecti seu comprehendere tantam magnitudinem, & majestatem. Assistebant eidem magno Domino, & serviebant in illo Paradiso plurimi sancti Angeli.

VI. Dum mea Anima spectaret tantum mysterium, incepit quasi turbari & metuere, & se ab eo spectaculo avertere, ideóque confugit ad DEUM, more solito, petendo ab eo Divinum ipsius lumen, ad cognoscendas & intelligendas illius veritates, útque id faceret ardentiùs, abstrahendo se à mysterio, cæpit recitare suo DEO quàm attentissimè totam Dominicam orationem: sed quidquid ageret, non poterat oculos penitus cohibere à videndo illo Sole, siquidem ipsam DEUS ad eam visionem diu impellebat, ac tandem idem magnus Dominus illam disposuit, adeóque ursit, ùt jam non potuerit non videre & agnoscere dictum Solem, ac intelligere illam immensitatem magnitudinis & majestatis, fueritque interim absorpta & abrepta ab ea Divina visione. Subitò incepit ille magnus Dominus in ea specie Solis extendere suos Divinos radios, qui videbantur incendere universum mundum, quasdum tamen provincias, regiones, & personas ijs non contingebat, à quibus illos videbatur retrahere; alias verò provincias, regiones & personas irradiabat, & inprimebat ipsis suam virtutem. Deinde se Divina Majestas cæpit movere quasi ex uno loco ad alium cum summa gravitate & videbatur paulatim mihi appropinquare; unde ego incipiebam turbari, & vehementer timere, ideóque circumspiciebam, petendo à meis sanctis Angelis gratiam, opem, & subsidium in ea occasione, quia Dominus jam quàm proximè ad me accedebat. Sancti Angeli cum magna charitate videntes meum timorem, & imbecillitatem ad me venerunt; sed Dominus quadam potenti vi rapuit meam Animam, intiméque secum univit, ità ùt tam illa, quàm miserabile ipsius corpus, cum magno sensu ac dolore, orto ex ea vehementtia, eruperit in notabi-

tabiles gemitus, inveneritque se correptam ab illo Diuino igne, instar ferri, quod prodit ex ustrina totum ignitum, participato calore ac virtute ignis.

VII. Dum ità esset suo DEO unita mea Anima, Divinus ille Dominus se elevavit, ducénsque me secum eo modo, quo dixi, ascendit cum maxima majestate, & cum toto illo comitatu Angelorum ad cælos, & ibi, quostquam nostro modo loquendi convenit duas Divinas Personas Patris & Filij, præsentavit illis meam Animam, quam in se ipso adferebat. Erat verò in ea unione res notabilis, videre admirandum modum, quo ille Divinus Dominus, Trinus in Personis, & unus in Essentia suscepit Animam. Duæ Divinæ Personæ Patris & Filij illam exceperunt suis Divinis manibus, singulæ seorsim, deinde magno affectu, defixis in ipsa amanter oculis, dixerunt omnes tres Personæ, loquentes tanquam unus DEUS: Anima mea, in me manes, atque ego maneo in te; & jam non vives tibi, sed in me, semperque poteris dicere cum Paulo: Vivo autem jam non ego, vivit verò in me CHRISTUS. Et replens meam Animam summis bonis, quæ ipsa sensit, ter mihi suam sanctam dedit benedictionem. Fui admirabiliter reposita in manibus sex Angelorum, qui me susceperunt cum magna lætitia, & gratiarum actione, atque Dominus illis mandavit, ut specialem mei gererent curam, meq; adjuvarent & protegerent, ac reponerent in meo loco ità, ut avulsa ab illa tam magna & admiranda unione non sentiorem debilitatem, molestiam, vel desolationem, sed recreata illius visione ac societate, fruerer quiete & pace, ac solatio: quod sunt exequuti.

VIII. Parte 1. l. 2. c. 21. §. 5. In festo Pentecostes venerunt mei quatuor Domini Angeli, dicentes mihi: Veni nobiscum Soror, & videbis locum ac modum, quo fuit peractum hoc mysterium. Derepente me adverti esse in quodam campo, juxta quandam domum, in qua & extra quam erant aliqui homi-

mi-

mines, & elevans oculos vidi cælum apertum, ac milliones Angelorum valde lætantium. Erátque etiam ibi pulcherima Crux, quam omnes adorabant. Vidi prætereà subitò Majestatem Spiritûs Sancti, qui totum illud spatium summè replebat. Non vidi ipsum in specie Columbæ, sed alio modo inexplicabili; & statim incepi advertere, quòd Divinus iste Spiritus se quasi moveret, quódque immineret magna aliqua tempestas. Cœpi angi, & quasi vehementer sudare. Accessit ad me Angelus meus Custos, ut me confortaret, & abstersit celeriter linteo sudorem, quo madebat facies. Vidi me indutam pretiosâ illâ veste, de qua jam dixi, & Spiritum Sanctum concutientem quasi alas, spargentémque plurimos pretiosissimos lapides, qui cadebant supra domum, & erant velut igniti. Appropinquavi magis ac vidi illos pretiosos lapides cadentes supra me, fuitque illis repleta vestis. Allâ vice in eodem mysterio videram depluentes lingvas igneas super illam domum, quarum una supra me ceciderat.

PARS TERTIA.

De Creatione mundi & Angelis.

Quia Divus Thomas in prima parte suæ Summæ post Quæstiones de DEO Uno & Trino statim subjungit Quæstiones de Creatione & Angelis, ideo & hic aptè subjungentur.

CAPUT I.

De Creatione Mundi.

I.

PArte 1. l. 3. c. 13. §. 2. Narrat VEN. MARINA id, quod nos Sancta Fides edocet, nempe creata esse omnia hominis causa. Sic ait: Exaltavit me Dominus ad montem, qui apparebat im̄ensus, & ibi mihi exhibuit, ac ostendit omnes Cælos & Terram ac totum Mundum, dixitque: Aspice, Anima, omnia hæc, quæ propter te creavi: vide ista, & fruere illis. Contemplata sum istam creaturarum infinitatem miræ pulchritudinis.

II. Ostendit etiam Divina Majestas VEN. VIRGINI MARINÆ Mundi hujus materialis constitutionem, & numerum sphærarum cælestium pro aliquali etiam lumine Philosophorum, & confirmatione Doctrinæ Astronomicæ. Parte 1. l. 4. c. 16. §. 1. Quodam die Sabbati in Majo Anno 1623. summo manè me præmonuerunt mei Domini Angeli dicendo: Anima, Dominus vult tibi præstare gratiam ostendendo tibi Cælos materiales sicut illos visura es, quando te DEUS hinc auferet. Atende & noli turbari: Postea mei Domini Angeli me duxerunt ad cælos, ostenditque mihi Dominus omnes illas cælestes sphæras, quæ fuerunt novem vel decem. Fuit aspectus mirabilis illorum cælestium Corporum atque tanta distantia unius ab altero, ut appareret infinita; & nisi me confortavissent & animavissent, impossibile fuisset ibi progredi. Magnitudo autem cujuslibet Cæli videbatur esse quædam Immensitas, omnia mihi Dominus valde diu explicuit, & postea me deduxerunt ad meum angulum mei Domini. DEUS sit benedictus.

CAPUT

CAPUT II.

De Angelis.

I.

CUm tota mirabilis vita VEN. MARINÆ sit plena conversatione cum Angelis, ut videatur posterioribus 40. Annis plùs conversata cum Angelis, quàm cum hominibus, non videtur ad modum necessarium multa hìc de sanctis Angelis adducere, præsertim cum etiam Tractatu tertio Parte 1. c. 2. aliqua sint dicta. Nihilominus ut appareat clarè, quàm præclarè omnia hujus felicissimæ Virginis visa & gesta Sanctæ Fidei Catholicæ consentiant, & quantum etiam mysteria de sanctis Angelis Ecclesiæ proposita lumen accipiant, aliqua paucula hìc seligentur, ex quibus etiam natura Angelorum, eorúmque erga nos benevolentia, aut ex adverso dæmonum malitia nobis magìs innotescat. Parte 1. l. 4. c. 1. §. 2. In quadam gravi molestia, & afflictione, in quam me redegerant dæmones, dum me putarem esse solam, ideóque affligerer, dixit mihi Dominus: Noli affligi, quia non es sola: hìc sunt, qui te juvabunt, tibíque subministrabunt omnia necessaria. Subitò elevavi oculos Animæ, & vidi illic adesse quatuor vel quinque Angelos, fixè intuentes meum vultum, ut viderent, quid vellem, & quanam re indigerem, recreârúntq; me in ea afflictione: ideò apprehenso lecti tegumento, elevaverunt illud aliquantùm, ut me refocillarent; atque ità cessavit meus vehemens sudor. Attonita, quòd viderem curam, quam habebant Sancti Angeli, qualem habere posset famulus fidelis, ac solicitus de præstando obsequio, Domino suo in simili molestia, dixi illis: Sancti Angeli, attendite ac advertite, me, cui exhibetis istum favorem, esse vilissimam & miserabilissimam creaturam omnium, quas habet DEUS, atque vos esse Aulicos Cæli & Spiritus

Beatos. Illi responderunt: Noli consternari, neque mirari, id quod vides: nos enim sumus servi communis omnium Domini, qui est tuus Pater, ideóque non est mirum, quod servi Domini, in rebus necessarijs, serviant ijs, qui sunt filij ejusdem Domini, cui famulantur. Aliâ vice cùm in lecto decumberem, solito afflictior, licèt mei quatuor Angeli consveverint me in surgendo juvare, vidi venientem quendam Seraphinum in curru igneo, qui totus ardens, ubi descendisset ex curru, apprehensis meis humeris, nullo negotio me erexit.

II. Lib. 4. cap. 1. §. 4. Vidi quodam die Anno 1615. quinque vel sex Angelos DEI, qui admirabiliter ferebant quoddam elegans & pretiosum scrinium, mediocris magnitudinis, perlucidum ità, ùt forinsecus conspiceretur thesaurus, qui intus ferebatur. Erat ex nitidissima crystallo, & ornatum auro obryzo. Mei Sancti Angeli exceperunt cum magno gaudio eos, qui advenerant cum isto scrinio, & statim illud collocaverunt, ac aperuerunt mysticè, cæperúntque exponere gemas & thesauros, qui in illo adferebantur, ponentes singula illa pretiosa cimelia, in manibus singulorum illorum sanctorum Angelorum, qui obtulerant mysterium, coram reliquis adstantibus, & sancto meo Angelo Custode. Tunc illi sancti Angeli, servi magni Regis Majestatis, & sanctus meus Angelus Custos, mihi dixerunt: soror nostra, attende & cognosce misericordias, quas tibi DEUS præstat, ac dona, quæ suâ divite ac pretiosissimâ manu tibi elargitur. Aspice illa, & suscipe, cum gratiarum actione. Tunc mea Anima defixit oculos meos in mysterio illo intentissimè, quia jam non poterat aliter fieri, & vidit in manibus illorum singulorum SS. Angelorum, singula cimelia pretiosa ac admiranda, ex purissimo ac splendidissimo auro, nec non gemis elegantissimis, quasi cælestibus; sed unumquodque diversimodè efformatum. Unus habebat in suis manibus annulos, qui mihi videbantur esse septem, repræsen-

ſentantes & ſignificantes ſeptem dona Spiritûs Sancti; alius habebat inaures, quæ ſignificabant auditum purum, & attentum animæ obedientis DEO ſuo; alius habebat velum pretioſiſſimum, diſtinctum varijs coloribus, & umbris, quòd ſignificabat virtutem ſilentij ac prudentiæ, pro occultandis & abſcondendis donis, quæ anima accipit à ſuo DEO, uſque ad tempus & occaſiones, dum DEUS manifeſtaverit ſe aliud velle; alius habebat armillas, & brachia ſignificantia oblivionem, & contemptum omnium rerum temporalium, & creatarum, præter DEUM; alius cingulum ſignificans puritatem, & caſtitatem; alius torquem, & alius denique coronam; repræſentantes finem & præmium, quod DEUS ex ſua bonitate & miſericordia dabit Animæ, quæ bene fuerit uſa donis acceptis ab ipſius miſericordia, & ex Divina ejuſdem manu.

III. Viſis his omnibus theſauris, mea Anima obſtupuit & vehementiſſimè fuit confuſa. Interea meus Sanctus Angelus Cuſtos, accedentibus ad me iſtis ſanctis Angelis, mihi imponebat ſingula illa cimelia, ſuo loco, quod ego vix videbam, vel intelligebam, ſi quidem mea anima erat notabiliter afflicta, timens, ne in aliquo erraret. Manſi in eo ſtatu aliquandiu, & idem meus ſanctus Angelus Cuſtos mihi ſubitò omnia rurſum abſtulit ſuo ordine, poſuítque illa dona in manibus ſanctorum Angelorum, à quibus ipſa acceperat, & illi ea receperunt, ac repoſuerunt in ſuo ſcrinio, quod cum magno gaudio omnium ibi præſentium dederunt, ac tradiderunt Sancto Angelo meo Cuſtodi, qui acceptum ſervavit in ſe ipſo, cum demonſtratione ſingularis gaudij ac lætitiæ in Domino; cui cùm ipſe magnas ageret gratias pro tot miſericordijs & auxilijs, quæ conferebat animæ ſibi commiſſæ, ut illam cuſtodiret, regeret, atque gubernaret ipſius nomine, ego ſtupebam, mirabar, atque confundebar ſicut antea, ideóque non dicebam ullum verbum ampliùs, quaſi nihil horum accidiſſet. Et cùm viderem ſanctos

Angelos, qui attulerunt illum thesaurum non abeuntes, acsi aliquid expectarent, quod mihi non incidebat; tandem meus Sanctus Angelus Custos, & quatuor mei Domini, videntes me ità abstractam, mihi dixerunt, quasi me vellent expergefacere: Soror, quid agis? qualem te exhibuisti erga Dominum, & non meministi, neque tibi in mentem venit, ut illi significares, quòd agas ipsi gratias, & illum benedicas pro tantis misericordijs, quantas tibi præstitit per hos Dominos Principes, quorum manibus tibi misit sua dona. Nónne vides esse inurbanitatem, quod illos permittas expectare & hìc detineas? Hoc audito videbar mihi veluti expergisci ex somno, & conjectis seriò ac fixè oculis in eos sanctos Angelos, qui advenerant cum thesauris dixi illis: Principes Legati Cælestes per Dominum quem adorant & cui serviunt, ignoscant mihi meam tepiditatem, & dicant Domino DEO nostro Majestatis, quod indigna ipsius serva illi significet, se ei agere infinitas gratias, illúmque laudare pro eo, quod est in se ipso, & pro infinita ejusdem omnipotentia, Majestate, ac magnificentia, próque eo, quod est ac fuit erga nos suas pauperes creaturas exhibendo omnibus suam misericordiam, præbendóque singulis speciatim auxilia & subsidia necessaria ad suam salutem ac majorem profectum, & præsertim huic suæ ancillæ indignæ, ac miserabili, quæ non utendo illis, quemadmodum tenetur, ea dissipat, tanquam vas argilaceum malè excoctum. Et cùm Divina Majestas sit tantus Rex ac Dominus, & Monarcha Cæli ac terræ, sitque tam infinitè bonus, per istam tantam gratiam & misericordiam, quam nunc denuò mihi præstitit, peto ab ipso aliam, quæ est Divina ejusdem gratia & favor, ut utar secundùm ejus acceptabilissimam voluntatem, omnibus ejus misericordijs ac donis, nè perdam meâ culpâ, & negligentiâ thesauros ac divitias, quas ex ipsius Divina manu suscepi. Hoc ab ijs peto, & rogo, ut dicant, meo nomine Domino Majestatis.

IV.

IV. Illi Sancti Angeli audiverunt attentè meum nuncium, & responderunt mihi, se ità facturos: quod mihi vehementer placuit, quia videbar mihi pro mea paupertate, & exiguitate retribuisse, quantùm poteram, nostro magno DEO ac Domino, à quo acceperam illa dona. Sed iidem sancti Angeli dixerunt subitò: Soror nostra, & præter hoc, quod significas Domino Majestatis, quale donum illi offers, ut gratam te exhibeas pro magnis, quæ ipse tibi modò per nos misit? & hoc dicto unus ex illis Dominis, qui primariò aperuerat scrinium, ut indè exponeretur thesaurus, ac postea illum in eo reposuerat & clauserat, protulit quandam elegantissimam & pretiosissimam pelvim, dixitque: Soror nostra, da nobis huc aliquid, & pone hìc quodpiam donum tuâ manu, ut illud feramus, ac præsentemus magno Regi, nomine tuo: æquum enim est, ut qui aliquid accipit, respondeat pro suis viribus illi, cui est obligatus: Noli nos dimittere ità vacuos, cum solo nuncio. Quando mea paupercula Anima audivit hoc dici, propter apprehensam suam tam exaggeratam miseriam, ac paupertatem & vilitatem, incredibiliter indoluit & fuit afflicta, dixitque: Mei Domini, sciant, me esse pauperrimam & miserabilissimam creaturam omnium, quas habet Dominus DEUS noster Majestatis, ac proinde nihil habere offerendum meo Domino, quod non acceperim ex ipsius manu, & hoc ipsum, quantum in me est, dilapidavi & impendi perperam: ideóque nescio, quid illi offeram, quod ipsi placeat, sítque gratum, & quod ei etiam non obtulerim. Hæc omnia audiebat attentè S. Angelus meus Custos, qui erat mihi valde vicinus, & secretò alloquens arcano quodam modo meam animam, dixit illi: Soror, offer nunc denuò tuo magno Regi ac Domino tuum cor, & tuam animam. Tunc ego ex illa admonitione mei sancti Angeli, cepi solatium in Domino, quia mihi admirabiliter placebat, quod dicebat, erátque maximè conveniens voluntati meæ ac indigentiæ,

tiæ, unde illis dixi: Legati cæleſtes, mei Domini, neſcio quid poſſim offerre Domino Majeſtatis, quod ipſi jam non obtuliſſem, ſicut dixi: ſed nunc denuò offero Divinæ Majeſtati meam Animam & cor; ut Divina Majeſtas per ſuam bonitatem ac miſericordiam illud deſtruat ac innovet, creétque in viſceribus meis ſpiritum novum & humilem. Vehementer nobis placet, Soror, tuum munus (dixerunt illi Sancti Angeli) nos illud acceptamus DEI nomine.

V. Aſpexit me tunc meus Sanctus Angelus Cuſtos, unde cognovi, quod vellet auferre meum cor pro munere, ſicut fuerat promiſſum; & propter illam meam apprehenſionem, naturaliter incipiebam deficere meis viribus naturalibus. Videns id Sanctus meus Angelus Cuſtos, acceſſit ad me, dixitq; mihi: Eja; Soror, noli animo concidere, quia munus, quod das Domino, non eſt cor carneum, ſed ſpirituale, & cor cordis, quod ſunt affectus vehementes ac ardentes erga DEUM, quos iſte Dominus infudit Animæ, per ſuam infinitam bonitatem. Atq; iſtud eſt cor, quod nunc offer DEO; nè igitur exanimeris. Et cùm hoc ultimum diceret, poſuit manum ad meum latus ſiniſtrum, abſque meo dolore; imò potiùs cum maximo levamine; & quando illam amovit, vidi quod in ipſa haberet quandam figuram cordis, inſtar carbonis igniti, & habentis colorem rubini pretioſiſſimi, ac ſplendidiſſimi tribus auri puriſſimi zonis circumdati, videbatúrque ſummi eſſe pretij, & valoris. Meus Sanctus Angelus illud cum maximi gaudij & ſtuporis indicijs dedit ac obtulit ijs ſanctis Angelis; quod ipſi pariter ſervaverunt, cum majoribus demonſtrationibus admirationis ac lætitiæ, poſuerúntque in pelvi, quam in hunc finem habebant; & poſtquam mihi valedixiſſent quàm amantiſſimè; atque egiſſent admirandis verbis gratias (qua ratione consolati ſunt meam animam) abiverunt, valedicentes etiam meo Sancto Angelo, & quatuor meis Dominis.

VI.

VI. Lib. 4. c. 4, §. 6. Anno 1620. Jussu DEI discesserunt ab ea quatuor illius Angeli, remanente apud illam solo Angelo Custode cum Angelo Paranympho in Paschate. Deinde sequentis septimanæ feriâ quartâ manè dixit ei Divina Majestas: Brevi redibunt, ut apud te maneant; & quia obtinuerunt victoriam adferunt spolia tanquam boni milites, quæ tecum partirentur, sicut æquum est, cùm sint tui fideles amici & auxiliatores. Postea feriâ quintâ manè venerunt & accedentes ad me interrogaverunt peramanter, vultu hilari, quomodo valerem: quámque ex voto mihi res cesserint ipsis absentibus. Tunc dederunt mihi auream catenam, armillas & annulum, dicentes: adferimus spolia virtutis gratiæque Divinæ, ut tibi possimus applicare virtutem ac donum, puritatis amorem perfectum ac Divinum, atque svavitatem & pacem cordis. Cæpit me autem desiderium sciendi, quare Dominus fuerit dignatus ablegare istos Dominos Angelos potiùs, quàm alios, cùm habeat tot, ad eam expeditionem, id quod ex illis quæsivi; qui mihi amanter respondentes dixerunt: Soror, fuimus missi à Domino ad hoc opus gloriæ ipsius & obsequij, quia nos concernit ex officio propter nomina, quæ gerimus, & virtutem, quam nobis contulit pro ejusmodi operibus. Illuminata à Domino intellexi istos Sanctos Angelos profectos fuisse ad terram & locum sanctum, ubi est Sacrum Sepulchrum. Fuerat nimirùm à diabolis suscitatus, DEO permittente, ingens tumultus inter illos infideles, contrà DEI servos Religiosos Ordinis Sancti Francisci, quos vehementer cruciabant & affligebant. Sed isti sancti Angeli virtute & fortitudine Divinâ debellaverunt diabolos, mitigaverunt illos rigores, atque omnia pacaverunt.

VII. Parte. 2. l. 2. c. 13. Dum mihi Sanctus Angelus meus Custos quædam loquebatur, fui distracta, memor quorundam mihi à Ven. Patre Ludovico in Visione paulò ántè dicto-

ctorum. Ob hunc defectum fui vehementer afflicta, obnixéque rogavi Sanctum Angelum, ut illum puniret. Ipse tacebat; ego verò magis instabam, nè istam culpam relinqueret impunitam, quia me illius commissæ pudebat. Precibus itaque meis victus, tres dorso meo ictus inflixit, præsentibus alijs sanctis Angelis. Videbatur autem his meis Dominis Angelis displicuisse, quòd sic ab illo fuissem castigata. Tum sanctus meus Angelus Custos, quasi stringendo humeros, dixit: Ipsa id voluit, fuitque mihi importuna.

VIII. Lib. 1. c. 46. Anno 1626. In festo Sanctissimæ TRINITATIS, dum in Oratorio celebraretur Missa (quam dicebat Dominus Præses Franciscus Marquez) vidi in cælo magnum nostrum Trinum DEUM, ab infinitis circumdatum Angelis, ex omnibus novem hierarchijs. Mea Anima obstupuit præter morem, quod videret Seraphinos assistentes DEO, licèt tantâ sint prædití Majestate & gloriâ (comparebant verò mihi tunc admirabilissimi) nihilominus gloriæ, majestati illius immensi DEI comparatos, tantò esse inferiores, ut nequeat explicari: videbantur mihi longè minores, quàm sit formica collata altissimæ Turri.

CAPUT III.

De Angelis Custodibus.

I.

PArte 1. lib. 3. c. 14. §. 1. Descendebat ad me CHRISTUS Dominus, ferebátque aliquid in suis brachijs, quasi Animam, vidi enim illam eminus: & cùm pervenisset ad medium viæ, substitit Divina Majestas, jussitque intermitti musicam, & fieri silentium, atque attendi; ac deinde dixit Dominus Custodibus Animarum unà venientibus: Ange-

geli mei attendite quàm diligentiſſimè, quomodo cuſtodiatis homines; impendite iſti cuſtodiæ omnem ſolicitudinem & operam, ſiquidem illos tantopere æſtimo, ut eos, qui me ex animo amant, mihíque ſerviunt, feram in meis brachijs & manibus, quemadmodum ferri videtis hanc animam; ideóque magni illos facite, iſta enim eſt mea voluntas.

II. Lib. 4. c. 3. §. 2. Pridie feſti Sancti Angeli Cuſtodis, quod Valliſoleti celebratur 1. Martij, vidi ſtantem juxta me, & à dextris meum Angelum Cuſtodem pulcherrimè ornatum, veſtitum eleganter ac feſtivè, coopertum auro & lapidibus pretioſis variorum colorum, demonſtrabátque & exhibebat in ſe oculis meæ Animæ magnam potentiam, quâ videbatur poſſe debellare totum infernum. Erat quaſi intrinſecus armatus, ac ſub cingulo habebat adaptata arma exteriora, quendam quaſi parvum acinacem, convenientem corpori, in quo apparebat & aliud ſimile telum bellicum. Cùm illum eo modo vidiſſem, fui vehementer rei novitate attonita, eóque ampliùs, quando conſpexi reliquos ſocios præſentes non eſſe ità inſtructos, ideóque illi dixi: Mi Angele, ac Domine, quomodo es ſic ornatus, ac taliter veſtitus? Dum id interrogarem, audivi in Cælo inchoari magnam ſolennitatem, & reſonare multa inſtrumenta muſica, ac bellica diverſi generis, qualia ſunt tympana ac tubæ, aliáque hujusmodi, ùt totum Cælum videretur exhilarari illo tam ſvavi ac dulci & ſonoro ſtrepitu, quem ſimul edebant omnia ea inſtrumenta quàm ordinatiſſimè. Tum dixit meus Angelus: Anima mea, audiſne quid agatur in noſtra Cæleſti Jeroſolyma? Noveris ex mandato Domini Majeſtatis celebrari magnam ſolennitatem in illa Divina Aula, in honorem omnium Angelorum, qui ſunt Cuſtodes animarum: cui proinde adſumus omnes, cum his veſtibus, & armis, quæ in me vides, & ſignificant noſtram gloriam, ac ſplendorem, & virtutem, atque fortitudinem datam nobis à noſtro DEO, & Creato-

atore, contra potentiam infernalem dæmonum pro defensione animarum, quas jussu DEI custodimus. Unde & ego pergo ad illam solennitatem: bene vale, & noli affligi, non enim manes absque me. Statimque abivit ad illud festum cæleste, in conspectu meæ Animæ, quæ vidit, quidquid ibi fiebat, & quasi infinitos Custodes Animarum, prædicto modo vestitos, summo ordine, & quàm aptissimè distributos in duas partes quasi in duas maximas cohortes gloriosorum Principum. Obambulabant circumquaque totum cælum, cum omni ea cælesti musica, de qua sum loquuta, & præcedebant illos, instar Ducum, gloriosi Archangeli, Sanctus Michaël & Sanctus Gabriël, comitabantúrque omnes istos Principes, & Spiritus Angelicos alij infiniti Angeli DEI, qui unà obibant illam cæli amplitudinem Divino quodam & cælesti circuitu. Collocaverunt se deinde ordinatissimè coram throno Divinæ Majestatis, ibíque omnes suo ordine se aliquamdiu detinuerunt cantantes admirabiliter: Gloria in Excelsis DEO. Tunc Dominus Majestatis aperiens clavi suæ Divinæ voluntatis murum magnæ gloriæ, ostendit se potentem, cum extraordinaria magnificentia & gloria, universis illis Spiritibus Angelicis; quibus in ipsius conspectu prostratis; dedit omnibus suam sanctam benedictionem; quà acceptà, subitò se erexerunt cum summo gaudio. Postquam jam Dominus clausisset illum sacrum murum, discesserunt omnes modo quodam mystico.

III. Lib. 4. c. 5. §. 2. Vidi nomine DEI convocari & congregari sanctos Angelos Custodes Hominum, qui obedientes in momento se contulerunt ad Cælum, & prostrati dixerunt: adsumus Domine noster Omnipotens, & venimus, ut sciamus quid nobis mandes. Dominus illos suscepit perbenevolè, & jussit surgere, dixítque ipsis: vocavi vos, mei Angeli, ut vos admonerem, diabolum novâ solicitudine his diebus urgeri & magnâ rabie agi contra homines: datáque illis suâ sanctâ

ctâ benedictione illos dimisit. Cogitabam metuendo, ùt soleo, quem in finem id fecisset Dominus, ac dicebam: Nunquid Angeli sunt capaces culpæ & incuriæ, ut illos admoneat denuò DEUS? & dæmon poteſtne plùs, quàm illi DEUS sit permissurus? Hoc modo me conabar operosè abstrahere, ab eo, quòd videram, & audieram. Interea mihi dum ità essem abstracta, Dominus loquutus est, dixítque: Soror, bene dicis. Sed ego subinde soleo dare novas inspirationes hominum per me ipsum, vel per meos Angelos, & Angeli superiores illuminant inferiores, pro meo beneplacito; dæmon quoque à me petit interdum facultatem tentandi homines, quam si illi concedo, dum mihi videtur, & expedit pro bono & exercitio meorum electorum, moneo de novo meos Angelos, quòd dæmon sit solutus, ut majorem impendant curam custodiendis Animabus.

IV. Lib. 6. c, 13. §. 1. Conspexi sanctos quatuor Angelos & videbantur mihi colere quendam elegantissimum, & gratiosissimum, ac fragrantissimum hortum, atque evellere quasdam herbas, alias verò plantare, nec non efformare pulcherrimas areas. Hoc aliquamdiu duravit & intellexi esse symbolum officij; quòd sancti Angeli Custodes exercent, curam habendo hominum, dum evellunt vitia & plantant virtutes.

V. Lib. 2. c. 1. Initio Anni 1625. Agebam aliquando istis diebus manè cum DEO recitando nonnullas preces, quas ab ejusdem Majestate fueram docta, & audivi illum cum quadam festinatione, quamvìs gravissima, mihi dicentem: Veni huc, Anima, veni, & videbis quod tibi volo ostendere. Respondi illi humiliter: Statim ibo, mi Domine, statim ibo, postquam persolvero has tuas preces. Et mea Anima persistebat in ijs finiendis. Dominus autem mihi denuò dixit: Age Anima, veni mecum: volo námque ut quamprimum videas, quod tibi repræsentabo. Non potui obniti, & antequam comple-

rem preces, Divina Majeſtas mihi exhibuit ſpectandas quaſdam Regiones multùm ab eo loco, in quo eram, ùt mihi videbatur, diſtantes, dixítque: Aſpice, Anima, hanc multitudinem meorum Angelorum, qui obeunt omnes iſtas Provincias, & Imperia Regum Catholicorum. Mea Anima aſpexit, ſicut fuerat juſſa à Domino, & vidit infinitos Angelos mirum in modum ſpecioſos, armatos inſtar generoſorum militum, ſclopis & bipennibus peragantes omnia illa regna. Ibant tanquam valde procul profecturi, explodendo ſuos ſclopos, quorum ſonus etſi eſſet terribilis & vehemens, aliunde nihilominus erat ſvavis, & jucundus auditui Animæ. Intellexi eſſe ſymbolum benignitatis & miſericordiæ Divinæ. Sic procedentes ſeſe collocaverunt in medio eorum omnium regnorum, exprimentes figuram crucis, ſtatímque ſummo ordine bini ſunt progreſſi, rectà tendentes ad locum ubi ego eram, & illuc pervenientes eodem ordine me præteriverunt, atq; aſcenderunt in altum, per quoſdam quaſi gradus demiſſos, & colorem referentes velut cæleſtem, donec pertingerent ad cæleſtem Jeroſolymam.

Deinde vidi eminus tanquam obſervantes hoc ſpectaculum, multas horribilium, & crudelium dæmonum turmas, quæ ſuos à fronte habebant duces. Stabant diſpoſiti in ordines, velut invicem colligati: pedes eorundem erant vincti compedibus, & corpora catenis, atque agitabant ſe cum ingenti confuſione, & rabie: apparebant quaſi ſclopis armati, quos gerebant in humeris; conabantur procedere, & pergere ulteriùs, ac jaculabantur. Verùm fuerunt adeò conſtricti, ut, ſi progrederentur ad quatuor paſſus, tantundem ſtatim retro cederent evaneſcentibus velut in aëre ictibus, abſque ulla vi, aut effectu. Tum in rabiem acti indignabantur, mordebant ſe mutuò confusè; exprobrabant ſibi vecordiam: maximè verò omnes furebant, inſultando ſuis ducibus. Infernale ipſorum propoſitum erat, ut animos Catholicorum inficerent hæreſi.

Sed

Sed videntes denique ſe non poſſe prævalere, præcipites ruerunt uſque ad abyſſum. Poſt hoc illos vidi valde procul in quibuſdam regionibus infidelium otiantes & quaſi quieſcentes. Omnia iſta exhibebantur meæ Animæ, abſque comparatione longè vivaciùs, quàm ſi ſpectarentur oculis exterioribus. Quanquam autem illuminata à DEO aliquid de hoc myſterio conjicerem, non poterat tamen à me ſufficienter percipi, & agnoſcebam, mihi multum deeſſe ad illud penetrandum.

VI. Tum mihi Dominus graviſſimè, & perquam dolenter, ob magnum amorem, quo erga nos fertur, dixit: Ecce, Anima, oportet te ſcire, univerſum infernum conſpiraviſſe, & occupatis, me permittente, infidelium cordibus ac animis, ingenti furore ac rabie inſtare, ut omnes junctis viribus, quantum in ipſis eſt, honore privent & vitâ meum Filium JESUM CHRISTUM, convicíantes ſuis ſacrilegis lingvis Divinam ejuſdem Perſonam, puriſſimam illius Incarnationem, & Sacramentum Evchariſtiæ. Hæc eſt ſignificatio eorum, Anima, quæ tibi oſtendi. Quid tibi hac de re videtur? Mea Anima propter audita iſta verba, & modum, quo à Domino proferebantur, fuit ſummè afflicta, & indoluit, atque reſpondens ejus Majeſtati, dixit: Cùm ità ſe res habeat, mi DEUS & mi Domine, nónne expediret, ut Reges & Principes Catholici, priuſquam hoſtes Sanctæ Fidei prodeant, proficiſcerentur, eóſque aggrederentur, ac peſſumdarent? Non expediret id nunc, Anima, dixit Dominus, non expediret. Dic mihi, an bene fieret, ſi exiſtentibus in foro tribus ferocibus tauris, debilis quiſpiam nanus, & imperitus diceret: Melius mihi erit invadere hos tauros, quàm firmare theatrum, illúdque conſcendere? Satis clarè apparet hunc erraturum. Nónne verò tu mi Domine, & mi DEUS, ajebam ego, es potentior toto inferno? Nónne facillimè potes omnes hoſtes noſtros deſtruere, ac dare victoriam tuis Fidelibus? Ità prorſus eſt, ſicut dicis, re-

respondit Dominus, me esse potentem, ut faciam, quæ volo, ac misericordem: unde, prout vidisti, tot misi Angelos meis Fidelibus, ad defendendas veritates Fidei, ac destruendũ mendacium, & fraudes diaboli: verum tamen ij, qui sunt mei, non ità me sibi, ob sua peccata, & malam dispositionem, devinxerunt, ut inter illos & meam Justitiam statuam aliquam aniculam, quæ ipsos defendat, neque, si impendens casus evenerit, permittam fieri, quæ fert cursus rerum, & sunt conformia legibus ordinarijs. Mea Anima audiens id dici à suo Domino, & assumens nonnihil velut generositatis, atque incitata vehementi affectu, qui tamen fuit magnæ commiserationis, tum respondit: Profectò, mi Domine, si id fieret, me, ad avertendos ab ipsis, & suscipiendos in me ictus, interponerem inter illos, & tuam Justitiam. Non facies id, dixit Dominus, non facies Anima: quia ego hoc à te fieri non permittam: atque si multùm instares, & occasio eveniret, auferrem te è medio eorum, & abducerem ad me. Quid dicis ad id? quid tibi videtur? Fui quasi consternata, & obstupui ob ea, quæ à meo Domino dici audiebam, dum mea Anima partim metueret Divinam Justitiam, partim verò confideret in DEI Misericordia & Benignitate; atque hactenus in tali mei Domini versor præsentia. Reputo hunc eventum tanquam aliquid à Divina Majestate superpositum meis debilibus humeris, ut clamem, & à DEO absque intermissione postulem misericordiam, in his Ecclesiæ necessitatibus. Ipse nos dignetur respicere tanquam Pater, sitque semper benedictus. Amen.

VII. Parte 2. l. 2. c. 7. Anno 1627. 25. Martij. Vidi advenientes ad accipiendas gratias, distribuente eas Beatissima Virgine, homines omnis statûs & conditionis, etiam ex diversis regionibus, quas DEO commendabam, tametsi eos non noverim, & multos Infideles. Singulos comitabatur Angelus ipsorum Custos, sed aliqui ex Infidelibus veniebant quasi coacti;

acti; quosdam illorum Angeli adferebant impositos humeris, alios trahebant, arrepto eorum brachio; nonnulli comparebant minùs inviti.

VIII. Parte 2. l. 1. c. 18. Anno 1626. 2. Aprilis. Vidi quendam Sanctum Angelum, qui ad me veniebat festinanter & vultu quasi inflammato præ indignatione. Adducebat animam manu apprehensam in specie parvi pueri, quem coram me constituens, séque ad eam animam convertens, dixit illi voce iracunda & vultu terribili: Flecte hìc genua (quod quidem cum magno meo rubore dico, Sanctus tamen Angelus re verâ sic fecit) atque deprecare isti famulæ DEI hoc & illud; insinuando ipsi duo vel tria, quorum venia esset illi petenda. Anima respondit valde obfirmatè: nolo quidquam tale petere, nolo; & cæpit vim adhibere, trahendo suam manum, ut eam ex manu Sancti Angeli eriperet, ac elaberetur. Detinebatur ab Angelo, & sicut hìc fieri consvevit, dum puer est obstinatus & refractarius, nolens obtemperare, Sanctus Angelus elevavit alterum brachium, atque impegit illi Animæ colaphum, ut eam prostraverit ad terram, ac destituerit usu sensuum. Ego fui afflictissima, & intimè condolendo aspiciebam, quem iste casus esset habiturus exitum: vidi autem, quòd ipsam Sanctus Angelus vultu irato, sicut antea, violentè elevaverit, & brachio arreptam abduxerit, ità ùt à me non fuerit ultrà conspecta. Hæc, Pater, est Anima illius personæ, quam ego sum tuita instar scuti, ut imminentes ipsi Divinæ vindictæ ictus & plagæ in me derivarentur, atque ei non nocerent. *Est autem hoc advertendum, quod persona illa persequebatur Venerabilem Marinam.*

IX. Parte 1. l. 1. cap. 4. §. 1. Aliquando ex peculiari DEI illuminatione intellexit esse tantam potentiam sui Angeli Custodis, ùt ipsi videretur sufficere, ad evertendum mundum. Unde usque adeò fuit consternata, ùt multis diebus aliud

non ageret, quàm intrà se ipsam diceret: Si unus Angelus præditus est tantâ potentiâ, quantâ iste, quem vidi; qualis erit potentia Domini Angelorum? Cùm autem aliâ vice ipsi comparuisset eleganter vestitus, atque illa præ modestia, nollet ipsius vultum intueri, dixit ei: Siquidem me non vis aspicere, DEUS te illuminabit, ut videas meam fortitudinem. Et subitò illi apparuit instar muri cujusdam fortissimi, quem nulli globi possent perrumpere, non secùs quàm si forent straminei: talis, dixit tum Angelus, est nostra potentia, pro custodiendis hominibus, ac defendendis contra dæmones.

Lib. 1. cap. 4. §. 1. Cum hac potentia, & non minori solicitudine, atque cura adveniebat, ut ipsam custodiret, ac tueretur, modo peculiari, & alio, quàm reliqui Angeli, qui ordinariè cum ipsa agebant quodam modo humano, sicut amici, aut socij solent secum conversari, ille verò cum imperio, & tanquam hospes domûs ingrediebatur, & egrediebatur, exequebatúrque universa pertinentia ad salutem Animæ ipsius, docendo illam, dirigendo, exhortando, objurgando, nec non castigando, quando opus erat, & peragendo cætera omnia, quæ prudens aliquis, amans ac solicitus pædagogus, potest ac debet agere cum puero, cujus curam gerit: ipse quoque specialiùs erat quasi minister & instrumentum DEI in extraordinarijs gratijs quas illi conferebat; erátque præterea tanquam depositarius, in cujus manibus & sinu deponebantur spiritualiter cimelia, quibus illam DEUS donabat, gratiarum, virtutum, ac meritorum, quæ per ea cimelia significabantur. Atque ut intelligeret antiquam esse hanc ipsius curam, quamvìs illud usque ad tempus eam gessisset invisibiliter, incepit illi quadam vice enumerare pericula, ex quibus ipsam liberaverat ab infantia eo quòd illam diabolus jam tum persequeretur: Non meministi, ajebat, quando adhuc puella volebas aliquid extrahere, quod tibi ceciderat inter grandes lapides, unum illorum ruisse,

qui

qui supra te labebatur? Scias velim ipsum fuisse motum à diabolo, ut te mactaret, sed esse à me detentum, quamvis tibi læserit digitos, cujus rei signa etiamnum in illis habes: neque recordaris, te, cùm aliquando conscenderes quædam præcipitia, fuisse proximam casui? Ecce ego te erui ex eo discrimine. Atque hunc in modum illi recensebat beneficia, quæ ei præstiterat postea in provectiore ætate, in qua plerumque, dum ipsa pateretur persecutiones & molestias, quas ipsi dæmon procurabat, magnâ virtute pro ejus defensione aggrediebatur istum potentem hostem, donec illam eriperet ex illius manibus.

Denique (inquit illa) præbitis aliquando indicijs magni gaudij, mihi dixit: Ecce, mihi incumbit, Animam tuam adducere ad conspectum DEI. Cùm autem ego perpenderem lætitiam, quam præferebat, & modicum illud, seu nullum à me præstitum DEO obsequium, nec non multa à me commissa peccata, respondi ipsi: Quomodo tam indigna creatura comparebit coram suo DEO?

X. Lib. I. c. 30. §. 6. Die Gloriosi Apostoli S. Andreæ, mihi apparuit idem Sanctus, ut me solaretur ac animaret; sed dæmon mihi id invidens, collocaverat se post illum, me non advertente, dixitque mihi quædam verba, quasi illa diceret Sanctus, quodammodo me acriter reprehendens. Experta sum in Anima tantam turbationem, prorsus diversam ab ijs affectibus, quos verba DEI, & Sanctorum ipsius excitant, idque cum quodam tumultu, ut me statim ab illo averterim, & quasi consternata me converterim ad meos sanctos Angelos, qui me sunt consolati & mihi manifestârunt, quid fuerit. Quando me denuò verti, ut aspicerem sanctum Apostolum, jam abiverat. Et significaverunt mihi Angeli, ipsum abivisse, eò quòd tunc non essem disposita ad eum audiendum; rediturum tamen post quatuor vel quinque horas; atque unà dixerunt: Bono animo esto, Soror, quia affigeris cruci inverso capite. Exhor-

horrui naturaliter, ſed Angelus meus Cuſtos me animavit dicens, nè timerem, ſe enim mihi adfuturum in Cruce. Ego illi dixi: Sancte Angele, cùm ipſe non poſſit pati, nihil eſt ſpeciale, quòd adſit mihi crucifixæ. Angelus autem mihi reſpondit: Etiamſi non poſſim pati, poſſum te juvare, ut ſubleveris in tuis cruciatibus. Subitò me adverti affixam cruci, totam à pedibus ad caput, quàm decentiſſimè coopertam pallio cæruleo, & capite deorſum converſo, pedibus verò ſurſum, ſicut fuerat crucifixus Sanctus Petrus. Poſtquam aliquamdiu manſiſſem in eo ſitu, Angelus meus Cuſtos in momento invertit crucem, & erexit, ità ùt ſuperiore parte ſpectaret cælum, ſenſique me ab illo deponi ex cruce, & extrahi mihi manus, quaſi ex quibuſdam ferreis annulis, quibus fuerant inſertæ. Tum mihi impoſuit coronam, quam ipſe aſſervaverat, velut in depoſito, cujus eſt ſuperiùs facta mentio; ut ſignificaret quid fuiſſem promerita eo cruciatu. Quando ex iſto raptu ad me redij, paſſa ſum graviſſimos dolores in toto corpore, capite, pedibus, ac manibus, quaſi re ipſâ, & verè ſuſtinuiſſem illud tormentum; & Glorioſus Apoſtolus Sanctus Andreas adfuit his omnibus, quem ego rogavi, ut ageret meum Advocatum, ac Patronum, juvarétque etiam alios; ad quod ille ſe mihi exhibens promptum, diſceſſit à me, datâ mihi ſuâ benedictione.

CAPUT IV.

De SS. Archangelis Michaele & Gabriële.

I.

PArte 1. lib. 3. c. 13. §. 1. Dum audirem Sacrum in feſto Sancti Michaëlis, oſtendit mihi illum Dominus, & cognovi in hoc ſancto Archangelo, tantam fortitudinem ac potentiam, ùt eâ videretur poſſe evertere mundum, & mo-

movere súsque déque omnia; omnesque creaturæ, quæ sunt super terram, mihi comparebant coram ipso instar formicularum. Vehementer sum mirata hanc apparitionem. Dominus autem mihi dixit: Expecta parumper, & videbis alia mysteria admirabiliora. Dum audirem quòd me vellet elevare ad res valde supernaturales, vehementer expavi. Tunc venit Beatus Michaël, & conferendo vires ac vigorem meæ Animæ, corroboravit ipsam, solatúsque est, dicendo mihi: Noli timere, quia ego te juvabo, & comitabor.

II. Lib. 3. c. 13. §. 4. In festo Sancti Michaëlis manè vidi Sanctum Archangelum, splendidissimè & elegantissimè vestitum. Salutavit me quàm amantissimè, solatúsque est, & confortavit vehementer in meis continuis doloribus. Atque dum conversarer cum ipso, vidi quatuor Angelos, qui paulatim conficiebant & elaborabant mirabiliter vexillum ex purissimo auro, quod absolutum obtulerunt sancto Archangelo Michaëli, & ipse id benedixit, jussítque illos cum eo abire, ad peragendum certum mysterium. Acceperunt illud Angeli, & sustulerunt in altum, atque vibraverunt. Prodibant autem ex eo tanti splendores luminis & claritatis, ut viderentur totum mundum illuminare. Tulerunt idem vexillum inter cælum ac terram ad regionem aëris, ibique denuò erectum agitabant, colligebant & expandebant, quod ab illis fuit factum ter aut sæpiùs; & quotiescunque hæc faciebant, prosiliebant ex ipso novi splendores luminis & claritatis decidebántque ex aëre ad infernum multi deformissimi diaboli, tot támque agminatim, quàm quando vehementer grandinat. Finito hoc mysterio, venerunt cum vexillo ad locum, in quo erat mecum sanctus Archangelus, quod ille accepit ad suas manus, & cum eo, tum ipse, tum sancti quatuor Angeli, atque alij innumerabiles, omnes discesserunt ad cælum. Ego fui ducta post illos à meis sanctis quinque Angelis, & non vidi meum Custodem.

Ingressa autem ad Cælestem patriam mansi intus è regione portæ cum meis socijs, & Archangelus cum reliquis intravit ad conspectum Divinæ Majestatis. Cúmque essent prostrati, & agitarent vexillum, idémque colligerent, & explicarent, prodibant ex ipso tanti splendores lucis & claritatis, ùt illuminarent illam Divinam Aulam. Omnes ità provoluti adoraverunt Dominum, reverentes ipsum, ùt Creatorem ac Authorem omnis sui boni & gloriæ. Dominus illis bene precatus est, jussítque eos surgere, & aspiciens me, quàm amantissimè ac affabilissimè, dixit: Esne tu hic Soror? Veni & fruere festo mei Archangeli. Præcepit omnibus Angelis, ut celebrarent magnam solennitatem in honorem Sancti Michaelis. Instituta est solemnis processio per circuitum Cæli. Sanctus Archangelus tulit vexillum: tota Aula Angelorum ipsum sequebatur, decantantium ipsius laudes, ac dicentium: Tu es, Sancte Angele, qui defendisti in Cælo honorem nostri magni DEI ac Domini, dicendo: Quis ùt DEUS? Tu ejecisti ex Cælo Angelos malos, eósque vicisti; Tu es Patronus & Custos Ecclesiæ militantis; Tu illam tueris contra illius hostes: & alia hujusmodi dicebant, quàm lætissimè & jucundissimè. Ego affixa pedibus mei Domini, spectabam illam solennem pompam, eáque recreabar, donec reversi ad Dominum omnes denuò se prostravissent coram Divina Majestate, iterúmque ipsam adoravissent, sicut antea. Tum Dominus illis secundò benedixit: atque adducens me ad se, etiam mihi dedit suam benedictionem.

III. Lib. 4. c. 2. §. 2. Dum agerem cum DEO, tempore quodam matutino, in Martio Anno 1615. comparuit mihi aliquis dæmon valde procerus, atrox & niger, ac abominabilis. Præseferebat magnam nequitiam. Hæc visio mihi attulit gravem afflictionem ac horrorem. Et licèt mihi videretur adstare sanctus quidam Angelus, subitò averti prorsus oculos. Verùm

rùm coacta à Domino, illos iterum ad ipsum converti, & notavi, esse Angelum maximæ Majestatis ac potentiæ, ut videretur posse debellare totum infernum. Hìc mihi dixit: Creatura DEI, & Anima redempta sangvine JESU CHRISTI, ego sum Archangelus Gabriel: agnosce me, & scito, me venire in nomine Domini, ac propter officium, quod mihi injunxit, ut te custodirem. Adduco autem tibi istum dæmonem (cúmque verteret manum, & ipsum tangeret, prosttavit se, & extendit dæmon humi) quē noveris illum esse, qui te maximè vexavit & afflixit, maléque tractavit; unde tu illum modò judicare debes: est enim in tua voluntate & potestate pæna illi injungenda, propter ipsius nequitiam. Cùm hæc audirem, fui afflicta, dixíque illi: Archangele DEI, ego vivo juxtà Divinam dispositionem, & quidquid patiar, respicio DEUM, qui suâ manu omnia metitur atque definit, ideóque id meâ nihil interest, neque me quidquam concernit, solùm desidero exequi voluntatem DEI. Sanctus Archangelus mihi reposuit, dixitque: Ego Soror, ideo huc veni; considera quid velis facere. Ego verò illi rursum dixi: Angele DEI, tu es præditus sapientiâ, ac fortitudine Divinâ, neque potes ulla in re errare; fac quod scis velle DEUM; tibi credo, ac transcribo meum jus, & quidquid præterea dicis ad me in hoc negotio pertinere; ego enim nihil ampliùs scio, quid agam. Tum gloriosus Archangelus aspexit Angelum meum Custodem, stantem juxta me, cum alijs quatuor, & dixit illi: Angele DEI, cui Divina Majestas commisit custodiam hujus animæ, bene audivisti, quid contigerit. Dic age, quid tibi videatur ac tuis socijs, ut hoc fiat. Angelus meus Custos respondit valde reverenter, ac venerabundè: Archangele DEI, hæc Anima, quam Dominus mihi tradidit custodiendam, nunquam est passa damnum vel jacturam ullam, propter molestias, afflictiones ac tormenta, quæ ex Divina dispensatione sustinuit à dæmone: quin imò

illi

illi profuerunt ad augmentum meritorum & coronam. Ego desidero majus bonum hujus Animæ, & gloriam DEI, ac proinde nescio, quid tibi dicam. Aspiciensque socios, vidit illos quasi indifferentes in hoc casu. Tunc Sanctus Archangelus Gabriel pede premens corpus illius bestiæ crudelis, & evaginans, quem habebat applicatum cingulo gladium, quasi igneum valde vehementem, comburentem, & nimiùm horribilem, solam illius cuspidem admovit capiti dæmonis, qui subitò evanuit ac descendit circiter ad unam orgiam sub terram, ejulando & lamentando horridissimè, acsi nova tormenta pateretur; Sanctus verò Archangelus illi dicebat: Apage proditor, cum his mortalibus doloribus in abyssum inferni; atque ille post hoc dictum se præcipitavit per quosdam terræ hiatus, & formidabilissima præcipitia, cum majoribus ejulatibus, & angustijs infernalibus. Per hæc præcipitia ruit ad infernum, inspectante semper Sancto Archangelo Gabriele, qui suá illâ magnâ virtute ac fortitudine, suáque illâ terribili voce, ipsum urgebat, dicendo: Apage proditor, in abyssum inferni. Ac deinde clausa fuit terra, & Sanctus Archangelus Gabriel ibi remansit propè me, illósque sanctos Angelos præsentes, quos est alloquutus, dicens: Beati Angeli, profectò Dominus noster Majestatis vos bene occupat in eo, quod assistatis isti ipsius creaturæ & Animæ, eámque custodiatis, quæ tanti constitit JESU CHRISTO Domino nostro, & pro qua dedit tantum pretium, quantum fuit pretiosus ipsius sangvis.

IV. Et conversus postea ad me, dixit mihi: Creatura DEI, & Anima redempta sangvine JESU CHRISTI Domini nostri, multum omninò es passa ab isto dæmone infernali, quem hìc vidisti. Sed propter DEI benignitatem & fidelitatem ac ipso adjuuante, tibi omnia bene cesserunt, atque ad tuum emolumentum, & gloriam magni DEI ac Domini nostri, qui tibi munus hoc per me mittit (tum protulit ramum palmæ, valde spe-

speciosum & preciosum, in quo erat crux non admodum magna, habens in summitate impositam coronam, elegantissimam ex auro & gemmis lucidissimis, qualis fuit ipsa quoque crux) & accedens ad me, dixit mihi peramanter: Accipe, Soror. Sed ego obstupefacta, quòd viderem tanta mysteria & miracula, atque etiam pudefacta & confusa respondi: Nequaquam Domine, quia non mereor tantum donum; non possum. Et humi prostrata non audebam præ verecundia assurgere, neque intueri illud pretiosum donum. Videns id Archangelus, dixit mihi: surge, Soror nostra, suscipe hoc donum. Tunc venit Dominus meus Angelus Custos, tangénsque me quasi mihi daret signum, jussit me surgere. Surrexi, & provoluta in genua, aperui meum animum illis duobus Angelis, dicendo: me prohiberi pudore, nè suscipiam tam magnum donum; cùm verò sic oporteat fieri, & DEUS velit, desiderare me, ut tradatur meo Angelo Custodi, qui bonam ipsius rationem esset redditurus, eò quòd ego non auderem acceptare tantum munus. Dum id videret Sanctus Archangelus Gabriel, dixit meo Angelo Custodi, ut susciperet illud donum pro ea creatura, quam custodiebat; quod Angelus locò ipsius suscepit reverenter, & cum demonstratione gaudij, statimque servavit in se ipso.

V. Cùm mea Anima talia videret & à DEO illuminata cognosceret virtutem potentiam ac fortitudinem illius Archangeli, fuit quasi attonita, & vehementer obstupescens, illi incepit dicere: Beate Archangele DEI Gabriel, Fortitudo Domini Majestatis, fortunata, fœlix, & beata est sors tua, eò quòd Majestas nostri magni DEI ac Domini, totáque Beatissima TRINITAS te elegerit in Legatum nuntij omnium Divinissimi & admirabilissimi, quæ unquam commissa fuerit, aut committentur ulli puræ creaturæ. Tu Sancte Angele attulisti hoc nuncium maximæ Reginæ ac Dominæ, & purissimæ ab omni macula, Divinissimæ, & cælestibus exornatæ gratijs præ omni

pura creatura. O te felicem & Beatum! Si enim esse Legatum alicujus terreni Regis, est tanta dignitas, censetúrque tam honorificum, eò, quò repræsentet Personam Regis & tantam gratiam illi Rex præstat, cui adfert nuncium; quantò potiores & majores gratiæ ac privilegia fuerint, quæ acceperis à Divina Majestate, à qua fuisti missus, ad tam magnum tantique momenti negotium: quales etiam honores erunt, & quantum nomen, quod in oculis illius summæ Reginæ, ad quam fuisti ablegatus, fueris adeptus? Magnas es consecutus gratias à Domino Majestatis:. Ipse sit benedictus millies, & tu sis benedictus à Domino, qui te creavit. Audiens Angelus, quod ego illi cum hoc fervore dicebam, respondit mihi: Creatura DEI & Anima Domini, omninò verum est, quod dixisti. Sit benedictus noster magnus DEUS in omnibus operibus suis & miserationibus, quarum una ex maximis mihi ab eo præstitis, quámque ego æstimo, & quâ supra modum glorior, est, quod ab instanti purissimæ conceptionis hujus præcelsæ Virginis Matris DEI, semper illi inserviverim, ac adfuerim per decursum illins Sanctissimæ vitæ, quoadusque cum corpore & Anima est assumpta ad Cælos. Et propter hunc favorem, ac privilegium Divinum, propterque suam immensam bonitatem, mihi contulit tantas tamque veras gratias, sicut dixisti. Tu verò Soror nostra, cogita nunc, quid velis, ego enim te visitabo, quàm diu vixeris in isto exilio, donec adveniat hora, quam DEUS constituit ad te ex illo educendam, ac transferendam, pro sua bonitate & clementia, ad æterna tabernacula, ubi ipso fruaris perpetuò nobiscum, & cum omnibus Beatis; vale: & valedicens Angelis, qui mihi aderant, discessit, cum comitatu multorum aliorum ad Cælum.

CAPUT

CAPUT V.

De Diabolis.

I.

PArte 1. l. 3. c. 13. §. 4. Feriâ sextâ post festum Sancti Michaëlis, manè me Dominus sopivit quodam somno mystico, ex quo expergefacta, vidi in meo cubiculo aliquantùm remotum à meo lecto quendam sanctum Angelum valde gravem. Finito Sacro, & peractâ à me Sacrâ Communione accessit Sanctus Angelus, de quo loquor, & prostravit se coram me, adorans Sanctissimum Sacramentum, quod susceperam. Dominus ipsum jussit surgere, dixitque illi: posse eum redire ad suum locum. Audito hoc, interrogavi meum Dominum: Domine mi, humiliter obsecro tuam Majestatem, ut mihi dicat, quid iste sanctus Angelus hìc fecerit? Et Dominus mihi suâ solâ benignitate respondit: Custodiebat te ac defendebat à diabolo, qui tibi volebat nocere & inferre damnum. Ergóne, Domine mi, reposui ego, potest diabolus inferre damnum creaturis absque tua facultate? Si tu illam ei non concedis, quid ipse potest facere? Ità, est verum, ajebat Dominus; sed ego, sicut in naturalibus permitto res eo ordine currere, quo jam aliàs decrevi ac disposui in mea æternitate, absq; ulla imutatione; ità in supernaturalibus permitto dæmonem uti facultatibus, quas ipsi concedo, sed operâ meorum Angelorum illi sæpè impedio earum executionem, pro ut expedit meis electis.

II. Lib. 4. c. 2. §. 1. Anno 1600. 14. Junij dum agerem cum CHRISTO Domino, & Sacratissima Virgine, venit quidam Angelus magnæ Majestatis, quem sequebantur plurimi dæmones, cúmque CHRITUS Dominus ostenderet se velle abire, petij ab ipso sanctam benedictionem, quam mihi Dominus negavit, significando, quòd si mihi ipsam daret, dæmones

in momento fugerent. Postquam Divina Majestas abivisset, suscitaverunt adversum me grande prælium, ac tumultum cum monstrosis vultuum distorsionibus, suffumigationibus & alijs adinventionibus. In his certaminibus mihi fuit dictum, magnum illum Angelum ibi præsentem esse Sanctum Michaëlem, qui venerat ad me defendendam, méque quasi circumibat, repellendo illos manu, & in gravi quodam ipsorum insultu exhibuit quandam lanceolam, cum suo vexillulo, quâ dum terram percussisset, omnes fuerunt separati & prostrati, erepserúntque paulatim sub porta. Et quia ego eram vehementer fatigata ac debilitata ex hac pugna, quasi corporaliter peracta fuisset, Sanctus Angelus accepit thurbulum aureum, & circumivit me ter, ut abigeret fætorem, quem ibi reliquerunt dæmones; ac certo loco se inclinabat. Existimo illum id fecisse coram CHRISTO Domino. Cúmque remanerem valde debilis, dixerunt sancti Angeli, qui mihi assistebant, opus esse pluribus remedijs; & accedens Sanctus Archangelus propiùs, formavit signum Crucis in mea fronte. Quia verò nihilominus sentiebam debilitatem, afflavit me, quasi me vellet confortare halitu suæ respirationis, quo fui magis corroborata. Et illo die mihi exhibuit alium favorem, comitando me, quando ibam ad templum, ut more solito interessem Sacro, & communicarem.

III. Lib. 4. c. 4. §. 6. Vidi aliquando meos sanctos Angelos solicitissimè obambulantes in superiore domûs parte, acsi lustrarent parietes; quemadmodum lustrari solent ab Architectis, vel Fabris lignarijs; & conspexi subitò dæmonem in specie magnæ simiæ, qui extrahebat dentibus quendam clavum, quo conjungebantur duæ trabes. Angeli illum percutiebant, ne id faceret; ipse verò vociferabatur, & prosequebatur opus cæptum, atque reverâ, illum extraxit: sed statim ipsum coegerunt, quamvis indignantem, reponere clavum ad priorem locum.

cum. Non intelligebam tunc quidnam id significaret, donec postridie comparuisset una trabs revulsa, quæ minabatur ruinam. Quare fuit advocatus Artifex, qui illam lustravit, unáque vidit parietes supernè esse jam sejunctos, & pronos ad casum, ac proinde statim est actum, ut occurreretur damno.

IV. Lib. 5. c. 6. §. 4. In Decembri Anno 1620. reperi me cum Domino DEO meo, Sanctisque meis Angelis, in sacro loco, in quo est sanctumSepulchrum Domini, quod adorabam, & iteratis venerabar osculis, humi prostrata, cum summo affectu ac devotione, & solatio meo. Indè fui ducta ad Palatium Regis infidelis earum Regionum, ubi mihi ostensus est ille Princeps. Erat nox & decumbebat solus in lecto extensus, præsente maximo quodam dæmone & robustissimo, qui à pedibus usque ad caput erat armatus; & gerebat grandem bipennem in manu, perambulabat conclave cum magna furia, & quàm impetuosissimè, videbatùrque illum infelicem Regem habere subditum suæ voluntati, ac magis dominari isti creaturæ, quàm ullus Dominus mancipio empto suâ pecuniâ. In Angulo illius magnæ aulæ, vidi Angelum, qui præseferebat valde tristem vultum.

Indè me duxerunt ad Palatium alterius Regis hæretici, ubi illum vidi in ejus lecto circumdatum à multis, circa ipsum vehementer tumultuantibus, & vociferantibus diabolis. Indolui vehementer hæc videndo, quòd tam multi homines subditi sint diabolo, & tam pauci prædití luce Evangelicâ, atque hi ipsi tam sint tepidi in servitio & amore DEI. Sed consolatus est me DEUS plurimùm, lumine mihi dato, quo vidi Divinam ejus Majestatem opulentissimam gloriosissimam, & undequaque ornatissimam cum suis illis paucis; dæmonem autem cum tam multis hominibus miserabilem, contemptum, & majora inferni tormenta perpetientem. Dixitque mihi Dominus, ùt qui omnia optimè agit, ac permittit, estque idcirco omni-

bus contentissimus: Animadverte, Anima, ego reponam in meo horreo triticum purum & mundum, paleam verò tradam ignibus infernalibus. Vehementer obstupuit Anima mea, quæ vidit ac audivit dici à suo DEO, & magnas illi pro omnibus egit gratias,

V. Lib. 6. c. 17. §. Sancti Angeli in Aprili Anno 1613. me sustulerunt & collocaverunt in quadam quasi sella, tuleruntque ad cælestem patriam cum comitatu multorum Angelorum DEI, qui venerunt ad me comitandam, alij armati, alij eleganter ornati, alij cum hastis, alij cum gladijs, sicut quando Satellites comitantur Regem; alij me præcedebant, alij sequebantur. Et Sanctus Angelus meus Custos mihi dixit: Ecce Anima, cum tali custodia, qualem tibi Dominus submittit, cur times, ac te affligis? Dum ità procederem ad Cælum, manifestavit mihi DEUS, in inferno esse magnum tumultum; & vidi, quòd Princeps diabolorum, videns me ità ascendentem, ringeretur præ dolore ac rabie, imperaretque diabolis, ut citò pergerent, ad impediendum mihi transitum, & ingressum ad cælum. Illi verò nolebant ipsi obedire, & dicebant: Frustra ibimus, quia est magna potentia illorum, quos ducit, ad sui defensionem. Timebant; ille verò urgebat, ut irent, vocando illos vecordes, canes, & impetendo illos mille convicijs; sed actum agebat dixitque ipsis: Ego ei intercludam viam. Hoc non, reposuerunt illi: quia cederet in tuum dedecus. Ac tandem quidam se proripuerunt, quasi quatuor, qui me aspiciebant eminus, neque sunt ausi accedere, videntes ingens robur satellitij; quod me comitabatur.

VI. Parte. 2. l. 1. c. 21. p. 93. Anno 1628. 16. Martij in mea ad DEUM oratione, cæpi subitò dubitare an non fortasse optarem res extraordinarias? unde statim dixi magno fervore: non mi Domine, non volo, nec desidero quidquam præter te, nihilque magis cupio, quàm tibi servire, ac te quærere,

rere, quâcunque ratione volueris. Quodsi mihi dæmon ingesserit aliquam imaginationem, ut secter viam quampiam singularem, nullo modo illā admittam: non habet ille quod hac super re mecum agat: alioquin ipsum comburam & concremabo. Dominus me benignissimè audivit, dum id dicerem, respondítque mihi svavissimè: Anima, quid dicis? quomodo poteris comburere & concremare dæmonem? Omnino mi Domine, ajebam ego, dico, quòd ipsum sim combustura, & concrematura, si mecum hac de re egerit. Adverte quid dicas, reposuit Dominus. Omnino mi Domine, rursus dixi: jam enim scio, qualiter me id oporteat facere. Debebo nempe, mi Domine, illum exsibilare ac deridere, & nihili facere, quidquid mihi fuerit locutus: nam nihil magìs urit dæmonem, quàm dum se videt despici, & vilipendi.

VII. Lib. 1. c. 4. p. 17. Descendi ad profundissimum puteum per gradus, comitantibus meis Angelis, & statim vidi prope me gregem deformium canum ac molossorum, diversas præseferentium figuras. Hi diabolico vultu in me conjecerunt oculos, & pari furore stridentes dentibus me sunt aggressi. Alij me videbantur velle devorare, alij impetebant manus, alij brachia, alij pedes, ità ut nulla esset pars corporis, quam non apprehenderint: alij arreptas vestes conabantur discerpere, latrantes interdum ac terribiliter ululantes. Mirum erat, quòd in omni hac vexatione prope nullam sentirem afflictionem: quia illis negabatur à DEO facultas, ut tam vesanè furentes quidquam mihi inferrent nocumenti. Aspiciebam interea meos Dominos Angelos, qui cum magna pace ac dissimulatione nihil movebantur, & nullâ videbantur tangi curâ eorum, quæ spectabant. Ità me illi crudeles molossi reliquerunt, & huc atque illuc diffugerunt, formidabiliter ululantes & furentes. Paulò tamen pòst rursus congrediebantur, mordentes se invicem ac dilaniantes. Deinde dissipati recedebant, omnium

um rictibus cruore manantibus. Hæc verò ipſorum congreſſio, mutua dilaniatio ac diſſipatio fuit tertiò eundem in modum iterata. Indicabatur autem mihi, repetitas illas corroſiones, quibus in ſe mutuò exacerbabantur, proveniſſe ex rabie, & indignatione, cùm in me exequi non poſſent, quod optabant, donec tandem ſunt ingreſſi quoddam rapax flumen, cujus peſtilentes aquæ caloris erant atri, & abominabilis odoris.

VIII. Par. 1. c. 13. §. 3. Aſtutus deceptor mihi volebat perſvadere eam cogitationem, quâ me conabatur retrahere à frequenti communione, provenire à bono ſpiritu, ſiquidem me quodammodo illuminabat, ſicut ſolet illuminare DEUS; quod tamen neſciebat imitari, neque omnino ſimiliter præſtare, quia relinquebat ſui quædam veſtigia, ex quibus incepi neſcio quid ſuſpicari de malo genio; licèt enim videretur eſſe verum, quod dicebat, veniebat tamen cum interno quodam tumultu, perturbando, inquietando, & contriſtando Animam, contrà quàm faciant, lumen & reprehenſiones Divinæ, quæ adveniunt cum pace & quiete interiori. Verùm tametſi haberem iſtam ſuſpicionem, ſtringebant me rationes, quas mihi dæmon oggerebat, petitas ex mea indignitate. DEUS autem videns periculum, in quo verſabar, nè ſuccumberem illi illuſioni, dixit mihi quodam die celerrimè: Dic, age, quid facis? adverte, eſſe diabolum, qui te vult decipere & abducere à Sacra Communione: relinque illum, nè ipſi credas. Tum ego agnovi vocem, & inſpirationem mei DEI, ac plena gaudiô & amore ardentiſſimô, illum laudabam, & glorificabam, ptopter ſpecialem curam, quam habebat de me præſervanda à fraudibus diaboli, non quidem in rebus gravibus, ſed in ijs quæ retrahunt ab eo, quod eſt utilius, & cum magna fiducia illi dicebam: Domine mi, & bonum meum, ſi tam fidelis amicus es in protegendis ac defendendis nobis in eo, quod videtur exiguum,

um, aut non tantum, quanta ſunt alia graviora; quis dubitat, quin id ſis facturus in re gravi, & nobis valde noxia? cùm ergo ità ſit, ùt eſt, quis poterit tibi diffidere, qui es tam bonus Pater, Dominus, & fidelis amicus, ac ſecurus protector te quærentium? Poſtquam Dominus protuliſſet prædicta verba, aufugit diabolus, & nunquam amplius de hac re eſt locutus.

IX. Lib. 1. c. 15. §. 1. Vidi Diabolum vehementer furentē & indignantem ac ſimulantem otium, ut videretur nihil agere, atque tabeſcere dolore, & confici. Et in hac ſimulatione, quam fingebat, ſe gerebat inſtar alicujus pueri, qui dum non permittitur agere malè, & pro ſuo libitu, diſſimulanter exerit manum, & petit alium ex improviſo lapillis, ità ùt non poſſit advertere à quo projiciantur, ac licèt quam primum vertat caput, ut videat, quis ſe moleſtet, videt illum petulantem, tam ſimulatè modeſtum, ùt vix poſſit credere, ipſum eſſe, à quo impetatur. Ità mecum agebat dæmon, in tentationibus & moleſtijs, quibus me vexabat. Hinc deprehendebam duos modos, quos obſervat in tentandis Juſtis. Tentat imprimis manifeſtè, quando incitat ad ea, quæ apertè mala ſunt, impellendo ingenti furiâ, & impetu ad illa ſectanda: deinde tentat occultè quando incitat ad quædam quæ videntur bona, vel ſub ſpecie boni, deſiderando, ut attribuatur bono ſpiritui, cùm tamen proveniant ab eo, qui eſt tam malus.

X. §. 3. Dæmon illam crudeliter cruciabat, quia hoc illi DEUS permittebat, quod quidem faciebat adeò fucatè, ùt quemadmodum dicitur fierī in raptibus, quòd interdum neſciatur, contingátne in corpore, an tantùm in ſpiritu; ità difficulter poſſet percipi, an ijs cruciatibus impeteret corpus, an verò tantùm vexaret vivâ illorum repræſentatione excitatâ in imaginatione, perturbaretque humores, ità ùt indè orirentur veri dolores, & convulſiones membrorum.

Lib. 1. c. 30. §. 5. Dixerunt mihi mei ſancti Angeli: Soror,

ror, Dominus vult, ut ingrediaris & transeas magnum ignem. Extimuit natura, dixique ipsis: sum semiconsumpta à vehementibus internis ignibus, quos patior, sed si vult Dominus, fiat voluntas ipsius. Illi videntes meum timorem, dixerunt: si nos tecum fuerimus ingressi, nónne libenter ingredieris? Ego dixi, ità, certé, Domini. Duxerunt me ergo ad quendam locum, ubi erat ingens rogus; vehementer ardens, quem sancti Angeli sunt ingressi, neque ignis illos tetigit, & dixerunt mihi, ut intrarem. Duxit me sanctus meus Angelus Custos, & ingressa sum usque eò, ubi ipsi erant: quamvis senserim flammas in faciem involantes, exiguus tamen fuit dolor, quem sum passa. Cùm ibi aliquamdiu fuissem morata, educta sum ad extremitatem rogi, & vidi ex altera parte stantes duos dæmones irritantes ignem, quia cogitabant, me esse intrà illum. Dum autem circumirent, & me viderent extrà, pudefacti evanuerunt. Ego dixi sanctis Angelis quòd parùm senserim illum ignem: qui mihi responderunt, id propterea accidisse, quòd Dominus mei fuerit misertus ob multa, quæ patior; voluerit tamen, ut sustinerem etiam hoc genus supplicij.

XI. Lib. 5. c. 11. §. 2. Cùm me obtulissem DEO pro quadã persona in honore & facultatibus adjuvanda, ad tolerandum aliquid acerbum ac difficile, quidquid Divinæ Majestati placeret, istâ occasione diabolus dixit Divinæ Majestati: Etsi istam creaturam, quæ se tibi promptam exhibuit ad patiendum aliquid pro juvanda illa Anima, quam novisti, verum sit, multis jam diebus pati graves dolores morborum; nunquam tamen mihi tam amplam facultatem tribuisti ipsius affligendæ, quàm ego vellem. Nunc tibi decernendum reliquit, quidnam velis tolerari pro bono illius Animæ. Cùm libenter velit pati, quidquid tu volueris, & quævis Anima sit tam pretiosa, tantóque tibi Domino Majestatis constiterit, æquum est, ut pro ista creatura, quæ petit bonum hujus Animæ, si illi præ-

sti-

ſtiturus es hanc gratiam & miſericordiam, deligas ac decernas graves dolores & cruciatus, atque ego ſim executor illorum ac miniſter, ut ità tua magna Majeſtas videat quomodo ſe geret in majoribus afflictionibus, cruciatibus ac tormentis, & ſi à te derelinquatur, utrùm etiam agat fideliter, téque amet, ac tuæ voluntati ſe ſubmittat, ſicut in alijs hactenus fecit. Audivit Dominus dicta à diabolo, qui ſolet fusè admodum loqui, & multum blaterare quando aliquid proponit, id quod facit fraudulenter ac malitiosè, & interdum videtur proferre grandia miracula; poſtea verò probata confundit ac deſtruit, ut videatur nec ſe ipſum intelligere, neque dicere intelligibilia. Iſte ſolet eſſe ipſius modus loquendi. Divina verò Mejeſtas illi reſpondit uno verbo, tantúmque dixit cum magna authoritate & majeſtate: Abi, & perge: Ecce enim concedo tibi, quod à me petiviſti. Hoc audito abivit diabolus ex conſpectu Domini contentiſſimus. Ego autem, quæ hac de re nihil ſciebam, ſicut dixi, nihilque tale cogitabam, incepi quodam die Veneris ſub veſperum, ſentire dolores acerrimos, præſertim in tribus corporis partibus, qui uſque adeò intendebantur, ut horâ ſecundâ noctis mihi videretur intrà corpus meum incluſus eſſe hoſtis quiſpiam armatus, fodicans aliquo telo, ac vulnerans dictas partes, unde vehementiſſimè diſcruciabar, ùt me putaverim diſrumpendam, ac ſi immerſa eſſem aquæ; neque potuerim jacere, vel me erigere ullo modo in lecto, quia mihi videbantur in ipſo, & ſupra illum, ac ubique eſſe quædam quaſi acutiſſimæ cuſpides, compungentes & affligentes totum meum corpus.

XII. Pro coronide apponamus quod habet Ven. P. L. de Ponte ad finem libri primi ſequentibus verbis: Denique aliquando ſub prætextu commiſerationis oſtendit diabolus, quantopere cuperet videre iſtam ſuam inimicam, redúctam in nihilum. Dixit ipſi quodam die Divina Majeſtas: Anima,

quid faciam ut te ſubleveſn in tuis moleſtijs & afflictionibus? Reſpondit diabolus qui adſtabat: Domine in quo potes ſublevare iſtam Animam, eſt, ut illam liberes ab afflictionibus, quia jam diu patitur. Ut ut ſit, tu ipſam tamen aſſumes ad te, meliùs ergo eſt, ut id fiat ſtatim. Dominus autem illi reſpondit, præſeferens magnam indignationem: O proditor quis te conſtituit conſiliarium Omnipotentis? Pluris ego facio unam horam, quá hæc Anima patitur, atque ut exequutioni mandentur omnia, quæ ſtatui cum illa facere, quàm iſtos favores acceleratos, de quibus loqueris. Uſque adeò invidebat diabolus iſti famulæ DEI multa merita, quæ ſibi accumulabat, ſuâ patientiâ ac reſignatione, & affligebatur, eò quòd non poſſet contra illam prævalere.



PARS QUARTA.

Vita CHRISTI Domini & Beatiſſimæ Virginis.

Quia commodiùs eſt videre ſub uno obtutu omnia, quæ ad Salvatorem noſtrum CHRISTUM Dominum pertinent, ideò ſuperiùs ad partem ſecundam hujus Quinti Tractatûs præmonui, me ex ſecundo Symboli Apoſtolici Articulo, quæ ad Dominum JESUM CHRISTUM Filium DEI inquantum eſt Homo, ſpectant, ad hanc Quartam Partem dilaturum. Hìc ergo adducentur quæ per ſex Symboli Apoſtolici articulos proponuntur nempe per

per Articulum, Secundum Tertium Quartum, Quintum Sextũ, ac Septimum, qui sunt: Credo in JESUM CHRISTUM, qui Conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex MARIA Virgine, passus sub Pontio Pilato, Crucifixus mortuus & sepultus, Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis, ascendit ad Cælos sedet ad dextram Patris Omnipotentis, indè venturus est judicare vivos & mortuos. Quibus accedit Articulus undecimus. Credo Carnis Resurectionem: Nempe quia Judicium extremum, quod credimus in Articulo septimo non potest bene separari à Carnis Resurrectione.

CAPUT I.

De Incarnatione Filij DEI.

I.

PArte 1. l. 1. c. 5. §. 4. Quodam die dum considerarem Filium DEI ad dextram Patris humaná vestitum naturâ ab eo assumptâ, ingens fuit meæ Animæ lætitia: & conversa ad Spiritus Angelicos dixi illis, ut aspicerent ibi Redemptorem nostrum, & viderent, assumpserítne fortè ipsorum naturam an nostram? Et utrùm descenderit ex sinu sui æterni Patris in uterum Sanctissimæ Matris, vixerítue triginta ac tribus Annis inter homines sustinendo tantos labores, persecutiones, & mortem Crucis pro ipsis, an pro me?

II. Lib. 1. c. 14. §. 1. Anno 1597. Cùm quodam tempore matutino essem collecta more solito, vidi ante me considentem Majestatem CHRISTI Domini, quasi in quadam sella, cum illa sua Sanctissima gravitate tam magna & sublimi, ùt non suppetant verba ad ipsam exprimendam, aut extollendam neque reperiatur intellectus, qui illam possit comprehendere: quia Divina Majestas, dum Animæ, ex sua infinita bonitate comparet in sua Sanctissima Persona, exhibet illi quoddam lu-

men & radios suæ Divinitatis, suæque infinitæ Essentiæ ac Virtutis, & Omnipotentiæ, ità ùt rapiatur extra se, & obstupefiat propter id, quod videt & cognoscit de Majestate ac amplitudine illius omnium rerum creatarum Domini. Cùm ità Divina Majestas consideret sicut dico, & ego miserabilis illam aspicerem cum omni reverentia, quâ poteram, atque etiam cum magno amore quo mea Anima illum prosequitur, vidi quod eadem Majestas acceperit chartam & calamum, atque tenente quodam Angelo quàm reverentissimè atramentarium, cæperit scribere, ità ùt non viderem intingi ab eo Domino calamum, in illo atramento: sed Majestas, Magnificentia & Gravitas, quâ demittebat suos oculos ad scribendum, & movebat suum brachium, ac Sacratissimam manum, est res tam sublimis, támque excelsa, ac ità apta ad exhibendam Animæ Magnitudinem & Potentiam atque Essentiam infinitam ipsius Domini, ùt eo modo ipsum cognoscat, clarissiméque illi appareat hæc veritas, quam credimus & confitemur, quòd CHRISTUS JESUS Dominus noster sit non solùm verus Homo, sed unà verus DEUS ac Dominus noster. Sumptâ verò pennâ ad manum incepit Divina Majestas scribere, & scripsit valde parum, statimque mihi monstravit, quod scripserat, & fuit quædam subscriptio in folio vacuo, cujus hæc erant verba: JESUS CHRISTUS DEUS ET HOMO VERUS, scripta Divino charactere, utpote Sacratissimo ipsius chirographo, quia nihil ampliùs quàm hoc dici potest, ut intelligatur qualis esse potuerit.

III. Lib. 1. c. 12. §. 3. Quodam die intenta meæ orationi conspexi CHRISTUM Dominum inordinario ipsius gravi ac modesto habitu: ad ejus latus dextrum erat alia quædam persona valde gravis & magnæ Majestatis, cujus vestitum nescirem describere, neque etiam vultum, quem tantum memini fuisse valde candidum & gravem. Quia etsi mihi videretur ho-

homo propter figuram & formam, nihilominus etiam videbam clarè corpus illud & vultum, quem præseferebat, non esse verè humanum, neque ipsum constare ex carne & ossibus, qualis est, & qualem video, atque agnosco re ipsâ, ac verè esse CHRISTUM Dominum, quem ego intuebar cum magno solatio; & similiter aspiciebam alteram Sacratissimam Personam, quæ stabat ad manum ipsius dexteram. Erat autem quiddam mirabile, quod mihi Dominus ostendebat, ut non nihil intelligerem de eo mysterio; esse videlicet unum solùm DEUM & duas Personas, quas videbam distinctas. Quia cùm intuerer unam solam, videbam in illa utramque neque aliud in iisdem videbam, quàm unum Esse Divinum. Statim autem mihi dedit Dominus lumen quo illustrata cognovi unam earum personarum esse Patrem æternum; alteram verò CHRISTUM JESUM Dominum nostrum Filium ejus. Atque licèt sint ab invicem distinctæ, utramque tamen simul esse unum solum DEUM ac Dominum nostrum, unam Majestatem, unam Potentiam, & unum Esse Infinitum. Dum vehementer obstupescerem contemplando hoc mysteriũ, vidi ante illas duas Divinas Personas, quendam vultum elegantissimum instar vultûs Angelici, qui Divinis & perspicacissimis oculis magnam præse ferens Sapientiam, attentissimè & fixissimè intuebatur pectora illarum duarum Divinarum Personarum, ità ùt in solo intuitu penetraret, videret, atque cognosceret altissima mysteria, quæ erant recondita, in earundem pectoribus. Videns istum vultum stupebam cogitando intra me, ipsum esse Angelum quempiam magnæ sapientiæ, dicebámque tacitè: Quis potest esse iste Angelus tam sapiens? Cùm ità stuperem, dixit mihi Dominus: Non intelligis hoc mysterium, neq; enim est Angelus, quemadmodum cogitas, sed est Sapientia, quam habuit CHRISTUS, ùt Homo, quâ assecutus est, & sublimissimè ac divinè intellexit omnia mysteria Divina ac cælestia

Di-

Divinæ Majeſtatis & Magnitudinis. Ego plena ſtupore, & amore DEI, ſe cum tanta bonitate communicantis huic miſerabili Creaturæ, cucurri & abjeci me ad pedes JESU CHRISTI Domini noſtri, quos ſum oſculata cum ſummo honore & reverentia. Fuit autem res mira, quod cùm oſcularer, ùt mihi videbatur, ſolos illos Divinos pedes CHRISTI Domini, fuerim in ipſis oſculata pedes Sanctiſſimæ Perſonæ Patris, cùm ſit diſtincta à Perſona Filij.

IV. Lib. 3. c. 12. §. 1. Vidi in Cælo thronum Majeſtatis DEI Trini in Perſonis, & Unius in Eſſentia, quaſi per quoddam velamen: quem Dominum dum Sacratiſſima Majeſtas CHRISTI Domini quâ eſt Homo, demiſsè veneraretur, ſuſcepit ſibi ab illa magna Majeſtate datum Divinum quendam, & myſticum amplexum, quo repræſentabatur & ſignificabatur poteſtas ac Dominium, quod illi Sanctiſſima TRINITAS contulit ſuper omnes Creaturas.

V. Par. 1. l. 2. c. 4. §. 1. Dum quodam die orarem, conſpexi CHRISTUM Dominium adſtantem in ſuo talari & modeſto veſtitu, ſicut illum videre conſvevi. Vidi quod haberet in ſuis manibus quoddam elegantiſſimum vas artificiosè elaboratum ex puriſſimo & cæleſti auro, inſtar pretioſiſſimæ & ornatiſſimæ ac magnæ cujuſpiam hierothecæ, cujus pes erat affabrè efformatus. Ex hoc Sacro vaſe circumquaque & undique prodibant puriſſimi radij aurei inſtar radiorum ſolarium. Quamvis autem id intuerer, non poteram intelligere quid eſſet, donec DEUS meam Animam illuminavit, ut cognoverim ac intellexerim in hoc ſacrario ſeu theca incluſum eſſe Sacratiſſimum myſterium Incarnationis JESU CHRISTI Domini noſtri; ſed tum adhuc non percepi, quale eſſet, donec paulò pòſt vidiſſem momentaneè aperiri reliquiarium, & ex ſpeciali Divina illuſtratione vidi ac intellexi, quomodo fuerit peractum iſtud Divinum myſterium, quaſi re verâ tum peragere-tur.

tur. Et poſtquam hoc inſpectante meâ Animâ fuiſſet factum, etiam rurſum in momento eſt clauſum; unde fui itá obſtupefacta & conſternata, ùt dicerem intrà me, quid eſt hoc, quod vidi? Iſtud myſterium non contingit nisì ſemel, quomodo illud vidi peragi? ità confuſa hærebam, nec plura indagabam, quia nihil de magnalibus iſtis ſcio, quàm quod me DEUS docet. Sed cùm Divina Majeſtas videret, quid ageretur in mea Anima, dixit mihi quàm amantiſſimè: nè conſterneris, neque ità confundaris, quia iſtud myſterium non eſt modò peractum, ſed oſtenditur tibi, quâ ratione contigerit. Sic mea Anima fuit repleta ſolatio & amore, propter tantam bonitatem, quâ iſte Dominus nobis afficitur. Atque ut redeam ad ea, quæ vidi concernentia hoc myſterium, & modum quo fuit peractum, non eſt lingva à qua poſſit explicari, neque intellectus, qui id ſciat intelligere vel aſſequi, ideóque ignoro, quid dicam: ſed ſicuti, quando præclarus quiſpiam & peritus Magiſter alicujus artis, & valde ſubtilis, ac delicati operis, conficit opus illud, quod ſcit ac poteſt conficere pro ſui acumine ingenij, & ſingulari ſcientia, inſpectantibus alijs, qui nihil de eo ſciunt, neque quod coram ſe peragi vident, intelligunt, admirantur & obſtupeſcunt tantum ipſius ingenium ac ſcientiam, nec tamen ſciunt dicere, ac vixdum intelligere, quomodo perfecerit tam mirabile opus, & ſi verè dicturi ſint, ſe vidiſſe dum fieret: ità etiam ego dico de hoc altiſſimo Myſterio quòd viderim uniri in momento Verbum Æternum DEI, & Filium ipſius cum noſtra natura humana in uno ſuppoſito Divino, & in Uno CHRISTO, Bono ac Domino noſtro, intrà viſcera Sacratiſſimæ Virginis Dominæ noſtræ, quodam ſubtiliſſimo Divino, ac cæleſti, digno ſolâ potentiâ, Sapientiâ, & bonitate illius magni ac potentis Artificis, infinita præditi Sapientia, quamvis neſciam dicere vel intelligere quomodo vel qua ratione fuerit iſtud admirabile opus peractum.

VI. Ibidem §. 2. Postquam unam circiter horam impendissem orationi, elevavi oculos Animæ, & vidi, adesse quandam valde venerabilem personam, ac magnæ Majestatis indutam vestitu candido gravissimo, ad cujus latus conspexi puerulum, nonnihil coopertum, ità ipsi vicinum, ùt mihi videretur illum tenere ac stringere manu; alteri verò lateri Puerulí adstabat quædam Domina. Neminem tamen novi, neque illum volui aspicere, sed statim ab illis averti oculos. Quia verò mihi apparebat vir, dubitabam, essétne CHRISTUS Dominus, nihil certi sciebam. Videbatur mihi persona grandæva, dicebámque intrà me ità dubitando: CHRISTUS Dominus habet puerulum in brachijs, quid hoc erit? sic hæsi quasi mediâ horâ; quâ elapsâ, dignatus est mihi Dominus eximere dubium, nè adeò tergiversarer aspicere mysterium, quod à me videri volebat Divina Majestas, mihíque ità proponebatur, ùt fuerit impossibile, non videre illam Sacratissimam Personam, quæ considebat in sublimi throno, cum magna Majestate, habebátq; vultum valde gravem, & venerabilem: animadverti tamen vultum & corpus, quod exhibebat non constare ex humana carne & osse, quemadmodum constat, & ego constare agnosco in CHRISTO Domino nostro. Dum ità illum intuerer vehementer attonita, non agnoscens ipsum quis esset, vidi quòd in suis manibus haberet elegantissimum Pupulum, & splendidiorem sole: utramque autem circumdabant multi Angeli. Et mea Anima accepit speciale lumen, quo illustrata, videbam illam Majestatem Magni Domini esse DEUM Patrem Domini nostri JESU CHRISTI, primam Sanctissimæ TRINITATIS Personam, unáque intellexi, quomodo ab æterno generaret, atque ab eo procederet ille Sanctissimus Dominus Filius ejus, quem tenebat in manibus, tanquam infantem jam incarnatum, ac vestitum nostrâ humanâ naturâ. Et cùm majorem in modum stuperem, afflueremque

que solatio propter tam clarum lumen, quod mihi communicabatur, vidi quod illa Domina quæ aderat esset Sacratissima Virgo quódque procubuisset in genua, junctis ac elevatis manibus, coram eo magno Domino: erat autem quasi abrepta in altissimam sublimissimi Mysterij, Incarnationis Filij sui, ac Filij DEI, contemplationem, expendens magnitudinem Bonitatis ac Sapientiæ DEI, quem habebat præsentem, & summam gratiam, quam ipsi præstabat, dando ei in Filium unicum illum, quem Divina Majestas habet ac generat ex sua natura, tam magnum bonum & potentem, quàm est ipsius Pater. Contemplanti mihi hæc mysteria, dixit Sacratissimus ille Dominus ac Pater Ærernus, ostendens magnum amorem, quo amat ab æterno suum Sacratissimum Filium: Ecce hic est Filius meus plurimùm dilectus, in quo mibi summè complaceo, & propter quem mihi placent homines iu terra degentes.

VII. Par.2.l.1.c.42.p.174. feriâ quintâ, Decemb. die 19. Sub diluculum matutinum vidi magnam Angelicorum Spirituum ex Cælo ordine descendentium & canentium multitudinem: atque postremo loco Patrem æternum humanam præseferentem speciem cum pretiosa patena, ac Divino Puerulo in manibus. Postquam Divina Majestas advenit, omnes Angeli se prostraverunt, terram facie attingentes, séque suis alis, velut tegentes (quales enim hìc pingi consveverunt, tales se mihi exhibent videndos) ob reverentiam Mysterij quod adorabant. Tum Pater æternus alloquens coram me speciosissimum illum & admirabilissimum Puerulum, quædam tanta authoritate, & majestate dixit, ut quamvìs mihi manserint impressa, modum tamen quo sunt pronunciata, reverentiam & alios affectus, quos ijs auditis mea Anima sentiebat, sit impossibile explicare. Fuerunt autem ad verbum ista: Fili mi dilectissime, mitto te in mundum, ut redimas, dirigásque & illumines genus humanum. Eo momento fui edocta, quòd ille

Sacro-Sanctus Puerulus elicuerit actum obedientiæ, & resignationis in voluntatem sui Patris tam heroicum, omnique ex parte perfectum, ùt Pater æternus sibi in eo super omnia, quæ dici possunt, vel cogitari complacuerit. Progressus est deinde Dominus loquendo ad Puerum his conceptis verbis quæ appono: Tu es Filius meus, mea dextera, meum potens brachium; te ego Regem & Dominum constituo omnium creaturarum atque Judicem Vivorum & Mortuorum.

VIII. Lib. 1. c. 41. p. 169. Anno 1625. Die Transfigurationis CHRISTI Domini delicij nostri, sum ducta à meis Dominis Angelis ad cælestem Jerosolymam in cujus altissimo loco vidi speciosissimam quandam, obstupescendam & plenissimam Divinis splendoribus aulam, atque in eadem omni ex parte innumerabiles Angelos. In superiore illius Extremitate erat erectus thronus ad stuporem gloriosus, in quo residebat Beatissima TRINITAS. Observavi autem quòd secunda Persona Verbum Divinum se mihi non exhiberet spectandam, sicut aliàs, quoad Esse tantummodo Divinum, sed tanquam verè unitum Sacro-Sanctæ Humanitati suæ, eademque ùt nos loquimur, vestitum. E regione hujus sublimis throni & in ea eadem aula, erat subsellium instar admirabilis scamni, eleganter ornatum & magnificum, ubi considebant novem Angeli ex eminentissimis & excellentissimis supernæ illius Curiæ. Nequit ulla explicare lingva lumen mihi repræsentatum, & venustatem, quæ inerat ipsorum vultibar, atque splendorem & pretium vestium. Vidi subitò, postquam modicùm resonuit cælestis musica, Dominum DEUM Trinum, gravissimo infinitæ authoritatis & majestatis gestu velut indicantem ijs novem supremis Angelis, quæ esset sua Voluntas, quidque ipsis esset agendum. Tum assurrexit, qui medium occupabus locum, & majorem præseferebat dignitatem, séque coram DEO prosternens, & accepta ab eo benedictione se erigens, atque manum

num finistrám tenens admotam cingulo, ac summâ gravitate movens dexteram, dixit ad omnes cælestes Spiritus ibi præsentes (modo tali, ut exponi non possit) hæc verba: Postquam advenit tempus, quo Divina Triunius DEI Domini nostri Majestas, in suo Divino Consistorio constituerat, ut unigenitus ipsius Filius humanam carnem in visceribus MARIÆ Virginis, Reginæ ac Dominæ nostræ assumeret, pro redemptione & remedio totius generis humani, descendit ex sinu Patris fuítque Divino operante Spiritu, in purissimis illius visceribus Incarnatus.

IX. His dictis se denuò prostravit (unáque cæteri Angeli) ob reverentiam eorum verborum; iterúmque assurgens, assecutus est admirabile, & supra modum sublime lumen, quo agnovit magnitudinem, & æstimabilitatem ejus maximi mysterij. Tum admirabilissimâ & ineffabili ratione aliud prodivit ex ipso lumen, simile illi, quod acceperat, atque istud irradians omnes Angelos, qui aderant, eandem ipsis infudit notitiam, adeò ùt iste magnus Angelus videretur esse Divinus canalis Domini Majestatis, à quo immediatè conceptæ tam sublimes cognitiones, postea per ipsum reliquis communicabantur. Meæ pauperi animæ obtigit aliqua particula illius luminis. Nequit autem intrà millenos Annos explicari, quod in ijs verbis denuò intelligitur, quæ hìc tam facile pronunciamus, & quod concipitur de scientia potentia ac Infinito DEI amore, déque immensa ejusdem erga homines clementia. Denique ut ex hoc Sancto Angelo qui me illuminabat, intellexi, bona in nos per Incarnationem Filij DEI derivata, nunquam fuerunt cognita aut audita, qualia in se sunt, neque plenè intellecta & percepta præterquam ab ipsomet DEO, qui ea est operatus. Idcirco quando ingens illa Beatorum Spirituum multitudo, luminè sibi communicato ab Angelo Superiore penetravit ea verba, vidi ipsos in arcana communicatione tan-

quam attonitos, & ecstaticos, propter bonitatem hujus magni DEI, sibi denuò revelatam, gratias eidem agentes infinitas, ipsúmque ob tam excelsum opus laudantes. Tum Dominus Majestatis ostendens sibi multùm placere, quòd magnus iste Angelus bene suo fuerit functus munere, dedit illi suam benedictionem, quam ipse suscepit prostratus, ac deinde redivit ad suam sedem.

X. Hoc ordine, & servatis omnibus circumstantijs, quas de primo hòc Angelo retuli, consequenter assurgebant cæteri octo Angeli suam agentes personam, ideóque hic nihil quoad substantiam referam diversum de ijs, quæ singuli, toti cælesti Angelorum multitudini, & meæ pauperi animæ revelabant de mysterio singulis seorsim revelato à DEO. Prodijt igitur secundus, eádemque majestate, quâ primus dixit: Atque natus est ex hac Virgine & Domina nostra, fuitque reclinatur in præsepio & cum hominibus conversatus spatio triginta trium Annorum, patrando admiranda opera.

Tertius recensuit Adorationem, admirabiliter ipsam expendendo, Sanctorum Regum, & beneficium, quod mundus in eo mysterio est consecutus.

Quartus dixit quomodo hìc Dominus fuerit à sua Sanctissima Matre præsentatus in templo. Declaravit miros actus Resignationis, quibus ista Domina æterno Patri suum obtulit Filium pro hominis redemptione.

Hactenus aliqua adhuc possent exquiri verba, quæ aliquatenus dicta ab his Sanctis Angelis explicarent, quamvis ea omnia solùm summatim attingam; nullo autem modo suppetunt, quibus aliquid exprimatur de sublimissima ponderatione, quâ Quintus Angelus declaravit gesta in Passione & morte Domini, atque immensum profusi illius preciosissimi Sangvinis pretium.

Sextus egit de Gloriosissima Resurrectione, explicando my-

mysterium tam Divinis encomijs, ùt excedant cujusvis captum intellectus.

Eundem in modum Septimus exposuit miracula magnificentissimi ipsius triumphi in Ascensione.

Octavus dixit mirissima de Adventu Spiritûs Sancti, & de Divinis incendijs infiniti ipsius amoris.

Conclusit ac absolvit solennitatem hujus cælestis repræsentationis Angelus Nonus, explicando sublimissimè deliciosum mysterium Sanctissimi Sacramenti Altaris, infinitum ipsius pretium, ejusdem convenientiam in salutem nostram & remedium, solatium animarum nostrarum in eo nobis relictum. Significavit mihi Dominus ea, quæ videram, & illud lumen, quòd immediatè istis singulis Angelis Supremis largiebatur, esse symbolum revelationis, quam hi Angeli habuerunt, ut ab ijsdem communicaretur alijs. Ipse sit in æternùm benedictus Amen.

XI. Parte 2. l. 2. c. 1. p. 208. Anno 1624. in Septembri. Vidi prodeuntem velut ex dextro latere Patris æterni Sanctissimum ipsius Filium CHRISTUM JESUM Servatorem nostrum, circumdatum ab innumeris Angelis, adorantibus illum & comitantibus. Veniebat hìc Dominus demonstrans majestatem veri Regis, tum vestitu, tum pretiosâ coronâ, quam in Sanctissimo suo capite gerebat. Idem Dominus descendit per duos quasi gradus gloriosissimos, & comparens coram suo Patre Æterno, sese in ijs prostravit, exhibendo ipsi, in quantum est Homo, hanc profundissimam reverentiam. Sacratissimus ejus Pater illi quàm amantissimè est bene precatus, dixitque continuò toti illi cælesti Aulæ: Hic est Filius meus dilectissimus, in quo mihi multùm complacui: adorate ipsum: adorate ipsum & honorate, tanquam Regem ac Dominum vestrum. Simul ac id fuit à Divina Majestate dictum, omnes ij Beati Spiritus se prostraverunt, exequentes magnâ veneratione & voluptate, quòd ipsis mandabatur.

XII.

XII. §. 2. c. 7. p. 237. in fine. Anno 1620. Vidi tres Divinas Personas Divino & ineffabili modo conversantes, & quasi invicem sibi complacendo dicentes: O quàm admirabile arcanum ac Divinum opus peregimus in Verbi Incarnatione! quàm nobis dignum! quàm est inæstimabilis ejus valor? Res est magna, altissima & sublimissima. Deinde Beatissima eadem TRINITAS sibi plurimùm complacebat in Sacrario Virginali, ubi obstupescendum illud opus fuerat mandatum executioni. Quàm rudibus & paucis id refero verbis! cùm omnia verba totius Mundi non sufficiant, ad explicandam vel atomum ex multis, quæ tum anima intelligit, de altitudine hujus mysterij eò quòd sibi DEUS ineffabiliter in illo complaceat.

CAPUT II.

De SS. Progenitoribus CHRISTI Domini.

I.

PArte 1. l. 4. c. 7. §. 3. Quodam Festo Paschatis me visitavit Sanctus Rex David cùm nostro primo Parente Adamo, qui præseferebant tantam authoritatem, ùt satis demonstrarent, qui essent, quive fuerint, & specialiter Sanctus Adamus ostendebat se esse dignum Patrem omnium hominum. Cùm tamen illum viderem, erupit mihi ex ore, quasi non advertenti quid dicerem: O Sancte Pater, quantum mali nobis attulit tuum peccatum! Et Sanctus Rex David mihi dixit; tace hac de re, modo enim non est tempus. Sed Sanctus Adamus respondit: Ut ut sit, habetis JESUM CHRISTUM Dominum nostrum descendentem ex mea carne. Quasi diceret: Si meum peccatum vobis attulit grande malum, memineritis idem occasionem fuisse, ut haberetis talem Redem-

demptorem, qualis est DEUS, factus Homo pro redimendo homine. Dum hi Sancti essent apud me distantes ab invicem & nonnihil à me remoti, visitavit me CHRISTUS Dominus, & cùm per medium illorum trasiret, adverti, quòd in transitu inclinaverit aliquantum caput, quasi ipsos veneraretur. Cúmque ego id tacitè considerarem, Divina Majestas mihi dixit: Quid ergo? Nonne vides quòd fuerint mei Patres, & Progenitores secundùm carnem? ut agnoscerem qualem reverentiam DEUS velit à nobis exhiberi nostris Patribus ac Progenitoribus cùm eam ipse voluerit exhibere suis.

II. Ibid. Anno 1615. Vidi in meo cubiculo duos Viros gravissimos, quorum alter erat ornatus vestibus Regijs, habens coronam auream in capite; alter indutus vestitu Sacerdotali, magni pretij, more antiquo. Illis adstabant quidam Angeli quos alloquebantur. Ego fui afflicta & confugi ad DEUM, ut peterem ab ipso lumen, prout soleo. Sancti videntes quid ageretur in mea anima & meam confusionem ac timorem, paulatim cum tenerrimo amore mihi magis appropinquabant atque unus dixit: Quid habes Amica & Soror nostra? Noli timere; conquiescat ac solatio repleatur animus tuus & cor: non enim habes quod timeas, ego namque sum Rex David, & iste Beatus socius quem hìc vides est Sanctus Zacharias. (Pater Sancti Joannis Baptistæ) venimus nomine nostri magni DEI ac Domini & ipso volente ac jubente, ut te visitemus, nósque tibi promptos exhibeamus ad te juvandam ac defendendam, ubi opus fuerit.

III. Lib. 3. c. 11. §. 1. Ducta ad cælum ad conspectum Majestatis magni nostri DEI, posteaquam impetravi, ut pro Eleemosyna auferrem indè aliqua bona ac divitias pro mea paupere Anima, in eodem momento quàm velocissimè (quasi dicerem: properandum mihi est priusquam me hinc expellant) circumspexi & perlustravi illam cælestem Jerosolymam,

ac vidi gloriosum Sanctum Franciscum, subitóque petij à DEO, ut mihi daret modicum humilitatis, quam iste Sanctus habuit. Vidi deinde gloriosum Sanctum Dominicum & rogavi Dominum DEUM ut mihi daret modicum obedientiæ, quam iste Sanctus habuerat. Deinde aspexi & vidi Patriarcham Abrahamum & rogavi DEUM ut mihi daret modicum illius magnæ fidei & obedientiæ quâ fuit prædictus iste Sanctus Patriarcha. Et postquam ità collegissem, ac petivissem à Domino has virtutes, habui ingens solatium, fuitque mihi satisfactum.

IV. Lib. 6. c. 5. §. 2. Ducta ab Angelis ad quendam amœnissimum hortum, in cujus medio fuit cœnaculum, & in illo thronus ubi considebat Majestas CHRISTI JESU, qui est unicum Bonum nostrum, Mei quatuor Domini Angeli inceperunt canere præsente Domino & alijs multis Beatis Spiritibus, qui ibi erant; non omnes simul, sed singuli seorsim: incepit enim Minor & cecinit cantum, seu hymnum in laudem Divinæ Majestatis ejusdémque Bonitatis ac Misericordiæ, propter illam quam exhibuit peccatoribus, ignoscendo ipsis eorum peccata & adducendo illos ad cognitionem propriorum errorum, ac deinde ad suam gloriam, constituto ipsorum capite, Sancto Rege Davide, qui aderat præsens canente eodem Angelo de agnitione commissi peccati, quam ipsi DEUS dederat per Prophetam Nathan. Quo cantu finito assurrexit Sanctus Rex David deponénsque suam coronam prostravit se ad pedes Domini, penes quos illam collocavit, laudavítque ipsum ac benedixit, propter magnam gratiam quam ei præstiterat.

V. Lib. 4. c. 8. §. 3. Postquam agente Ven: Marina Gregorius Papa XV. Anno 1622. Secundâ Decembris jussit celebrari officium de sancto Joachimo in universa Ecclesia & id ei Anno sequenti in Februario innotuisset, tunc, ait ipsa, quo-

dam

dam die manè vidi gloriosum Sanctum Joachimum cum Beatissima Virgine, quam manuducebat, & postquam fecissem quod soleo, mihi timendo, Beatissima Virgo me salutavit peramanter, dixítque mihi: Soror venio, cum meo Sanctissimo Patre ad agendas tibi gratias, pro grato mihi obsequio præstito, quòd procuraveris quantum in te fuit, ut celebraretur festum mei Patris. DEUS te propterea remunerabitur, unáque ego. Meus Sanctissimus Pater adfert pretiosum cimelium, ut id tibi det, quod suscipe tanquam in gratiarum actionem. Sanctus Patriarcha se vertit ad Sanctissimam Virginem, dixítque illi: Filia & Domina mea, accipiat illud tua Majestas, detque ipsi sua manu, quia ab ista Creatura meliùs suscipietur ex tua manu, quàm ex mea. Quare Sanctissima Virgo accepit ex manu sancti Patriarchæ torquem aureum pretiosissimum, accedénsque ad me injecit illum meo collo. Obstupui & rapta sum extra me propter tantam gratiam atque ad me reversa non vidi meos Dominos.

VI. Postquam advenit dies sancti Joachimi, 20. Martij 1623. Institui ut quàm solennissimè ipsius Festum celebraretur in Monasterio sanctæ Annæ Recollectarum Monialium Ordinis sancti Francisci. At ecce pridie dum agerem cum DEO, dixit mihi sua Majestas: Anima non poteris frui festo quod instituis tuo Sancto. Veni mecum & frueris illo, quod in ipsius honorem agitur in cælo. Duxit me Dominus ad cælestem Jerosolymam vidique sanctum Patriarcham splendidè adornatum intrà ipsummet DEUM & in Divino illius pectore. Angeli in honorem ipsius celebrabant solenne festum decantando suâ cælesti musicâ laudes DEI & Sancti cum magno gaudio & jubilo ostendentes illum à se plurimi fieri. Sancti Veteris Testamenti etiam celebraverunt illius Festum & decantabant magnas ipsius laudes, dicebántque sibi ab eo fuisse ad Limbum allata nova de proximo adventu in mundum Filij

DEI. CHRISTUS Dominus illum summopere honorabat, compellando ipsum Patrem. Fui delibuta ingenti solatio & lætata sum in Domino propter hoc festum. Sequenti postea die quo dicebatur officium de sancto Josepho Sponso Beatissimæ Virginis, quia illius festum quod inciderat in Dominicam Quadragesimæ fuerat translatum, vidi gloriosam sanctam Annam venientem cum sancto Josepho & postquam diu fuissem reluctata, nolens ipsis loqui, gloriosa S. Anna mihi dixit: Dominus me ad te mittit, ut te visitem, dicámque tibi pertinuisse ad singulare ipsius obsequium id, quod præstitisti, procurando festum mei Conjugis, qui est magnus in Regno cælorum. Ego habui maximam gloriam accidentalem & gaudium in ejus festo. Considera quid velis à me fieri in tui gratiam. Cui ego respondi: Mea Domina nihil peto, nisi ut roges Dominum, quò mihi det suum lumen, pro cognoscendis ipsius veritatibus ut me conformem in omnibus Sanctissimæ ejus voluntati. Tunc mihi Sancti promiserunt quòd me essent adjuturi & discesserunt.

VII. L.4.c.8.§.2. Anno 1615. 25. Maji cùm essent apud me Beatissima Virgo, Sanctus Josephus, ac innumeri Angeli, ingressus est meum cubiculū quidam Sanctus proceræ, quamvis non inconvenientis staturæ, quem, habito cælesti lumine, agnovi esse sanctum Joachimum Patrem Beatissimæ Virginis. Venit indutus veste fuscâ, pro more sui temporis; accessit ad Sanctissimam Virginem cum magna reverentia & veneratione flexísque genibus, accepit ex ejus manu Sanctum Infantem JESUM in suas ulnas, atque dum ab illo tangeretur, illustravit ipsius vestem ingens splendor, quo antea carebat. Sanctus Infans amplexatus est suum Avum, svavissiméque illi est blanditus, pendens ex ejus collo. Surrexerunt deinde omnes, & exiverunt ex meo cubiculo. Præcedebat numerosa Angelorum multitudo, qui stabant apud portam, ac tum ibat Sanctus

ctus Joachimus, gestans parvulum in suis brachijs, quem sequebatur Beatissima Virgo, postea Sanctus Josephus, quo ordine processerunt inter cælum & terram, per aliud cælum medium, maximum & splendidissimum, recesserúntque tantopere, ut quasi disparuerint; semper illos tamen, licèt eminus, videbam. Totam hanc sanctam Societatem antecedebant duo sancti Angeli ex majoribus, quasi annunciantes pacem, ac dicentes, Patrem Æternum, propter merita JESU CHRISTI Domini Nostri, & Sacratissimum ipsius Sangvinem, proptérque preces sancti Patriarchæ Joachimi, suspendere exequutionem suæ Justitiæ, & pœnas, quas ipsius populus multùm promeruerat peccatis, contra ejus Majestatem commissis. Post has annunciationes, & promulgationes quasi pacis, reversa est ad meum cubiculum omnis illa sancta Societas, remanentibus ad portam sanctis Angelis. Introivit cum Sanctissima Virgine, & sancto Josepho sanctus Joachimus, ferens superbenedictum Infantem in suis brachijs & accessit ad meum lectum, flexítque genua, quasi ob reverentiam sancti Pueri, & postquam se collocavisset, ut illum mihi ostenderet, idem sanctus Puer, cum magno mutuo gaudio, amplexabatur sanctum Joachimum, ac attrectabat ipsius faciem, teneritudine & affectu nepotis, unáque dignatus est etiam me amplecti sanctus Pusio, & mea Anima fuit mirè exhilarata ab ipsius Majestate, sensítque maxima solatia: ego quoque affectu amantissimo illum disvaviabar, tanquam abrepta in ejus amorem. His, alijsque peractis, sanctus Patriarcha redijt ad sanctissimam Virginem, & abiverunt eo ordine, quo venerant, ego verò remansi plena solatijs, propter annunciationem pacis, & gratias acceptas.

VIII. Par. 2. l. 1. c. 22. p. 98. Anno 1625. 20. Martij feriâ quintâ. Manè vidi gloriosum sanctum Joachimum, qui gestabat in brachijs Sanctissimam Virginem Dominam nostram, quasi

quasi trimulam. Gloriosissima Domina habebat vultum conversum ad Sanctum, cujus humeros stringebat brachijs. Ego vidi ipsius dorsum, & erat induta vestibus longè pretiosioribus, quàm dici possit. Sanctus respiciebat locum, in quo eram, atque tum cœpit deprædicare tantas, ac divinas laudes, illius superbenedictæ Dominæ Filiæ suæ, & Genitricis DEI, modo, & sermone adeò sublimi, ùt à me nequeat explicari. Et postquam ipsam appellavit templum Spiritûs Sancti, Sacrarium Verbi æterni, multísque alijs admirandis titulis, exprimentibus excellentiam, potentiam, & gloriam illius Celsissimæ Reginæ, nec non singularia beneficia, quæ DEUS per illam contulit humano generi, imprimísque specialissimum illud, quod ipse sanctus à DEO acceperat, dum illum tam fortunatum effecit Patrem adeò admirabilis Filiæ; post hæc inquam, dicta S. procubuit in genua, & humi collocatâ benedictâ puellâ, quæ velut innitebatur ejus pectori, elevavit oculos & manus ad Cælum, gratias agens DEO, pro omnibus his beneficijs, rogánsque Angelos, qui multi cum ipso erant, ut se adjuvarent in gratijs agendis illi Summo Domino, à cujus bonitate ac liberalitate ea acceperat: quod ij Beati Spiritus fecerunt, cantando musicâ verè cælesti divinas laudes. Surrexit deinde S. Patriarcha, & apprehendens Præcelsam Virginem unâ manu, alterâ scipionem, repræsentando eam ætatem, quam habebat, & qualiter cum ea egerit, dum esset trimula: atque descendens quasi per gradus, ex loco alto, ubi omnia prædicta fuerunt gesta, venit ad locum, in quo eram, & accedens ad me, verbis mihi svavissimis ac discretissimis (observant enim quoadhoc Beati eum morem, qui ipsis in hoc mundo usitatus fuerat: & dubio procul modus agendi hujus Sancti, in vita ipsius, fuerit perquam discretus ac svavis) gratias egit pro affectu, quo jam indè ab infantia optaveram, ut ejusdem festum celebraretur in Ecclesia, quo die feliciter ex isto mundo migravit, diceretúrque de

de ipso Officium sicut de alijs Sanctis. Et quia meis industrijs tandem effectum est, ut hoc propositum executioni mandaretur, adjuvante Domino Andrea de las Infantas, quem dum ageret Consiliarium in Cancellaria Vallisoletana, plurimùm animaveram ad hanc devotionem, & induxeram, ut conatu possibili procuraret à sanctissimo Domino nostro facultatem celebrandi festi, & recitandi Officij de Sancto. Id ille ferventissimè, cùm esset Gubernator Hispalensis, præstitit per Canonicos, Romæ eo fine degentes, ut summus Pontifex definiret, Purissimam Virginem Dominam nostram fuisse conceptam sinè peccato originali. Quia verò Sanctus meminerat rei gestæ per Dominum Andream, quamvis mihi jam constiterit, ipsum post suum obitum existere in via salutis, cùm tamen ignorarem, an jam foret in Cælo, interrogavi Sanctum, & rescivi ex eo, animam illius jam quiescere inter Beatos: atque subjunxit Sanctus, multum ipsi à se collatum fuisse, propter devotionem, quâ illum coluit, seque eâdem ratione adjuturum sibi devotos. Augustissima Puella, Virgo Domina nostra, sedebat in meo lecto, quæ, dum finivi sermonem cum sancto ipsius Patre, me amabilissimè intuita, accedénsque ad me, dixit mihi quàm secretissimè, voce quâdam subtilissimâ (iste námque modus, & ille, quo DEUS animam in solitudine alloquitur, atque alius qui est instar spiritualis somnij, sunt tres modi loquendi, arcanissimi ac divinissimi, quantum ego sum experta) dixit mihi, inquam, in hoc secreto silentio: Optimum tibi & lætissimum adfero nuncium nomine DEI, quòd videlicet exaudiat, sitque exauditurus tuas preces, quas fundis pro Christianitate, ne illam hostes pessumdent bellis, quæ comminantur. Tum simul mihi valedicentes rediverunt, qua descenderant, atque ibi mihi disparuerunt. Glorificetur DEUS in æternum. Amen.

Lib.

IX. Lib. 1. c. 22. p. 99. Anno 1625. 22. Martij conſpexi glorioſum ſanctum Joachimum, ſtatímq; juxta illum conſpexi ſanctam Annam, & in ſanctis brachijs Sanctiſſimam Virginem inſtar parvulæ puellæ, quam, amplexans ipſam ac adſtringens ad ſuum ſanctum pectus, cæpit dulciſſime alloqui, extollendo graviſſimis, magni momenti verbis, ſublimes ac admirandas virtutes ejuſdem Dominæ, gratulando illi millies gratias à DEO acceptas, & ſpecialiſſimum modum, quo ijs bene fuerat uſa: ſéque demiſſiſſimis affectibus DEO gratum exhibebat pro beneficio ſibi ab eodem præſtito, dum talem ipſi dedit Filiam. De his omnibus tam prolixum ac dulcem habuit ſermonem, tantâ plenum gravitate, amabilitate, atque teneritudine, ùt opinione meâ, nemo mortalium talia poſſit proferre. His dictis poſuit Auguſtiſſimam Puellam ad brachia glorioſæ S. Annæ, quæ imitata Sanctum, ſimilia loquebatur, deprædicans excellentias illius Dominæ, & millenas DEO gratias agens, cum humili gratitudinis demonſtratione, pro data ſibi ea filia. Vix ſuum Sancta finiverit ſermonem, quando poſt ipſam, & ſanctum Joachimum vidi ſanctum Patrem Ludovicum de Ponte, indutum more Sacerdotum, non caſulâ, ſed pluviali, omnéſque tres ad me venientes, poſtquam ſanctus Joachimus ſanctiſſimam Virginem recepit ad ſuas ulnas. Tum ſanctus Pater Ludovicus procumbens in genua, accepit, cum profundiſſima reverentia, illam Sanctiſſimam Puellam Dominam noſtram, ex ulnis ſancti Joachimi, quam in manibus tenens, non admotam pectori, prout à ſanctis ipſius Progenitoribus admovebatur, ſic flexis genibus mihi obtulit, ut oſcularer ejuſdem pedes, quos ſum diſſvaviata cum magna teneritudine & conſolatione meæ animæ: atque Auguſtiſſima Puella ſe inclinavit, & attrectans manibus meas genas, oſculata eſt meam frontem, ac voce clarâ, quali loquuntur fæminæ, ætatis provectæ mihi dixit: Ave amica. Repoſuit ipſam deinde ſanctus Pater Ludovicus in bra-

brachijs Sancti Joachimi, & omnes reversi ad suum locum, ubi illos initio videram, discesserunt à me ac disparuerunt, relinquentes meam animam plenam svavissimo solatio. Benedictus sit DEUS ob suas misericordias. Amen.

X. Lib. 1. c. 22. pag. 100. Anno 1627. Die Sancti Josephi Divina Majestas mihi insinuavit velle se mihi præstare specialem aliquam gratiam. Ego propter meos timores divertebam. Tum mihi Dominus Majestatis svavissimè, & amantissimè dixit: Cessa Anima: nunquid enim non vis videre Patrem meum Josephum? ista fuerunt ipsius verba, & hoc titulo compellavit Sanctum. Postea vidi velut eminùs venientem Sanctum Josephum cum multis Angelis. Veniebat gloriosissimus, ac plenus splendoribus: & quanquam summam repræsentaret gravitatem, erat tamen illa conjuncta magnæ benignitati. Appropinquavit mihi, & salutando me peramanter mihi dixit: DEUS sit tecum Anima. Ego sum Joseph, Sponsus MARIÆ Virginis. & venio ad te nomine DEI ad te visitandam, atque consolandam. Dum viderem hunc admirabilem Sanctum, & audirem dulcissimum ipsius alloquium, fuit mea anima in suo DEO repleta singulari solatio, & considerans virtutes, atque excellentiam tam cælestis hospitis, cæpi illi cum omni devotione & affectu cordis dicere: O gloriosissime Sancte, tu felicissimus fuisti virorum, & super omnes exaltatus, qui in mundo vixerunt, atque à DEO sunt creati; siquidem tanta fuit tua felicitas, ùt sis electus in Sponsum illius, quæ futura erat Mater Incarnati Verbi Divini, & tu eundem Dominum, sudando ac laborando, educavisti & sustentavisti. O beate & Sanctissime Vir! Gloriosus Sanctus audivit me hæc sibi dicentem, & respondit mihi: Bene profecto dixisti Anima, bene dixisti: quia DEUS Dominus noster mihi tam magnum contulit beneficium, & insignem gratiam, ut essem Sponsus suæ Sanctissimæ Matris, servirémque Salvatori in e-

jusdem infantia: verè tamen tibi dico; beatum meum Patrem ac Dominum, gloriosum sanctum Joachimum, Patrem Sanctissimæ Virginis MARIÆ, à DEO in altiore & sublimiore esse constitutum gradu, quàm ullâ viventium in hoc mundo possit exponi lingvâ, aut comprehendi intellectu. Hunc beatum Patriarcham veneratur totum Cælum, & Angeli DEI illum suspiciunt, ùt Patrem MARIÆ Virginis, ac Avum Redemptoris. Est stupenda & propè infinita ipsius dignitas. Mea anima fuit maximo repleta solatio, audiens has laudes, quas mihi Sanctus referebat, de eo magno Patriarcha, quia illum pro viribus meis colo. Postquam mihi Sanctus ista dixit, movit pallium, acsi illud deponeret ex humeris, coruscando magnis splendoribus: atque dum ipsum tunc aspicerem, vidi, quòd in pectore haberet lucidissimam crucem unius palmi, quæ mihi talis fuit visa, támque admirabilis, ùt ab ea non potuerim avertere oculos, cum meo magno solatio. Videns me Sanctus ità constitutam, dixit mihi cum svavissima benignitate: Quid aspicis Anima? quid vides in ista Cruce, quod te tantâ afficit consolatione, & rapit in admirationem? Scias velim, crucem quam sum passus in mundo fuisse unicum meum thesaurum, omnem meam gloriam, omnem beatitudinem, plurísque à me æstimatam, & æstimari, velut acceptissimam Divinis oculis, quàm quòd sim Sponsus Beatissimæ Virginis MARIÆ, & quasi in meo sinu educaverim Redemptorem. Gravissima, & incredibilis fuit, quam duabus occasionibus sustinui. Primò, quando vidi prægnantem MARIAM Virginem, orta mihi indè incertitudo animi, cùm ipsam plurimùm amarē, fuit crux ex ijs, quas toleravi, longè maxima. Altera quoque erat acerbissima in exilio Ægypti, ubi vidi adorari idola, veri autem DEI ibi præsentis negligi cognitionem: affligebant me præterea opprobria, & vexationes, quas Sanctissima Virgo patiebatur ab illo impio & perverso populo; quæ mihi crux

du-

dubio procul accidit molestissima. Crux, quam tibi Anima, DEUS dedit, dátque ferendam, per decursum diuturnæ tuæ vitæ, est certè maxima, cùm fuerit interdum gravior tormentis Martyrum, qui suum pro CHRISTO JESU sangvinem profuderunt. Æstima illam, sicut debes, & age magno DEO nostro ac Domino magnas gratias pro tanta tibi ab ipso exhibita misericordia.

XI. Parte 1. l. 6. c. 5. §. 2. Anno 1615. in Julio cùm essem vehementer afflicta à doloribus & siti, duxerunt me mei Domini sancti Angeli, ad quendam amænissimum hortum, ubi post alia præsente Domino DEO & alijs multis beatis Spiritibus incepit meus Angelus Minor & cecinit cantum seu hymnum in laudem Divinæ Majestatis, ejusdémque Bonitatis ac Misericordiæ, propter illam, quam exhibuit peccatoribus, ignoscendo ipsis eorum peccata, & adducendo illos ad cognitionem propriorum errorum, ac deinde ad suam gloriam, constituto ipsorum capite, Sancto Rege Davide; qui aderat præsens, canente eodem Angelo, de agnitione commissi peccati, quam ipsi DEUS dederat, per prophetam Nathan. Quo cantu finito assurrexit Sanctus Rex David, deponénsque suam coronam, prostravit se ad pedes Domini, penes quos illam collocavit, laudavítque illum ac benedixit, propter magnam gratiam, quam ei præstiterat. Deinde secundus Angelus incepit decantare laudes DEI, & cecinit hymnum seu cantum benedicens Divinam Majestatem, propter gratiam præstitam Sancto Jobo (& alijs Sanctis Justis) quod illum ad se duxerit, viâ tam extraordinariâ afflictionum, & Crucis. Atque eo cantu finito, surrexit Sanctus Jobus, qui aderat, & provolutus ad pedes Domini ipsum laudavit ac benedixit, propter eandem misericordiam, & gratiam sibi exhibitam.

Caput III.

De Immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis.

I.

Quando jam advenit plenitudo temporis, ut Mater Verbo incarnando præpararetur, primò omnium providere oportebat, nè Matrem illam Dæmon præoccuparet, ut postea hospitium illud jam priùs temeratum, non nisi post expulsum & ejectum indè dæmonem, Filius DEI tardior Possessor ingrederetur. Huic ergo probro cavendo, necesse erat Sanctissimam DEI Matrem concipi sinè omni macula, adeóque decreto Universali, quantum ad peccatum Originale contrahendum, in Adamo non includi. De hoc præclarissimo, & toti per Orbem terrarum Christianitati dilectissimo mysterio, habuit Ven. Marina permultas elegantes Revelationes, quas in gratiam sincerorum ejusdem Cæli & Terræ Reginæ cultorum & Honoris ejus, etiam ubi ab Ecclesia necdum ultimo rigore præcipitur, promovendi studiosorum diligenter hìc annotabimus, ut etiam illi, qui hoc decus huic Sanctissimæ Matri Virgini, ejusdemque Divino Filio negant, videant quàm securè possint sententiæ piæ acquiescere, eam in Filio DEI non negando Filialem Pietatem, qui Matrem suam sic honorando, Filijs omnibus supremæ præbuerit erga Parentes Pietatis, in se ipso splendidissimum Exemplar.

II. Sic ergo Ven. Virgo Marina refert Parte 1. L. 1. c. 31. §. 4. Quâdam nocte fui quasi in somnis à diabolo & alijs socijs incutientibus mihi vehementes timores cum magna crudelitate, ac tumultu, rapta & suspensa per capillos, ut mihi videbatur, vel per collum, & collocata in quadam re altissima

ac

ac posita in aëre, ubi mihi inflixerunt multos & acres ictus quodam fune, qui habebat crassissimos nodos. Sustinui illud supplicium valde diu & diabolus mihi significabat, quòd me ità excruciaret propter devotionem, quam habebam & ingenerabam alijs erga Immaculatam Conceptionem Beatissimæ Virginis MARIÆ. Evigilavi ex somno afflictissima tam internè in Anima, quàm quoad molestiam & cruciatum Naturæ. Et fuerunt tanti dolores, atque confractio miserabilis corporis, ùt intrà quatuor vel quinque dies vix me potuerim movere, vel vertere in lecto. Toleravi cum solatio meum martyrium amore DEI & Sanctissimæ ejus Matris.

III. Lib. 2. c. 1. §. 2. refertur in die Nativitatis Beatissimæ Virginis à tota SSS. TRINITATE dictum: tota pulchra es Amica mea & macula non est in te: atque his verbis indicatam fuisse purissimam ipsius Conceptionem: prout infrà tota hæc revelatio adducetur pro Nativitate Beatissimæ Virginis.

Ibidem §. 3. sic habetur. Anno 1619. Sancta Anna mihi amanter dixit: Amica non potes intelligere, neque cogitando assequi, summum gaudium & jubilum, quo mea Anima exultavit, quamdiu in visceribus meis tuli purissimam Virginem MARIAM, meam Filiam; & illustrationes, quas habui à DEO ijs mensibus, ex quibus intelligebam id, quod ferebam in utero, esse quiddam valde admirandum ac Divinum, plurimùm commodi, ac boni allaturum universo mundo. Fuit autem MARIA Mater JESU purissima & concepta sinè macula peccati originalis. Quidquid opponitur, abludit à vero neque est credendum, sed nec dicendum ullà ratione. Hæc fuerunt verba Sanctæ Annæ.

Agens cum DEO audivi svavissimam musicam Angelorum laudantium, ac magnificantium Immaculatam Conceptionem Beatissimæ Virginis, & subitò vidi venientem cum ma-

gno Angelorum comitatu gloriosum Sanctum Joachimum Patrem DEIparæ, qui ipsam manuducebat cum summa reverentia, & amore. Erat instar puellæ parvulæ, duorum ac dimidij anni, aut paulò amplius: veniebat autē hæc Sacratissima pupula quàm amabilissimè intuens suum Sanctissimum Patrem, & vultu hilari, vicissímque Sanctus Pater ipsam intuebatur summo cum amore & gaudio. Tota erat vestita auro, & lapidibus pretiosis, qui erant similes Soli lucenti; vultus ejus & capillus fuit elegantior ac pulchrior, quàm dici possit, vel verbis explicari. Ingressa est hæc Domina meum cubiculum, quam statim Sancti Angeli, qui apud me erant, humillimè & reverentissimè genibus humi defixis venerabantur: Domina verò illa & Sanctus Joachimus ipsos aspexerunt jucundè & amanter: petitâ deinde veniâ, accesserunt illam suo ordine, osculaturi pedes Sanctissimæ pupulæ; quod tamen ipsa, tergiversando non admisit. Cùm autem aspiceret suum Patrem ille ei dixit: Filia ac Domina mea, porrige tuam manum tuis Sanctis Angelis. Tum extendit suam manum, quam habuerat aversam, applicuerátque lateri ad cingulum & illis porrexit, atque ipsi sunt eam reverenter osculati, & redierunt ad suum locum.

IV. Ibidem Beatissima Virgo promisit suam gratiam quibusdam personis eò quòd addictæ essent suæ purissimæ Conceptioni.

Ibidem. Vidi ingentem cohortem diabolorum, qui toti erant armati, & ferebant hastas mucronatas atque cuspidatas, ac edebant gestus quosdam truculentos, moliebantúrque assultum aliquem crudelem, ac terribilem, ut viderentur agi in rabiem, velléque invadere illud Sanctissimum mysterium; quod tamen nullâ ratione poterant, quia erant quasi ligati & vincti, ac impotentes ad invadendum. Quamvis autem quidam diabolus major ipsos animaret, & compelleret ac vexaret, ut agerent quod ipsis esset agendum, nihilominus erant magis im-

impotentes, & imbecilles, magisque deficiebant viribus. Mirata sum vehementer videndo istam ferociam diabolorum, & intellexeram hanc esse quandam figuram, quâ repræsentabatur id, quod accidit in mysterio purissimæ Conceptionis Dominæ nostræ.

V. §. 3. Alio die Nativitatis Anno 1617. post mediam noctem venit ad me invisendam Sanctissima Virgo speciosissima cum suo Filio infante, quem gestabat in brachijs, & accedens ad me dixit mihi: Accipe hunc Infantem Filium meum, qui est meus Redemptor, & verum est meum esse Redemptorem, quia ipsius sangvine ac meritis fui præservata à peccato originali. Ego renuebam illum aspicere, dicendo illi: Ergóne Domina, mihi illum das, ut tu absque illo remaneas! Respondit: libenter eum do omnibus qui illum volunt ex corde accipere, neque ego propterea ipso careo. Dedit mihi illum & sensi quod introivisset in me. CHRISTUS Dominus dixit mihi: Scito me venisse, ut tibi committerem aliquid concernens meam gloriam, & est, ut omnibus Sæcularibus & Religiosis, ac Monialibus, quibus cum versaris, svadeas devotionem erga meam Matrem, & ipsius Sanctissimam ac purissimam Conceptionem, immunem à peccato originali. Quando hoc audivi, fui recreata, & plurimùm animata, atque exhilarata, & respondi; Domine, faciam id quàm libentissimè & promptissimè.

VI. Anno 1617. dixerunt mihi Angeli in Vigilia Corporis CHRISTI. Constet tibi in Beatissimam Virginem Dominam nostram redundare magnum honorem in hoc festo, eò quòd fuerit Arca, in qua fuit clausus Filius DEI, factúsque est Homo, idem ipse qui existit in Sacramento. Tunc subitò inceperunt magnificè deprædicare Beatissimam Virginem, atque ipsius Immunitatem à peccato originali, jam indè ab ejus Conceptione, ac deinceps per totam vitam, assumptisque suis instrumentis musicis cecinerunt divinè VII.

VII. Lib. 2. c. 2. §. 3. Die Præsentatæ Beatissimæ Virginis Anno 1622. Agens cum DEO, more solito, vidi CHRISTUM Dominum Crucifixum, unáque Sanctum Patriarcham Joachimum, Patrem DEIparæ, qui juxta se habebat Sanctissimam suam Filiam, Dominam nostram, puellam triennem, stringens ipsius manum, quàm reverentissimè, & amantissimè, eidémque tenerrimè abblandiens, & Sanctissima Pupula similiter erga suum Sanctissimum Patrem præ se ferebat magnum amorem, & reverentiam. Dum contemplarer hoc mysterium, vidi diabolum qui aliquantum distabat à Domina nostra, & quasi volebat illam adoriri à tergo, ac inferre illi aliquod damnum; quod tamen non poterat destitutus viribus. Vidi etiam ex CHRISTO Domino Crucifixo prodeuntem quandam Divinam virtutem, instar parvæ gratiosissimæ nebulæ, quæ humectabat totam illam Sanctissimam puellam, eandémque reddebat formosissimam, ut adæquaret mille soles, plurimúmque illustrabat. Eximia fuit elegantia, bonitas, cæteríque Divini thesauri, quos vidi & agnovi in illa Sanctissima Domina, ut excedant captum omnis intellectûs. Diabolus fugit, ac evanuit. Sanctus autem Patriarcha subitò sustulit ad suas ulnas intemeratam Virginem, valde reverenter & amanter, intuebatúrq; ipsam & se in ea contemplabatur: amplexabatur etiam illã, & osculabatur, compellabátq; mille blandis verbis dicendo ipsi: Filia mea, Domina mea. Et Sanctissima Puella stringebat in suis brachijs collum sui Sanctissimi Patris, ac contemplabatur ipsum atque osculabatur cum magna honoris exhibitione. Sic illam Sanctus Patriarcha tulit ad me, ut ipsam venerarer, & contemplarer. Cùm esset apud me, vidi venientes plurimos sanctos Angelos, & adferentes quoddam pretiosum pallium, quo coopertum Sanctum Patriarcham cum castissima Pupula Domina nostra, quam gestabat in brachijs, tulerunt ad cælum, concinendo eximias laudes istius Dominæ; atque hoc modo illam

illam portaverunt quoad uſque effugeret meos oculos. Dictum mihi eſt, ſignificatum mihi in hoc myſterio fuiſſe, quòd puritas Conceptionis Dominæ noſtræ ſit attribuenda CHRISTI Domini crucifixi virtuti, ac meritis, quæ ipſi fuerunt ab eo applicata, quódque fuerit præſervata à lapſu in peccatum originale.

VIII. Lib. 4. c. 2. §. 3. Dixit Gabriel Archangelus: ſit benedictus noſter magnus DEUS in omnibus operibus ſuis, & miſerationibus, quarum una ex maximis mihi ab eo præſtitis, quámque ego æſtimo, & quâ ſupra modum glorior, eſt, quod ab inſtanti puriſſimæ Conceptionis hujus præcelſæ Virginis Matris DEI ſemper illi inſerviverim, ac adfuerim per totum decurſum ipſius Sanctiſſimæ Vitæ, quoad uſque cum corpore & Anima eſt aſſumpta ad Cælos.

Parte 1. L. 4. c. 9. §. 3. Feſto Sancti Joſephi Anno 1618. Me viſitavit Sacratiſſima Virgo cum ſuo Sancto Sponſo. Et ego ab illo petivi: Benedicte Sancte cùm perſpectam habeas puritatem hujus Dominæ, roga DEUM, ut declaretur myſterium ipſius puriſſimæ Conceptionis. Reſponditque Sanctus: quamvis DEUS ſit omnipotens, requirit tamen diſpoſitionem, ex parte ſuarum Creaturarum; faciam nihilominus quod dicis.

Lib. 4. c. 23. §. 5. In feſto Sancti Franciſci fui ducta in ſpiritu ad Cælum cum glorioſis ſanctis tribus Patriarchis Dominico, Ignatio, Franciſco, & Sacratiſſima Virgo Domina noſtra, aſpiciebat cum ſpeciali gaudio glorioſum Sanctum Franciſcum dicendo illi, eſſe ſibi ipſum charum, eò quòd ejus Religioſi defendiſſent ſuam puriſſimam Conceptionem.

IX. Lib. 4. c. 28. §. 1. In Decembri Anni 1616. Cùm ingens gaudium perciperem ex devotione quâ colebatur Intemeratiſſima Conceptio Beatiſſimæ Virginis, Divina Majeſtas me allocuta dixit: In quo ex his duobus, quæ proponam, major

jor favor exhiberetur & gratia cuipiam Principi Filiæ magni Regis? an si hic bene illi volens, eam præter morem vestiret, atque exornaret venustissimè; hoc verò facto, ipsam sineret abire, quocunque illam casus deduceret: atque si, ubi eadem Princeps abiens, lapsa fuisset in aliquo nonnihil difficili transitu, séque commaculavisset, tum Pater ejus ex amore, quo ipsam prosequeretur, cernens afflictam ac gementem, illi blandiretur, eámque pacaret, dicendo: Noli affligi, Filia mea dilectissima, propter maculam tuæ vestis, ego enim tibi dabo aliam, istâ elegantiorem; juberétque illam subitò exui eâ veste maculatâ, & indui aliâ elegantiore & pretiosiore? an verò, si idem Rex hanc Filiam suam adeò dilectam, postquam illam vestivisset, & venustè, ac admirabiliter exornavisset gemmis, apprehensâ ejus manu, sublatam in sua brachia ferret, ac traduceret per illum difficilem & periculosum locum, nè ibi caderet séque defædaret? Dic jam, quo ex his duobus tibi à me dictis modis existimas majorem favorem & gratiam à Rege præstandam suæ Filiæ? Intellecto ac percepto hoc discursu, respondi: Existimo, mi Domine absque dubio fore majorem gratiam, quam Rex præstaret suæ Filiæ, si ipsam manuduceret, ferrétque in suis brachijs, ditatam & exornatam à se gemmis, nè caderet, séque macularet, quàm si lapsam ac defædatam rursum vestiret, ac denuò ornaret. Bene est, dixit Dominus, bene est. Sed subijt ea mentem meam cogitatio, quomodo ista comparatio Regis, qui tam splendidè exornaret suam Filiam, quæ postea cecidisset séque maculavisset, adaptari potest Sanctissimæ Virgini, eò quòd ipsa non fuerit exornata, neque habuerit ulla merita, antequam esset. Dixi id Domino, & Divina Majestas mihi respondit: Bona est comparatio: quia ego in mea æternitate, & in mente mea Divina, istam creaturam elegi in meam Matrem, ipsámque prædestinavi, & in mea prædestinatione jam indè extitit, modo à me explicato. Paulò pòst

pôſt conſpexi duas nubeculas, unam candidam & pulchram, & alteram veluti fuſcam, à qua erat quaſi obumbranda prior, ſed Dominus ipſam detinuit. Et intellexi primam fuiſſe corpuſculum recens formatum Virginis, alteram verò culpam originalem, quæ illud erat occupatura, ſed eſſe inhibitam à DEO.

X. Ibidem §. 2. Dum Dominum & ejus Matrem quàm inſtantiſſimè rogarem, ut felicem ſorteretur exitum negotium declarandæ Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis in Decembri Anno 1617. Ipſa me eſt allocuta, ſignificando mihi, me id bene ac rationabiliter petere à Domino, & dixit: Anima mea, ego non nego, ſed fateor, me eſſe Filiam meorum Parentum: Verùm noveris, Dominum Majeſtatis ex mera ſua bonitate & clementia mihi præſtitiſſe eam gratiam & miſericordiam, ut me præſervaret à lapſu peccati originalis; id quod fuerat ab æterno decretum in Conſiſtorio Sanctiſſimæ TRINITATIS, ibidémque erat conſtitutum, ut Virgo, in qua Verbum Divinum erat aſſumpturum Carnem humanam, eſſet puriſſima & mundiſſima ab omni macula, & immunis à nævo peccati originalis, atque hoc eſt certiſſimum.

Alio die, in Aprili Anno 1618. Cùm poſt Sacram Communionem DEUM orarem ut hanc veritatem illuſtraret, reſpondit Divina Majeſtas: Nónne vides? Nunquid enim mihi erat aſſumenda caro ex fæmina, quæ fuiſſet maculata peccato? indicando, id non fuiſſe conveniens infinitæ ipſius Bonitati.

Alio die mihi dixit Sanctiſſima Virgo, agens de hoc myſterio: Scias velim, pluris à me fieri gratiam, quòd non fuerim vel per momentum ſubdita peccato, & inimica DEI, quam quòd ſim ab eo aſſumpta in Matrem.

XI. Lib. 4. c. 29. §. 1. Quodam die mihi DEUS dixit, accommodando ſe meæ timidæ ac vrerecundæ naturæ. Nónne

aliquid faceres in mei gratiam? Non ageres gratias Regi Philippo pro obſequio, quod mihi exhibet, dum piè tuetur puriſſimam Conceptionem meæ Sanctiſſimæ Matris? Quia ſentiebam ingentem difficultatem in ejuſmodi rebus, rogavi illum humiliter, nè mihi id mandaret. Et poſtquam multis hac de re egiſſem, quæ brevitatis ergo omitto, Sanctus meus Angelus Cuſtos, loquens mihi in intimo & ſecretiſſimo Animæ meæ receſſu, dixit hæc verba: Quod te ſcribere oportet ad Regem Philippum eſt hoc: Rex domine noſter, millies tibi exoſculor pedes, propter eximium obſequium, quod præſtas Domino DEO noſtro, ac Sanctiſſimæ ejus Matri & propter magnam gratiam, quam nobis omnibus facis, dum tanto pietatis ſenſu honoras ac tueris Puriſſimam Conceptionem hujus Dominæ noſtræ. Dominus te idcirco remunerabitur; id quod ego ab eo ſuppliciter petam in meis indignis precibus. Quid in hoc habes difficultatis? ajebat Angelus. Poſt biduum vel triduum mihi rurſum Angelus eſt locutus, dicendo: DEUS ſit tecum, ſerva DEI, & Soror noſtra. Conſtet tibi, me eſſe ad te miſſum à Domino Majeſtatis, ut tibi id perſvadeam, de quo tecum eſt locutus. Vult verò, ut ſtatim exequaris, quod tibi mandatum eſt, & injunctum; hæc enim eſt ipſius Divina voluntas. Ego timens, nè Dominus indignaretur, propter repugnantiam, quam oſtenderam, dixi illi: Sancte Angele, ob quam cauſam te Dominus miſit ad ferendum mihi iſtud nuncium, & quare mihi non dixit id Divina Majeſtas, ſicut aliàs conſvevit? Eſtne fortè iſta, quod fuerim tam incircumſpecta & inurbana: & dum mihi ſignificaret, quid in hac re fieri vellet, ſim illi obloquuta, exhibendo me ipſi difficilem? Non eſt hæc, dixit Angelus, ob quam tibi Dominus non loquitur per ſe ipſum; ſed quia mihi voluit præſtare iſtam gratiam, ut me conſtitueret ſuum Legatum, qualem præſtat ſuis Angelis, & præſtitit Sancto Archangelo Gabrieli, mittendo ipſum tanquam ſuum Lega-

Legatum, ad Beatiſſimam Virginem, in negotio tanti momenti, quanti erat Incarnatio Filij DEI. Et animadverte, quid hæc Domina reſponderit ad nuncium Angeli, dicendo tandem: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Atque hoc ſuppoſito, quid reſpondes ad id, quod tibi dixi nomine DEI. Id ipſum ajebam ego, quod reſpondit mea Domina, Virgo MARIA, cujus ſum ancilla, & dico: Ecce viliſſimus vermis & creatura Domini, fiat in me voluntas ejus, quia eadem eſt mea, nec aliud volo ac deſidero. Bene eſt, dixit Angelus, vale. Subitò deſijt videri à mea Anima. Et ſcripſi Epiſtolam ad Regem Philippum Tertium ſicut mihi fuerat imperatum.

XII. Aliam Epiſtolam juſſit illam ſcribere deinde ad eundem Regem, adhibitâ operâ duorum Angelorum, cum multis circumſtantijs, dicendo illi, ut ei ſcriberet, expedire ad Majorē gloriam Domini DEI, & obſequium ipſius ac Sanctiſſimæ ejus Matris, ut Epiſcopatibus ac Prælaturis Hiſpaniæ proſpiciat de perſonis, non ſolùm bene meritis, ſed etiam qui teneant & profiteantur ſententiam de Puriſſima Conceptione Beatiſſimæ Virginis conceptæ ſinè peccato originali. Hæc Epiſtola fuit ſcripta ac tradita ipſimet Regi ad manum.

XIII. Alias literas exaravit ad Reverendiſſimum Patrem Provincialem ordinis Prædicatorum, Fratrem Dominicum Pimetellum in hæc verba, prout refertur Parte 1. Libro 4. cap. 29. §. 1.

DEUS ſit in Anima tuæ Paternitatis, détq; ipſi ſuum Sanctiſſimum ac Divinum Amorem.

Reverendiſſime Pater, bene advertit Tua Paternitas, quàm timidè ac verecundè egerim, eò, quòd non fecerim, quod debeo, ut clarè ipſi loquerer de negotio Puriſſimæ Conceptionis SS. Virginis MARIÆ Dominæ noſtræ. Non feci bene, ùt dico, & Dominus DEUS noſter Majeſtatis me propterea reprehendit:

Quia postquam mihi injunxisset, ut exponerem ac dicerem, quod intellexeram à Divina Majestate, de veritate hujus Sanctæ doctrinæ, designavissetque mihi Viros graves, & sapientes ac Religiosos, atque ex Ordine Nostro, quibus id dicerem; postquam etiam fuissem obsequuta obedienter, quoad cæteros, id quod per DEI misericordiam habuit optimum successum; tantum cum tua Paternitate, quæ erat ex designatis, quibuscum mihi erat agendum fusiùs, egi timidè & verecundè. Nollem hunc defectũ utriq; imputari, quòd ego sim inobediens, Tuæ autem Paternitati, nescio desítne dispositio. Negotium in eo versatur, mi Domine; quòd sit infallibilis veritas, Sanctissimam Virginem MARIAM Dominam nostram fuisse conceptam sinè peccato originali; quod scio ab ipsomet DEO, qui est veritas infallibilis, quæ non potest falli, neque nos fallere. Et quia hoc est præcipuum, sufficiat. Omitto allegare Sanctos & Nostros, quemadmodum etiam possem. Benedictus sit DEUS! Cùm ità sit, obsecro Tuam Paternitatem, quàm maximè possum, & rogo Nomine DEI, in cujus versor præsentia, dum id dico; expendat hanc rem bene, & amplectatur ex corde, atque credat, esse veram istam sanctam sententiam, quam plerique omnes tenemus, ad majorem gloriam Domini DEI nostri, & Sanctissimæ ipsius Matris, animetq; se Tua Paternitas ad id, siquidem ista sancta doctrina æquè potest teneri propter honorem Sanctissimæ Virginis Dominæ Nostræ, & tenenda est quia est vera, ac summus Pontifex nobis concessit, ut ipsam honoraremus, eique faveremus, volens, ut ista doceatur pro concione, & contraria, quoad id, prematur silentio. Hoc est quod fieri convenit, & quod DEUS vult à tua Paternitate. Atque id sufficiat, amore DEI. Divina Majestas Tuam Paternitatem conservet, exornetque cumulatè donis cælestibus ipsius Animam. Ex Domo, die Martis.

MARINA DE ESCOBAR.

XIV.

XIV. Ibidem §. 2. Ut autem intelligerem, inquit, quantum DEO placeat, si fiat quod ipse jubet, etiam si non sortiatur statim optatum exitum, dignatus est mihi manifestare, quid contigerit eo tempore, quo meæ literæ fuerunt traditæ Reverendissimo Generali Sancti Dominici, quia juxta bonas conjecturas, tunc accidit hæc visio. Cùm vacarem orationi in Januario 1617. Converti oculos Animæ ad meos Dominos quatuor Angelos, & vidi illos splendidissimè indutos, atque exornatos auro purissimo cælesti & gemmis. Obstupescens dixi illis: Domini mei, nónne mihi dicent, quare sint taliter ornati, & præter morem gloriosi? id enim fieri consvevit, quando speciale festum celebratur in nostra Ecclesia, & Dominus Majestatis vult, ut celebretur ac honoretur in cælesti Jerosolyma: verùm ego modò neque video neque percipio ullam talem solennitatem. Solennissimum festum agitur, Soror, dixerunt illi, in cælesti Jerosolyma hoc die. Et ratio est, quia hodie per te Nomine DEI & Sanctissimæ ipsius Matris intimatur Ordini Sancti Dominici, quæ sit Sanctissima ejus voluntas, quoad opinionem, quam ab illis vult teneri, de materia Purissimæ Conceptionis Dominæ nostræ. Illud festum solennissimè celebramus Sancti Angeli in cælesti Aula. Audiens id ab ipsis dici, obstupui, dixique illis: Estne possibile, mei Domini, quòd propterea celebretur tantum festum? & quòd hoc DEO fuerit tantopere gratum, eique placuerit? Tunc, dummodo DEO gratum esset, ac placeret, ut dicerem, quod ea de re sciebam, concepi desiderium id ipsum exponendi ac indicandi ipsius nomine universo Ordini Sancti Dominici, quemadmodum faciebam.

XV. Et §. 3. Refertur ingens cæleste donum, quod ei Beatissima Mater contulit in præmium pro eo, quòd conata sit divulgare Immaculatam ejus Conceptionem.

Ibidem §. 4. Quodam die audivi solennem musicam in cæ-

cælo, & vidi descendentem Sacratissimam Virginem cum qua veniebant multi Sancti & Sanctæ. Postea Beata Virgo incepit ascendere ad Cælum per quosdam veluti gradus & cum illa Sancti & Sanctæ ordine geminato, atque ego unà cum ipsis. Ubi Sacratissima Virgo fuisset ingressa cælum, venisétque ad Thronum Beatissimæ TRINITATIS, hæc illi dixit: Tota pulchra est Amica mea, & macula non est in te. Et cùm subitò apprehendisset Beatissima Virgo meam manum, dixit ad Patrem æternum: Domine ista est amica mea, & famula tua, Marina. Quale præmium ipsi vis dare pro obsequio, quod tibi exhibuit, promulgando, ùt potuit, meam Purissimam Conceptionem? Dominus illi dixit, se permittere, ut mihi pro suo arbitrio daret ejus nomine, quidquid vellet. Hoc audito, Beatissima Virgo imposuit elegantem torquem meo collo, dicens mihi: Accipe istum torquem in signum doni perseverantiæ, quod tibi do nomine Filij mei. Ac deinde me exornavit alio pretiosissimo, dicendo eum esse pignus præmiorum, quibus postea essem fruitura, brevi enim me migraturam.

XVI. L. 4. c. 30. §. 1. Quodam tempore circumtuli oculos Animæ & conspexi Beatum Sanctum Thomam, qui mihi gravi quodam & sapientissimo modo dixit: Soror, exhibe mihi istam charitatem, & gratiam, amore DEI, ut dicas meis Fratribus, me, si fortè cogitant, quòd me honorent, mihíque rem faciant gratam ac præstent obsequium, dum defendunt opinionem, quæ nunc tantopere discutitur de Sanctissima Conceptione, ipsis significare, mihi hac in re nullum exhiberi ab illis obsequium, neque ullum deferri honorem. Dic illis id, ob reverentiam DEI, quem amas & ejus Matris. Atque hoc dicto mihi valedixit & abivit. Ego vehementer obstupui talia DEI opera, & quod mihi fuerat dictum à Sancto.

Cùm id scriberem, & pervenirem ad verba, quæ dixit Sanctus Thomas de Sancta Conceptione Dominæ Nostræ, sub-

ſubſtiti, rogans DEUM, ut illuminaret meum intellectum ac memoriam, nè alia ſcriberem verba, quàm dicta à Sancto. Ità me hæſitantem Domini mei Angeli, & alij cæleſtes Palatini, inceperunt valde potenter urgere, dicendo: Ità dic, Soror, ità dic, quia, ità tibi dicendum eſt, & ità dixit Sanctus. Dic ità. Ideóque fui compulſa, ad hoc ſcribendum.

XVII. Aliâ vice vidi Sanctiſſimam Virginem inter Sanctam Catharinam Senenſem & Sanctam Luciam. Sancta Catharina Senenſis me intuita, quàm amantiſſimè & jucundiſſimè dixit mihi: DEUS ſit tecum Soror. Et tangens ſuâ manu Sanctiſſimam Virginem, dixit: Aſpice, mea Amica, aſpice iſtam Sacratiſſimam Dominam noſtram, tam ſanctam ac Divinam, tam admirabilem, & tam ſpecioſam ac pulchram, tam puram & mundam ab omni macula, atque ab omni culpa ac peccato, quo nunquam fuit contaminata, nec quidem Originali, quod eſt verum.

XVIII. Ibidem §. 2. Die glorioſi S. Dominici horâ tertiâ matutinâ in Auguſto Anni 1622. me eſt dignatus idem Sanctus Patriarcha inviſere comitantibus ipſum multis Sanctis ex Sacra ejus Religione & magno numero Angelorum DEI. Duxerunt me ad Eccleſiam Conventûs illius in hac urbe, ubi vidi Majeſtatem CHRISTI Domini, & ipſius Sanctiſſimam Matrem, qui habebant in medio glorioſum Sanctum Dominicum, quaſi illum in domo ejus & Feſto honorantes. Poſtea CHRISTUS Dominus noſter bene precatus eſt Inſtituto Ordinis Sancti Dominici, ac deinde omnibus ipſius filijs quàm affabiliſſimè & amantiſſimè. Poſtea vidi venientes multos Religioſos Ordinis ex ijs, qui etiamnum degunt in carne mortali, ad ferream cratem Collegij Sancti Georgij, quorum erat ingens numerus, & quoſdam agnovi. Ibant autem bini, & comitabantur ipſos multi Angeli DEI. Accedebant locum in quo erat CHRISTUS JESUS, unicum noſtrum Bonum, &

ipſius Sanctiſſima Mater, ac Sanctus Patriarcha, ibíque ſe proſternebant, ac ſtatim modicùm erigebant, & Dominus illis benedicebat, imponebátque ſuam Sacram manum capiti ſingulorum, peramanter & affabiliter. Deinde Beatiſſima Virgo illis eſt impertita ſuam benedictionem, quæ imponebat cum magna benevolentia ſuas Sacratiſſimas manus ſingulorum humero, quaſi illis agendo gratias pro devotione, quâ afficerentur erga ejus Majeſtatem, & Puriſſimam ipſius Conceptionem: omnes enim illi qui advenerant, tenebant piam opinionem; & hi ùt dico, erant multi. Dixítque illis, ſe ipſis ſemper gratificaturam, & futuram eorum ſpecialem Advocatam, neque illos unquam deſerturam. Sanctus quoque Patriarcha illis bene precatus eſt cum magna charitate. Dum ſpectarem hoc myſterium cum magno meo ſolatio, audivi, quòd venirent colloquentes à ferrea crate ejuſdem Collegij multi Angeli, & diſſerentes cum quodam Patre gravi Ordinis, ac pereruditо mihi bene noto. Hic veniebat cum Sancto Doctore Thoma, qui ipſi magnas agebat gratias pro eo, quod fecerat in favorem piæ opinionis de Sanctiſſima Conceptione. Mox vidi venientes alios multos Angelos, qui comitabantur alium Patrem gravem ejuſdem ordinis, quem etiam novi, veniebántque loquentes cum ipſo de eadem materia, & hi duo Patres ſimul, qui hodiéque vivunt, fuerunt ducti ab Angelis ad conſpectum CHRISTI JESU Domini Noſtri, & Sanctiſſimæ ejus Matris, ac Sancti Dominici, dederúntque ipſis benedictionem eodem modo & ordine, quo reliquis.

XIX. Ibidem §. 3. Aliquando vidi quendam Beatum Religioſum ex Ordine Sancti Dominici, qui exceperat meas Confeſſiones per aliquot menſes. Salutavit me jucundé; & cùm illum intuerer, vidi quod ſuſtineret manibus nonnihil elevatam veſtem ſuperiorem, in qua habebat multas gemmas, & illis immixtos flores ſvaviolentes, quamvis eos tunc non viderim,

rim, donec Sanctus expanderet habitum, & mihi ipsos ostenderet, dicens cum magno gaudio: Aspice, Anima, quid tibi feram, ut videas, & recreeris in Domino. Magno me affecit solatio aspectus eorum thesaurorum, quia mihi videbantur esse magni pretij & valoris. Interrogavi ipsum: Quales thesauri sunt isti? & quales flores? respondit mihi: hæ gemmæ, quas hìc vides, sunt symbolum, & repræsentant magnum valorem ac pretium sententiæ, quam tenent non nulli Religiosi nostri sacri ordinis, de Purissima Conceptione Beatissimæ Virginis. Hi flores autem sunt figura & repræsentatio opinionis contrariæ, quam tenent cæteri Religiosi nostræ Religionis. Scito, quòd DEUS mihi dignatus sit injungere hoc munus, ut colligam istas gemmas, & hùnc fructum ac flores, atque cùm ab eo fuero jùssus, illos exhibeam ac offeram Sanctissimæ Virgini Dominæ Nostræ, nomine omnium Religiosorum nostræ sanctæ Religionis, quæ libentissimè hoc donum suscipit, & gratissimo animo: gemmas, propter veram sententiam; & flores, propter bonam intentionem ejus, qui illos offert.

XX. Lib. 4. c. 31. Conspexit venientem Gloriosum Sanctum Ildephonsum voluisse docere Concionatores modum publicandi in quavis Concione Purissimam Conceptionem Beatissimæ Virginis, cui fuerat tantopere addictus in vita. Cùm enim eo tempore Vallisoleti sæpe concionaretur, loci Episcopus D. Franciscus Sobrinus, quem Marina optimè noverat, & quo frequenter usa fuerat conscientiæ arbitro, essetque quasi afflicta, quòd non posset audire ullam concionem, dixerunt ipsi illius Angeli: Noli affligi, brevì enim aliquam audies, quæ tibi magnum adferet solatium. Subitò conspexi venientem Gloriosum Sanctum Ildefonsum, qui in admirabili cathedra ibi extructa, superponens manum uni ejus lateri, & alteram alteri, exorsus est dicendo: Laudetur Puris-

ſima Conceptio Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, immunis à peccato originali.

Ibid. §. 1. Dominus Franciſcus Sobrinus Epiſcopus Valliſoletanus profectus Madritum, vocatus à Rege Philippo III. ad negotia concernentia Conceptionem Beatiſſimæ Virginis, atque tum vivere deſijt in Januario Anni 1618. Paulò pòſt comparuit MARINÆ, gaudens, dixitque ipſi: Conſtet tibi, me in hora mortis meæ habuiſſe ingens ſolatium, propter obſequium, quod exhibui DEO, & Sanctiſſimæ ipſius Matri, in defendenda ejus Puriſſima Conceptione. Tum, ait ipſa, ego illum interrogavi: Dic mihi autem, Sancte Pater, quid hoc ſuper argumento ibi reſciviſti, & quid vidiſti? Reſpondit mihi peramænè: Quod intellexi, defendi, & credidi, id hìc vidi & cognovi; atque hoc dicto à me diſceſſit, relinquens me in quodam raptu meæ animæ. Poſt biduum oblatâ mihi quâdam occaſione loquendi de materia hujus Sanctæ Conceptionis, cum aliqua perſona, dum hac de re cogitarem, alloquutus eſt me iterum, & cum magno ardore, bis terve eadem verba repetens, mihi dixit: Noli eſſe timida, noli eſſe timida, neque pudibunda in loquendo de hoc argumento, nec intermitte promovere, pro viribus, hanc Sanctam opinionem, quam tenes.

XXI. Ibidem §. 2. Per idem tempus, quidam Religioſus Sancti Dominici diſſerens de hac materia, aperuerat cauſam, ob quam non crederet his novis revelationibus, dicendo: Quare, cùm DEUS poſſit inſpirare Pontifici hanc veritatem Conceptionis, id non faceret? & quomodo manifeſtaret res tam admirandas uni fæminæ? eſſeque rem valde difficilem, cogitare, quod iſta fæmina poſſit integram Religionem perducere in ſuam opinionem. Devenit hæc res in notitiam MARINÆ, cúmque ea ipſa eam perpenderet, agens cum Domino dicta illi fuerunt ab eo iſta verba: Nunquid ego fortè opus ha-

habeo magnis instrumentis, ut loquantur admirandis & stupendis operibus id, quod ego volo facere? Nunquid pro subjiciendo mihi mundo, & fundanda mea Ecclesia, elegi magnos & eximios sapientes? Non profectò, sed pauperes & rudes piscatorculos, qui exercebant suis refectis retibus hanc artem? Et nónne cùm loqui possem per me ipsum, & per Angelum, vel alió modo, quo voluissem, loqui, volui per asellum Prophetæ Balaam, & sæpe loquor per innocentes infantes, ac per simplices & idiotas: neque cupio aut volo loqui cum ijs, qui suo intellectu & ingenio naturali volunt humanæ similem reddere Scientiam meam Divinam, volúntque indagare veritatem meorum judiciorum, & illa penetrare atque scrutari, cur non fiat hoc, & cur fiat illud; quos opportet animadvertere, nè se intromittant in explorandam veritatem meorum sapientissimorum judiciorum? Estne fortasse mihi quidpiam novi, loqui cum humilibus & parvulis, ac bene dispositis; nec non facere magna opera per debilia instrumenta? Antiquum est id, ac ordinarium, atque dignissimum meâ Majestate ac Sapientiâ, & facio, quod volo, pro meo libitu, non indigens ullâ re, vel quoquam homine. Unde discitur ac discendum est, quid sit infinitudo meorum judiciorum, ac tenuitas & exiguitas humanæ scientiæ.

XXII. §. 3. Vidi quodam tempore in meo cubiculo Sanctum Dominicum & Sanctum Ignatium. Ac Sanctus Dominicus intuitus me dixit mihi: Nos Soror venimus ità jubente & facultatem concedente DEO, ut tibi referamus gratias pro eo, quod fecisti & scripsisti de hoc argumento concernente Purissimam Conceptionem Beatissimæ Virginis, dicamúsque tibi, quam id bene factum sit, quámq; fuerit gratum DEO, & Sanctissimæ ejus Matri. Habe solatium in Domino, qui te propterea remunerabitur. Hoc audito, quodammodo obstupui, & fui mihi erepta, atque confugi ad DEUM, quia propter

meos timores omnia mihi videbantur nova; & paulò pòst redij ac petij mihi ignosci à Sancto, qui mihi dixit: nè te idcirco affligas, Soror. Tum dixi: Benedicte Sancte, ego sum miserabilis peccatrix, & obnoxia cuidam defectui, quem existimo esse superbiam, estque iste, quòd mihi aliquando veniat in mentem, quasi eminus: si Papa definiret contrariam nostræ opinionis, & ijs quæ scripta sunt de dicta materia, quid de me fieret? & quales essent afflictiones meæ Animæ, dum arbitrarer, me erravisse? quia veritas & quod oportet credere, est illud, qud definiverit Papa. Noli affligi Soror, dixit Sanctus nec admitte istam cogitationem, neque illam cura. Permitte id DEO nec puta esse superbiam, cùm non sit; sed effectus nimiorum tuæ Animæ timorum. Hinc mea Anima percepit solatium, & fuit recreata. Deinde mihi dixit: Dices meis dilectis filijs (& nominavit mihi duos) me ipsis agere gratias, pro charitate, quam tibi exhibent, quódque crediderint ijs, quæ scripta sunt; & à Domino Majestatis, atque à Sanctissima ejus Matre, favore & gratiâ cumulandos omnes bene affectos Purissimæ Conceptioni Dominæ Nostræ, ac Matris DEI. Hoc dicto rogavit cum humili reverentia Sanctum Ignatium, ut me alloqueretur, diceretque mihi etiam, ac annuntiaret, cur venisset nomine DEI, ut sic integrè adimpleretur id, quod ipsis erat injunctum & ego majorem acqnirerem notitiam illius veritatis, magísque recrearer, & plus caperem solatij.

XXIII. §. 4. Tum Sanctus Ignatius, conjectis in me oculis, mihi dixit: Soror & Filia nostra dilectissima: scias, velim, persvadeásque tibi indubitanter, Domino DEO nostro Majestatis, ejúsque Sanctissimæ Matri, plurimùm placuisse omnia ea, quæ fecisti & scripsisti concernentia materiam, de qua est loquutus Beatus Sanctus Dominicus, Purissimæ Conceptionis Dominæ nostræ. Gaude & solatium habe in DEO. Dices etiam Fratri Nostro, & Filio dilectissimo, magnopere Do-

Domino DEO ac Sanctiſſimæ ejus Matri, factum illius placuiſſe, & quod te hac in re juverit, idque à Divina ipſius Majeſtate illi compenſandum maximo præmio, ac fore, ut ei gratificetur. Mihi quoque idem ſummè placere, agereque me ipſi gratias, & feciſſe illum mihi in eo rem gratiſſimam, facturúmque ſemper acceptiſſimum, dum tibi ſuccurrerit in omnibus, ſolicitúſque fuerit de te, ac de ſpectantibus ad Animam tuam, & ſolatium tuum, tanquam de re propria. Hoc illi ex me dices, abſque tergiverſatione.

Deinde donârunt hi duo Sancti ei duas roſas albam & rubram, quas ſervavit ei Sanctus ejus Angelus Cuſtos, qui eas poſtea ei roganti ſic explicuit. Roſa alba quam mihi pro te obtulit Sanctus Dominicus, repræſentabat & ſignificabat veritatem myſterij, quale eſt in ſe ipſo Puriſſimæ Conceptionis Dominæ Noſtræ; rubra verò quam mihi etiam pro te obtulit Sanctus Ignatius, repræſentat ac ſignificat, verè ac fideliter omnia de hoc argumento à te eſſe ſcripta.

XXIV. §. 5. Pater Magiſter Frater Laurentius Gutierrez Ordinis Prædicatorum inſignis Eccleſiaſtes ac Defenſor Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis, qui cùm eſſet RectorCollegij Sancti Gregorij Valliſoleti ſæpe egerat cum Venerabili Marina, in vigilia Conceptionis Toleti Anno 1623. obijt. Dein 16. Decembris, ait Venerabilis Marina vidi Angelos multos intrantes meum cubiculum cum palmis. Poſt ipſos ſunt ingreſſi quidam Sancti ex Ordine Sancti Dominici, & Sanctiſſima Virgo Domina noſtra, ac Sanctus Thomas de Aquino, deducentes in medio Animam Patris Magiſtri Fratris Laurentij, geſtantis palmam in manibus, & redimiti pretioſa corona, qui erat valde hilaris, contentus, reſplendens, quòd jam in Cælo frueretur DEO. Sanctiſſima Virgo incepit loqui, & ſalutavit me ac dixit: Soror, adduco tibi hîc virum generoſum, qui eſt concionatus de mea Puriſſima

ma Conceptione, eandémque publicè docuit, ac propterea illum fovi, & juvi, usque dum illum perducerem ad statum Gloriæ, quâ, ùt vides, fruitur; & Dominus meus illi contulit talia auxilia, & subsidia in ipsius morbo, atque ipse, tam bene est ijs usus, me adjuvante, ut potiatur jam bonis æternis, datáque sit ipsi palma & corona victoriæ. Deinde Sanctus Thomas idem dixit: Iste est vir generosus, qui tuitus est honorem meæ Dominæ, & ipsius Purissimam Conceptionem. Ad hæc omnia, Sanctus Vir siluit, & cum ingenti gaudio ac lætitia me salutavit, dixítque: DEUS tibi rependat, Famula DEI, beneficium, quod mihi præstitisti, quia propter tuas preces, ac gemitus, quos DEUS exaudivit, eidem placuit, ut multi Religiosi meæ Sacræ Religionis, & ego habuerim, ipsíque habeant jam hoc Sanctum propositum, profitendi istam veritatem, Purissimæ Conceptionis Sanctissimæ Virginis Dominæ Nostræ, immunis à peccato originali; & quia ego sum de illa concionatus, data mihi est hæc palma & corona. Valedixítque mihi dicendo: Volo tecum dividere istam palmam. Et decerpens ex illa unum ramusculum, dedit mihi ipsum, admovénsque manum coronæ, sustulit ex ea gemmam splendidam, quam mihi tradidit, atque tam illum, quàm hanc intromisit in me, ac addidit: Referes hanc visionem meis amicis ex meo ordine, quibus tibi videbitur; nominavítque aliquos speciatim.

XXV. Lib. 4. c. 32. §. 2. Die 19. Decembris vidi Sanctissimam Virginem à tota Sanctissima TRINITATE coronari. Pater æternus eam sic alloquebatur: Filia mea dilectissima! Et imposuit illi coronam, in præmium promptæ voluntatis, quâ suum Filium statim atque illum concepit in suis visceribus, obtulit Æterno Patri, ut redimeret ac servaret genus humanum, suâ morte ac Passione. Filius autem ei dixit: Mater mea & Domina mea; imponens illi aliam coronam, propter puritatem Virginalem, quam habuit in Conceptione Ver-

Verbi Æterni, quod Caro factum est in ejus utero. Sanctus denique Spiritus ipsam appellavit Sponsam, dando illi aliam coronam, propter ejus Purissimam Conceptionem, immunem à macula originalis peccati. Hunc in modum coronata Sanctissima Virgo ad me accessit, & impertita mihi est suam sanctam benedictionem, méque perbenevolè est amplexata, dicendo: Soror, hunc tibi amplexum do propter te, ac pro te: & subitò me iterum suis ulnis strinxit; dicens: Hunc tibi amplexum præbeo pro meis servis, & amicis tuis, qui tuentur ac profitentur meam Purissimam Conceptionem, expertem peccati originalis, & hoc ipsis dic meo nomine, ità enim volo. Postridie ante Sacram Communionem, mihi Dominus dixit: Anima, venio ad te, & adfero tibi tres flores ex coronis meæ Matris. Unum florem, ajebat Dominus, se mihi ferre, eò quòd meam Animam, & universa subjecerim Divinæ voluntati, cùm essem in ætate viginti mensium, postquam mihi Deus acceleravisset usum rationis: alterum propter virginalem puritatem, quam per omnem vitam DEO adjuvante, conservaveram: tertium propterea, quòd asseruerim & crediderim Puritatem Sanctissimæ Conceptionis Dominæ nostræ, liberæ à peccato originali.

XXVI. Lib. 4. c. 35. §. 2. Edocta à Beatissima Virgine quoddam breve Rosarium. Postea addebat etiam de Conceptione sic: Benedicta sit ac laudetur Sanctissima Conceptio, Nativitas & Præsentatio in templo Sanctissimæ Dominæ nostræ. Interrogavit Angelos faceretne bene, responderúntque omnes eam bene facere.

Parte 2. L. 1. c. 17. p. 77. col. 2. Conspexi in Cælo pulcherrimum & admirabilem thronum Regium, in quo sedebat gloriosissima Virgo Domina nostra circumdata à magna Angelorum multitudine, qui illam certo adorationis modo honorabant tanquam DEI Genitricem. Erat obstupescenda,

& specialissima pulchritudo hujus magnæ Reginæ plenæ gloriâ & Majestate. Gerebat elegantissimum cingulum ex auro, unionibus, & gemmis confectum, symbolum Purissimæ suæ Conceptionis immunis à pecato originali.

XXVII. Lib. 1. c. 39. p. 157. col. 1. Quæ sequuntur de Immaculata Conceptione dictavit VEN. MARINA Patri Magistro Fratri Andreæ de Ponte Ordinis Prædicatorum, cujus charactere & manu propriâ ex ore Virginis conscriptæ habentur chartæ.

Anno 1624. Dominus mihi dixit: Scias velim Anima corpus meæ Sanctissimæ Matris in visceribus Sanctæ Annæ consveto & naturali modo fuisse formatum, quo cætera corpora humana; verùm celeriùs & longé breviore tempore: cùm autem esset ultimatè dispositum ut informaretur ab anima eo ipso momento, eodémque instanti, quo Anima creata illud informavit, plenam quoque fuisse gratiâ ac donis DEI; atque à Divino Sole admirandis illustratam splendoribus, dum eam reddidit DEI-formem, ipsíque contulit usum rationis, ut jam tum subitò inceperit mereri. Istud est mysterium, quod vidisti.

Postea die Dominicâ vigesimâ quartâ Novembris, rursum conspexi hanc Augustissimam Dominam, quæ mihi dixit: Veni mecum Soror, & videbis mirabilia. Etsi verò me initio ob meam verecundiam ac timores excusaverim, nihil mihi tamen id profuit. Duxit me ergo ad cælestem Jerosolymam, ubi eo die celebrabatur solennissimum Festum, cui me Sanctissima Virgo voluit adesse. Audivi svavissimam Musicam Angelorum, quæ tota referebatur ad laudem magnæ istius Dominæ. Erat ingens lætitia, & gaudium cælestis illius Aulæ. Videbantur mihi ex altitudine ad solum ejus cæli decidere quædam velut stellæ fulgentes, etiámque ad terram nostram cadebant cælestes rores & influentiæ. Regina Cæli fuit gloriosissi-

ma

ma & lætiſſima; cecinit duos verſus ex Cantico Magnificat, quorum unus erat: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Gratias tum egit Patri æterno pro collatis ſibi beneficijs, dum eſt concepta ſinè originali peccato, ipsámque elegit in Matrem ſui Filij. Angeli deinde cecinerunt: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Peractâ ſolennitate me reduxit ad meum angulum. Dominus mihi dixit, diem illum eſſe in Cælo ſolenniſſimum, eò quòd eodem Archangelus Michaël vicerit Draconem, qui vehementer impediebat cultum conceptæ abſque labe originali Sanctiſſimæ Virginis; fuerit verò ſublatum grande quodpiam piæ opinionis obſtaculum.

XXVIII. Anno 1625. 7. Decembris. In vigilia Feſti puriſſimæ Conceptionis & die glorioſiſſimi Doctoris Sancti Ambroſij, mihi apparuit Regina Angelorum, cum hoc ſancto Doctore & dixit: Vide Anima, adduco hìc Ambroſium, qui eſt meus amicus. Et cùm hoc diceret, elevavit ipſius Majeſtas brachium, atque cum magna charitate impoſuit humero Sancti. Vidi clariùs quòd à me ſuperiùs dictum eſt ipſam non ſolùm in eo primo inſtanti incepiſſe, accelerato uſu rationis, mereri, ſed etiam confirmatam fuiſſe in gratia.

Poſtridie 8. ejuſdem Menſis quâ celebrabatur feſtum ejuſdem Conceptæ abſque peccato originali, intellexi quomodo ſibi DEUS complaceret in præcelſa illa Domina, quanto ipſam proſequeretur amore, quatúmque eidem gratularetur gratias ipſius & gloriam, & quòd eſſet concepta immunis à peccato originali, quódque Divinus ille panis (qui tunc in Sanctiſſimo Sacramento apparebat.) formatus, & Sacro-Sanctum illud myſterium peractum fuiſſet in puriſſimis ejus viſceribus. Concluſit Dominus omnes ipſius laudes ijs verbis. Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te.

XXIX. Lib. 1. c. 34. pag. 161. Anno 1626. 8. Decembris,

bris, quâ festum agitur purissimæ Conceptionis. Duxit me Sanctissima Virgo splendidissimè ornata ad Cælum. Angeli inceperunt cælesti melodiâ celebrare festum Purissimæ Conceptionis hujus Dominæ. Accinebant laudes Domino DEO gratias ipsi agendo propter beneficium Mundo præstitum inchoatâ hodie nostrâ Redemptione.

Eodem die priusquam me SS. Virgo, sicut dixi, abduceret DEUS mihi denuò manifestavit mysterium Purissimæ ipsius Conceptionis, im̃unis à macula peccati originalis, cum cæteris, quæ alibi scripsi, atque addidit primam gratiam eidem collatam in illo instanti, quo Anima fuit unita corpori, fuisse majorem, quam habuerint Angeli vel Sancti & hanc deinceps semper crevisse.

Parte 2. Lib. 2. c. 12. p. 261. col. 1. Anno 1628. 8. Septembris. Vidi in Cælo Beatissimam TRINITATEM, & quodammodo impressum in Divina ipsius mente æternum illud decretum de creanda in tempore Virgine MARIA, ut esset Mater Redemptoris generis humani. Vidi præterea quòd postquam illam creavit exemptam à peccato originali, cujus reliqui omnes Filij Adam sumus rei, eadem Beatissima TRINITAS præsetulerit indicia lætitiæ, visâ pulchritudine & perfectione illius operis, quo absolutius eousque non prodiverat ex Divinis ipsius manibus.

CAPUT IV.

De Nativitate Beatissimæ Virginis DEIparæ.

I.

PArte 1. l. 2. c. 1. Die antecedente vigiliam festi Nativitatis Beatissimæ Virginis dum vacarem recollectioni, mihi ostendit Dominus cimelia aurea & lapides pretiosos elegan-

gantiores, quàm dici possit vel cogitari. In his erat pretiosissimus, quem fixiùs fui intuita, torques aureus elegantissimus, habens lapidem pretiosissimum in medio, qui magnitudine adæquabat parvulum ovum, ad cujus similitudinem erat efformatus, & referebat colore purissimum rubinum, atque vibrabat tales radios, & splendores lucis, ùt videretur multò magis coruscare quâvis lucidissimâ stellâ. Quia verò mihi Dominus non manifestabat quidnam id rei esset, stupebam contemplando illum, & cogitando quid significaret. Aliquantò post mihi dixit Divina Majestas: Ista cimelia spectant ad desponsatam ac recenter genitam; & significant præclarissimas sublimissimásque virtutes, quibus exornavi, ac locupletavi Animam & purissimum cor meæ Matris eo die, quo fuit nata. Hoc audito fui repleta solatio, & mirata sum expendens excellentissimas virtutes hujus Dominæ, quæ repræsentabantur per illa pretiosa cimelia; præsertim Charitatem & amorem DEI, ac proximi; quo cor ipsius flagrabat, & quem significabat pretiosissimus rubinus in medio aurei torquis collocatus. Deinde §. 1. Ipsâ nocte Nativitatis vidi oculis animæ supereminentem Virginem instar puellulæ modo genitæ, formosiorem & splendidiorem quàm cogitari possit, cum corona aurea, quam gestabat in capite, radiantem ingenti splendore & cimelijs ac torque ornatam, quæ præcedente nocte videram, & Sacrum ipsius pectus exornabat cimelium, seu pretiosissimus lapis, qui erat in medio torquis, cujus mihi aspectus majora attulit dona & gratias, quàm fuerint eatenus meæ Animæ à DEO collatæ.

II. Alio festo Nascentis ejusdem Virginis, vidi illam quasi infantulam modo genitam in brachijs Sanctæ Annæ, adstante Sancto Joachimo. Flebat pupula amarè, ut tota videretur diffluere in lacrymas, neque tametsi illi Mater præberet ubera, conticescebat. Accepit ipsam Sanctus Joachimus &

blandiebatur illi, quæ nihilominus eodem modo plorabat, quoadusque conquiesceret obdormiscens, ac tum eam reddidit Sanctæ Annæ. Ego mirabar, videns ipsam die tantæ lætitiæ, tantopere plorantem, videbantúrque etiam Sancti ejus Parentes ignorare, cur fleret. Aderant nonnulli Angeli ex ijs, qui sunt in Cælo sublimiores, & unus illorum mihi manifestavit causam istius ploratûs, significando mihi hanc pupulam jam indè ab ipsa sua Nativitate fuisse præditam usu rationis, ac magnâ sapientiâ, & singulariter à DEO illuminatam, ab eodémque tunc illi clarissimè revelatum Verbum Divinum incarnandum (non tamen dictum assumendam ab eo carnem in ipsa,) & quàm multa passurũ esset pro hominibus, eorundémq; ingratitudinem, nec non multa peccata, quibus esset offendendus tantus Dominus atque istam fuisse causam illius ploratûs.

III. Die Nascentis Sanctissimæ Virginis vidi ejusdem Majestatem recenter natam formosissimam, & pulcherrimam, circumdatam innumeris funiculis, contextis ex purissimo auro, ac mirum in modum refulgentibus, qui extendebantur per totum mundum, unáque stipatam plurimis sanctis Angelis. Proximè ipsius Majestatem erat infinitus numerus lapidum pretiosorum, aureorum elegantissimorum cimeliorum, ac gemmarũ, ingentesq; splendores luminis, & claritatis, multi soles lucidissimi, nec non alij copiosi thesauri qui omnes significabant maximas recenter natæ pupulæ virtutes. Post hanc Dominam stabant tres Divinæ Personæ, ac tenebant in suis manibus titulum, qui continebat illa verba: Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te; quibus indicabatur purissima ipsius Conceptio. Interea inceperunt instar vehementis grandinis in terram decidere Divini illi thesauri, in magna abundantia & duodecim Angeli DEI adfuerunt perquam diligentes & celeres, ut illos colligerent, ac deferrent ad Thesaurum Ecclesiæ: erant

erant autem ſuperabundantia merita, quæ illa Sanctiſſima Domina in ea ætate habebat, & videbantur mihi tunc longè majora, quàm ſint ſimul ſumpta cæterorum Sanctorum.

CAPUT V.

De Præſentatione, Deſponſatione ac Vita privata Beatiſſimæ Virginis.

I.

PArte 1. L. 2. c. 3. §. 2. Die Præſentatæ DEIparæ vidi in Spiritu Sanctiſſimam Virginem Dominam noſtram quaſi puellam trimulam comitantibus ipſam multis Angelis & Sancto Archangelo Gabriele. Erat formoſiſſima, rapiebàtque me ad ſui contemplationem. Oculi ipſius erant cæſij, & capillitium quaſi aureum; habebat calceamenta pellucida, tectis integrè pedibus. Ante diem, qui DEIparæ partum exſpectanti eſt ſacer, vidi rurſus eandem Sanctiſſimam Virginem quæ mihi peramanter dixit: Noveris Amica mea, quòd à die meæ Præſentationis in templo uſq; ad diem Incarnationis mei Sanctiſſimi Filij, me ſemper exercuerim continuâ oratione ac meditatione Divinorum myſteriorum, ac magnalium DEI, amando ipſum omnibus meis viribus, contemplandóque illum aſſiduè, & nec ad momentum ab eo recedendo. Continuè quoque cor meum, & anima mea ardentiſſimè deſiderabat adventum, Filij DEI in mundum, ut eſſet Redemptor, ac Reparator generis humani. Et cùm recenſeret iſtas ſuas virtutes, atque prærogativas, manifeſtavit mihi ſimul Diviniſſimam devotionem, quâ illas exercebat. Habui magnum ſolatium, vehementerque obſtupui, cognoſcendo aliquantùm, ac intelligendo ſublimitatem cæleſtis & altiſſimæ contemplationis, cui dedita fuerat iſta Celſiſſima Domina.

II.

II. Parte 2. Lib. 1. c. 39. pag. 162. col. 1. Biduo ante festum Præsentationis duxit me Sanctissima Virgo Domina nostra ad templum ubi à suis Sanctissimis Parentibus fuit DEO præsentata. Ibi vidi quindecim gradus, quos mea Domina conscenderat, & spectavi ipsam gradatim ascendentem. In primo gradu tales elicuit actus resignationis in Divinam voluntatem, & amoris DEI, atque oblationis sui ipsius, ùt plurimum ijs promeruerit. In secundo, paritérque cæteris gradibus actus, & merita mirum in modum creverunt, & quandò pervenit ad supremum, videbatur mihi eminentissimus esse excessus gratiarum.

III. Lib. 1. c. 39. pag. 162. Magna hæc Domina ostendit mihi mysterium suæ Virgineæ Desponsationis cum Sancto Josepho. Ibi illam vidi plenam quasi gratijs, ac donis cælestibus, & majoribus auctam meritis, respondentibus singulari obedientiæ, quâ se Divinæ subjecit dispositioni ineundo conjugium. Actus hic obedientiæ fuit in purissima Virgine specialis meriti, DEOq; acceptissimus.

Parte 1. Lib. 4. c. 9. §. 1. Cùm vacarem orationi in Festo Sancti Josephi, vidi coram me CHRISTUM Dominum, ejusdémque lateri adstantem gloriosum Sanctum Josephum, aperto capite cum magna humilitate, utpote coram Majestate tanti Domini. Habebat vestitum honestum & perelegantem, vultus ipsius erat mirè modestus, & gravis, in quo præseferebat magnam mansvetudinem, & Sanctitatem: apparebat esse maturæ ætatis, quasi quadragenarius, habebátque baculum aureum. Aspexit illum CHRISTUS Dominus vultu amænissimo, dixítque mihi cum ingenti gustu: Ecce iste est meus Pater, & is, quem eo loco habebam in terra; quid tibi de illo videtur. Ego ipsum intuebar & recreabar, mirabárque me videre Sanctitatem, quam demonstrabat, & multò mágis, quòd viderem æstimationem, & veneratione͂, ac amorem, quo, pro nostro Exem-

xemplo CHRISTUS Dominus se prosequi ostendebat istum gloriosum Sanctum, eòquòd ipsum educavisset eique servivisset Infanti. Dum ipsum ità contemplarer, videretúrque mihi etiam eximius esse illius honor, quòd habuerit Sponsam Sanctissimam Virginem, & Matrem JESU CHRISTI DEI & Hominis veri; dixi ipsi: Verè gloriose Sancte, fuit tibi præstita major gratia & favor in eo, quàm fuerit præstitus ulli unquam virorum in terra; siquidem tibi data est in Sponsam mulier optima & Sanctissima omnium quas habuit, aut habiturus est unquam mundus, quamvìs universarum simul Sanctitas in hunc censum veniret. Potes te æstimare felicem ac beatum. His auditis, quæ dixeram, gloriosus Sanctus composuit suas manus fixisque humi genibus, dixit cum magna humilitate, & æstimatione hujus gratiæ, quam illi DEUS contulit: Ità omnino est, & ità esse agnosco. Deinde se erexit, constititque ad unum latus CHRISTI Domini, qui etiam stabat.

Libro 4. c. 9. §. 3. Anno 1618. Festo Sancti Josephi me visitavit Sanctissima Virgo cum suo Sancto Sponso, dixitque mihi: Vidén hìc Virum Sanctissimum, & felicissimum omnium, qui sunt in Cælo; eo quòd ipsi DEUS confiderit suum Filium, ut ipsum educaret, & me ejus Matrem.

Caput VI.

De Annunciatione Beatissimæ MARIÆ Virginis.

I.

PArte 1. Lib. 2. c. 3. §. 1. In pervigilio quodam Festi Salutatæ DEIparæ, quia ex conspectu Sanctissimæ Virginis fui turbata, dixit mihi præsens ibi Sanctus Archangelus

gelus Gabriel: timores, & tergiversationes tuæ moderatæ potiùs te disponunt pro obtinendis his Divinis favoribus: excedentes autem & justo majores, tibi præbent occasionem & materiam exercendæ mortificationis. Si ergo Sancte Archangele, ajebam ego, ità est, doce me, quid sit faciendum, ut me conformem Divinæ voluntati. Tum sanctus Archangelus extendit manum, quasi attingendo, quàm reverentissimè vestem Sanctissimæ Virginis, quæ summa cum gravitate, & extraordinaria modestia atque charitate mihi dixit: Ego quando hic sanctus Angelus venit ad me, nomine DEI invisendam die meæ Annunciationis, non fugi: turbata sum tamen inculpabiliter, sicut quando Princeps quæpiam Virgo, humilis ac verecunda, videt coram se derepente legatum, adferentem ipsi aliquod nuncium, naturaliter turbatur, & erubescit pro animi sui demissione; eóque ampliùs, si id requirat conditio nuncij, quod adfert. Ego respondi: Enimverò Domina, tua Majestas voluit bene ab Angelo edoceri de nuncio, & interrogavit illum de modo, & qua ratione futurum esset quod nunciabat. Responditque Domina nostra, hoc ideò feci, quia Angelo DEI aliquid dicente, quod repugnare videtur Divinæ legi, ac præcepto, necesse est scire quomodo sit futurum istud, déque eo instrui. Voto, quo ego me obstrinxeram, Castitatis, videbatur repugnare nuncium, quod mihi adferebat; ideóque de illo petivi edoceri, quomodo esset mandandum executioni: statim tamen, ac specialiter à DEO illustrata cognovi, Angelum ipsum esse ipsius & modum, quo peragendum erat illud mysterium, sinè mora consensi, dicendo: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Prosequuta est Sanctissima Virgo suum sermonem, explicando aliquot versus ex cantico, Magnificat, Divinâ suâ Sapientiâ, & quomodo illius Anima laudaverit, ac benedixerit DEUM propter magnam gratiam, quam illi præstiterat, dum ipsam fecit suam Matrem;

quo-

quomodo etiam omnes Gentes illam deprædicent, ac benedicant, eò quòd Dominus respexerit humilitatem ancillæ suæ; & alia his similia, quibus mea Anima fuit recreata, & exultavit in Domino.

Sequenti die festo vidi, ait, Sanctissimam Virginem Dominam nostram, intentam altissimæ contemplationis, & Sanctum Archangelum, venientem nomine DEI, ad felix illi ac fortunatum adferendum nuncium, eo prorsus modo, quo ipsi die Annunciationis ejus attulerat. Audivi & vidi acsi denuò perageretur hoc mysterium, salutationem Angeli, turbationem Sanctissimæ Virginis, interrogationes, ac responsa ejusdem Dominæ, & Sancti Archangeli Gabrielis ad ultimum usque Virginis responsum. Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum: atque tunc passa fui ectasim.

II. Anno 1619. Die Annunciationis vidi Sanctissimam Dominam Matrem DEI. Intenta erat cuidam altissimæ contemplationi, & quasi sola degebat in quodam recessu. Interea vidi Sanctum Archangelum Gabrielem, qui intrans in conclave illius Dominæ, maximâ reverentiâ illam salutavit, & peregit omnia, quæ nobis refert Evangelium de hoc sublimi mysterio. Eo tempore, quo duravit colloquium Angeli & Sanctissimæ Virginis Dominæ nostræ, totum cælum, & Spiritus Beati, cum omni natura creata quodammodo admirabundi & suspensi hærebant expectando assensum illius Dominæ, tanquam id, quod omnes tantopere exoptabant, propter summa bona, quæ ex eo assensu erant proventura universis, præsertim generi humano. Statim atque ista Sacratissima Domina protulit ista verba, & præbuit suum assensum cum tanto affectu, ùt acceptando maternitatem DEI, acceptaverit unà atque ex corde amplexa fuerit omnes molestias, & angustias, ac dolores, quos Sanctissima ipsius Anima erat perpessura, annuendo, ut esset Mater DEI; eo, inquam, ipso momento quo assensit

hæc Domina, vidi illam totã DEIficatam, & collucentem, ut appareret inhabitari ipsius Animam à Verbo Æterno Incarnato. Sed in alia visione simili, cùm illam audirem dicentem ea verba: Ecce Ancilla Domini, &c. comparuit mihi quædam stella similis igni, immensi ardoris, ac splendoris, quæ est ingressa in istam Dominam, eámque ità Deificavit, ùt nisi nos fides doceret, ipsam non esse DEUM, visa fuisset esse DEUS. Et intellexi per hanc stellam repræsentari Verbum Divinum, quod tum assumpsit carnem ex ipsius visceribus. Ità exhibebatur modus, quo contigit hoc Sacratissimum mysterium.

III. Lib. 3. c. 8. §. 1. Agens cum DEO horâ secundâ noctis Anno 1611. vidi tres Beatos Spiritus, qui ùt mihi videbatur, erant Angeli DEI, stantes coram me aliquantum ex parte; dixerunt mihi modo admirabili, & valde gravi: Soror venimus, ut tibi annunciemus nova nomine DEI; neque mihi tunc plus sunt locuti, qui attendebant ad effectum, quem illud verbum, seu nuncium, operaturum esset in mea Anima, qui erat quædam turbatio; tum quòd nescirem qualia nova essent illa, tum quia admirabar admirabilem modum loquendi quo utebantur. Nam loquentibus tribus, loquebatur tantùm unus, & loquente tantum uno, loquebantur omnes tres. Dum ij cælestes Spiritus me viderent ità turbatam ac admirabundam, alloquentes me denuò cùm magna svavitate, ac benignitate, eodem arcano modo, de quo dixi & novo lumine collustrantes meam Animam, ad percipiendum mysterium; dixerunt mihi: Soror nostra, nè turberis, neque affligaris; nova enim, quæ tibi annunciamus, sunt optima. Tamen ego non omnino deposui meam perturbationem, & dixi illis: Domini, Deus potest facere quidquid vult, aut sicut vult, & ego quid habeo hac in re expediendum? responderunt mihi illo dicto modo arcano & novum communicando lumen meæ Animæ: ità verum est quod dicis, requirit tamen DEUS tuam dispositionem.

Tum

Tum ego respondi: Domini si ex mea parte requiritur aut debet esse aliqua bona dispositio ad recipiendas à DEO ipsius gratias, ea quam ego habeo, est valde exigua, miserabilis, & imperfecta, ideóque nescio quid facere possim vel dicere hac de re. Ignoro quomodo me debeam disponere. Illi verò mihi dixerunt eo modo mirabili, de quo antè dixi: nè te quidquam affligat, vel solicitam reddat, quia dispositio, quam à te petimus, est ut solùm velis acceptare gratiam, quam tibi Dominus modo vult præstare. Auditis his verbis, fui liberata ab omni illa molestia, & solicitudine, ac turbatione quam habueram, subsecutâ magnâ pace & quiete, ac dixi cum affectu, quem DEUS meæ Animæ communicavit, Resignationis & propriæ Cognitionis: Ecce tua pauper creatura & ancilla mei Domini, fiat in me, in omnibus & per omnia Sanctissima tua & amabilissima voluntas. Postquam id dixissem, unus ex illis tribus Angelis recessit aliquantùm ab ijs seque constituit quasi è regione ipsorum & fuit res mirabilis ac plena mysterio, quam mea Anima ibi vidit, atque cognovit per lumen sibi à DEO communicatum: quia dum recederet ab illis duobus, unus ille manebat cum duobus, ac duo manebant cum illo uno, & agnovi ex illuminatione DIVINA quòd iste recessus unius à duobus esset figura mysterij Incarnationis secundæ Personæ Sanctissimæ TRINITATIS, JESU CHRISTI Domini nostri. Deinde elevatis animæ oculis ex inspiratione DEI conspexi cælos quasi patefactos, & apertos, vidíque ex altissimo ac supremo eorum descendentes pulcherrimo ordine, binos & binos instar supplicantium, innumerabiles Angelos, ac Spiritus beatos adeò ùt viderentur egredi ex cælesti Jerosolyma omnes illius cives & Aulici: cúmque descendissent hoc ordine donec pervenirent ad illos sanctos Angelos, quos dixi stetisse mirabiliter, duos ex una, & unum ex altera parte, fuit instituta DIVINA quædam

ſupplicatio in cujus medio à dextris procedebat Sanctiſſima Virgo Domina noſtra ſublimior alijs ſanctis Angelis, quaſi conſidens in quodam throno, ſtipata comitatu multarum Virginum, & ſanctarum ſubſequentium, intercedentibus per intervalla plurimis Beatis Spiritibus. Poſtea vidi grande & elegans, auguſtum ac munitum Caſtellum, adeóque ſtupendum, ùt nunquam potuerim intelligere, quale fuerit: quia illius Majeſtas, ac magnitudo excedebat captum omnis creaturæ, unde ibi fui obrecta, perdita & ſubmerſa eâ caligine: neſcio an tunc evanuerint ex meis oculis illi tres admirabiles Angeli.

IV. Parte 2. L. 1. c. 40. Anno 1624. 25. Martij in Feſto Annunciationis meæ Dominæ conſpexi Sanctiſſimam Virginem in ea ætate, & ità conſtitutam ſicut fuerat dum eſt ſalutata ab Angelo tam venuſtam, ſpecioſam & gratijs plenam ac donis cæleſtibus, ùt nullis poſſit verbis explicari. Audivi Sanctum Archangelum Gabrielem, qui ipſi ſingulari reverentiâ nomine totius Beatiſſimæ TRINITATIS, nuncium exponebat. Videbatur mihi tota cæleſtis Aula tam DEUS, quàm ipſius Angeli animo quodammodo, ùt loqui ſolemus, ſuſpenſo præſtolari illud: *fiat*, ex ore hujus Sanctiſſimæ Virginis, pariterque univerſa terra & homines expectare ſuum remedium, ut aſſentiretur. Simul ac ejus Mâjeſtas pronunciavit: Ecce ancilla Domini fiat mihi &c. vidi in Cælo ingentes plauſus & jubilos: audivi cæleſtem muſicam, & laudes DEI. Atque eodem momento Omnipotens DEUS illam puriſſimam Virginem replevit multis gratijs, & inæſtimabilibus bonis transformando ipſam in ſe adeò, ùt videretur eſſe per participationem quodammodo DEUS, & vera ejuſdem DEI Mater, tametſi ſolum Verbum æternum in Virgineis illis viſceribus aſſumeret carnem. Subitò vidi Angelos ſe ſe proſternentes, ipsámque tanquam Dominam adorantes. Idem fecit Sanctus Archangelus

gelus Gabriel, & provolutus in genua gratias illi egit pro beneficio, quod mundo præstiterat, acceptando nuncium eique suum præbendo consensum.

Dum spectarem tam grande mysterium, Sacratissima hæc Domina fuit ducta ad cælestem Jerosolymam comitantibus ipsam omnibus Angelis (qui me quoque cum ea duxerunt) & præsentata Beatissimæ TRINITATI, ubi summo cum gaudio ac honore exceptam Pater æternus compellavit dicendo: Filia mea; Filius: Mater & Domina mea; atque Spiritus Sanctus: Sponsa mea. Prostraverunt se denuò omnes illi Angelici Spiritus in eo cælo, & specie quadam adorationis ipsam sunt professi suam esse Dominam.

Aliâ vice vidi hanc Excelsissimam Virginem coram Patre æterno, qui illi dixit: Filia & Domina, fiat quod petis, fiat, per me licet. Observavi specialiter quod appellaretur Domina, cùm non loqueretur Filius, sed Pater æternus. Hærebam in meo dubio, & Divina Majestas mihi dixit: Scias velim, Anima, postquam Filius meus humanam assumpsit carnem, inter me & hominem, præsertim verò Virginem, intercedere quandam parentelam ac proinde benevolentiæ causâ, atque ut doceam, qualis ipsi debeatur veneratio, illam voco Dominam.

V. Lib. 1. c. 42. p. 173. Anno 1624. 26. Novem. Vesperi feriâ tertiâ, præcedentibus plurimis Angelis ad meum cubiculum; post eos prodivit Trinus Dominus DEUS noster; specialiter verò se mihi distinctiùs repræsentavit Sacratissima persona Patris æterni. Veniebat humanam præferens speciem in eo apparente, corpore, quòd aliàs dico, esse absque comparatione longè subtilius phantasticis corporibus, quæ solent assumere Angeli. Hic Dominus est ingressus Oratorium, & accedens ad altare, collocavit in parte superiore id quod ferebat in manibus; erat verò patena instar earum quibus utitur Eccle-

clesia, sed pretiosissima, & super illam apparebat minimus puerulus, non excedens longitudinem digiti, qui licèt non videretur esse mãjor, indicibilis tamen ex erat ejusdẽ pulchritudo, & immensa venustas. Vidi deinde egredientes ex eadem inaurata aula, plurimos alios Angelos, qui pariter laudes DEI concinebant, & postremò prodivit Sanctissima Virgo, magnâ spectabilis Majestate & speciosissima. Introivit in Oratorium, & prostravit se coram Patre æterno procumbens in genua, séque profundè inclinavit, ut quasi fronte contingeret terram; erexit postea caput provoluta in genua. Tum Pater æternus se convertit ad hanc Inclytam Virginem, cum Patena & Puerulo in ea posito (sicut se Sacerdòs vertere consvevit ad porrigendam Sacram Eucharistiam,) dixítque illi: Domina, vides hìc meum æternum Filium, quem tibi trado, ut in tuis visceribus assumat carnem humanam; suscipe ipsum ac educa atque fove & inservi eidem tanquam Filio meo, ut suo tempore redimat mundum. Ecce confido tibi ipsum, ac trado: novi enim te, huic muneri satisfacturam, prout debes. Virgo se inclinavit profundè, & postquam præbuit assensum immensus ille Infantulus introivit per Virginis pectus, séque inclusit in purissimo ipsius utero. Egit hæc magna Domina tenerrimas Patri æterno gratias pro collato sibi beneficio, & Dominus est illam conplexatus, vocando eam Filiam, rursúmque admonendo, ut omnia pro sua obligatione, quàm perfectissimè exequeretur.

CAPUT VII.

De Visitatione Elisabeth & Sancti Joannis Baptistæ.

I. Par-

I.

PArcet, humanissimè rogatus benevolens Lector, quòd residua non possint omnia æquè expansè hîc describi brevitatis causâ. Ex hactenus tamen dictis, quæ speciminis causâ præmissa sint, satis apparet, reliquos omnes, qui restant, articulos Fidei, ut & Doctrinas Chrianas, simili modo ad abundantiam eleganter illustrari: quæ tamen omnia reliqua sic de verbo ad verbum si adducerem, liber in molem nimiam excresceret. Solâ igitur citatione contentus, Lectorem benevolum ad ipsa loca citata pro libitu legenda remittere cogor. Unde & hoc uno capite comprehendam Mysteria omnia Christi D. usque ad Passionem.

Visitatio Elisabeth.

Parte 1. L. 2. c. 5. §. 1. Anno 1621. Die *Visitationis* vidit Ven: Marina SS. DEIparam peregrinantem ad S. Elisabeth, & audivit DEUM laudantem ejus *Immaculatam Conceptionem.*

§. 2. Vidit SS. Virginem & S. Elisabeth inter se colloquentes.

Nativitas Christi Domini.

P. 1. L. 2. c. 6. §. 1. Vidit in stabulo Betlehemitico circumstantias Nativitatis Christi, quem invita ad sua brachia suscepit.

§. 2. Vidit Angelorum gaudium de Christo nato, & quòd repositus fuerit in præsepio.

§. 3. Vidit in Persona Christi Intellectum Viri perfecti, & simul infantiles actiones.

Ibidem Anno 1618. Audivit Christum dicentem se paratum fuisse pro illa sola incarnari.

§. 4. Anno 1622. Ven: Marina in medio sui cubiculi Christum D. invita accipit ad sua brachia; eum Patri æterno offert tanquam Mater.

L. 2. c. 7. §. 1. Venerabilis Marina vidit in Cœlo solennitatem in honorem SS. Humanitatis Christi D. & aureos nummos cadentes, qui erant figura incarnati Verbi.

§. 5. Ven: Marinæ domestici Angeli eleganter ornati appellârunt se Principes Ministros, & *Meninos*, seu Ephebos parvuli JESU.

Et c. 9. §. 6. Adfuit Nativitati Christi Ven: Marina, & emendicavit à S. Josepho particulam panis, quem etiã distribuit suis præsentibus amicis.

P. 2. L. 1. c. 42. pag. 175. col. 1. Anno 1626. Vener: Marina comitata Beatissimam Virginem in Betlehem proficiscentem.

Pag. 178. col. 2. Anno 1628. jussu SS. Trinitatis omnes Angeli adorârunt parvulum JESUM unà cum aliquibus hominibus viventibus.

P. 1. L. 2. c. 4. §. 3. Et c. 6. §. 5. & c. 7. §. 2. Describitur Spiritualis Cihrsti D. in Anima per Gratiam Nativitas.

Circumcisio & Epiphania Domini.

P. 1. L. 2. c. 8. Ven: Marina adfuit dispositionibus pro Circumcisione, non tamen vidit ipsam Circumcisionem.

§. 2. Vidit Christum Infantem à Deo Patre ditatum cimelijs, in præmium Circumcisionis.

P. 2. L. 1. c. 43. pag. 179. Anno 1625. de Resignatione pueri JESU & Beatissimæ Matris in Voluntatem Patris æterni in Circumcisione.

P. 1. L. 2. c. 9. §. 6. Anno 1624. Solennitas in Cœlo, & Adoratio Infantis JESU cum muneribus, cui etiam Ven: Marina obtulit quinq; nummos aureos.

Ibidem §. 1. Adventus SS. Trium Regum.

§. 2. Colloquium Ven: Marinæ cum SS. tribus Regibus de eorum profectione, Stella, itinere, muneribus, & alijs circumstantijs; & quomodo cum illis profecta est in regiones eorum.

§. 4. Stella SS. Trium Regum.

§. 5. Ven: Marina proficiscitur cum SS. Regibus per Jerosolymam in Bethleem & offert Christo Domino Cor.

P. 2. L. 1. c. 43. pag. 180. Anno 1625. quomodo SS. Virgo exceperit SS. tres Reges.

Pag. 181. Anno 1628. Descriptio Tugurij Bethleemitici, dum illuc venirent Sancti tres Reges; & eorum Adoratio ac munera.

Ibidem subjicitur Adversio P. Andreæ Pinti Ramirez pro concordandis, quæ videntur inter se discordare.

Parte 1. L. 2. c. 7. §. 2. *Sancti Innocentes* omnes fuerunt Martyres.

Parte, 2. L. 1. c. 42. pag. 177. col. 1. Anno 1626. vidit Ven: Marina Gloriam Sanctorum Innocenrium.

Purificatio Beatissimæ Virginis.

P. 1. L. 2. c. 10. § 1. Anno 1547. Beatissima Virgo se disposuit pro itinere ad templum duabus fœminis comitata; ubi expectabatur à Simeone, & Anna Prophetissa.

§. 3.

§. 3. Anno 1623. Processio Angelorum cum albis cereis accensis, deducentium Beatissimam Virginem ad Templum.

L. 3. c. 18. §. 2. Die Purificationis est Beatissimæ Virgini revelata Passio Christi D. per Simeonem, quæ in eo momento elicuit actum ferventissimæ Resignationis.

P. 2. L. 1. c. 39. pag. 162. Sanctissima Virgo illo actu Resignationis, quo suum Filium Patri æterno ad Mortem die Purificationis obtulit, plus merita est, quàm omnibus prioribus actibus.

L. 1. c. 43. pag. 183. Anno 1629. Eadem Resignatio, magnificè in Cœlo repræsentatur.

Vita Christi D. usque ad Passionem.

P. 1. L. 2. c. 10. §. 4. Anno 1597. Beatissima Virgo redit ex Bethleem domum vecta asino in Nazareth.

C. 11. §. 2. Ven: Marina vidit Christum infantulum SS. Matri colludentem, & vesticulas ejus examinat, & deprehendit jam tunc signa clavorum in pedibus & manibus.

§. 4. Anno 1616. Puerulus JESUS dormiens considerat peccata hominum.

L. 4. c. 9. S. Joseph gestat reverentissimè Dominum JESUM circiter bimulum.

L. 2. c. 12. §. 1. Puer Jesus duodecim annorum jam tunc habebat omnem sapientiam, conversatus adhuc Infans cum SS. sua Matre. Legis Doctoribus annunciavit Messiam jam venisse.

P. 2. L. 1. c. 40. pag. 162. col. 2. amisso puero JESU Beatissima Virgo elicuit excellentissimos actus Resignationis.

P. 1. L. 2. c. 11. §. 1. Describuntur Facies, & oculi Christi D. ut & oculi ac capilli, collum, & guttur Beatissimæ Virginis, Vestis, Statura. L. 1. c. 17. §. 1. & 3. Et L. 2. c. 10. §. 1.

P. 1. L. 4. c. 9. §. 4. pag. 370. Col. 1. S. Joseph sui opificij labore sustentabat Christum D. & Beatissimam Virginem, in paupertate non vili, nec miserabili, sed honorata: & Beatissima Virgo etiam juvabat.

L. 2. c. 12. §. 2. pag. 186. Describit Christus D. suam Vitam, usque ad Annum ætatis trigesimum.

CAPUT VIII.

De Passione Domini.

P. 1. L. 2. c. 14. §. 1. pag. 189. col. 1. Assignantur causæ Passionis ab ipso Christo D.

§. 2. Tristitia Christi D. non fuit melancholica, sed longè diversa.

L. 1. c. 29. §. 4. Christus D. majorem dolorem passus in dextro pede, & manu sinistra.

L. 2. c. 27. §. 1. Afflictio Christi D. interna, diebus Passioni proximis.

L. 3. c. 17. §. 1. Anno 1622. Continua Crux Christi Domini.

P. 1. L. 2. c. 14. pag. 190. col. 2. §. 3. Christus D. offert Deo Patri pro Christianis sudorem Sangvineum, cui Pater æternus respondet.

P. 2. L. 1 c. 44. pag. 187. Repræsentarur in Cœlo, quomodo Christus D. in horto Gethsemani non suam, sed Patris Voluntatem prætulerit.

P. 1. L. 2. c. 15. pag. 191. col. 1. Quæ contigerunt ante Flagellationem noluit Christus D. à Ven: Marina videri.

§. 1. Anno 1615. Tormentum Flagellationis repræsentatur Ven: Marinæ, cujus de hoc Tormento judicium Christus D requirit.

L. 5. c. 2. §. 7. Anno 1619. Vene: Marina sensit Flagellationis tormentum.

P. 1. L. 2. c. 15. §. 2. Milites & famuli implexam coronam spineam prius probârunt in capite cujuspiam pueri.

P. 2. L. 1. c. 44. pag. 184. Anno 1626. Ven: Marina spectavit inter tumultum Carnificum, actum spineæ Coronationis.

P. 1. L. 2. c. 15. pag. 193. §. 3. Interfuit Ven: Marina horribili Spectaculo Bajulationis Crucis, & comitata est Christum D.

C. 20. §. 1. pag. 219. Ven: Marinæ ostendunt Angeli Stationes Viæ Bajulationis Crucis.

P. 1. L. 1 c. 29. §. 1. Anno 1600. Christus D. dixit se majorem dolorem passum in manu sinistra quàm in dextra.

L. 2. c. 15. §. 4. Actus Crucifixionis Christi D. nudi.

C. 16. §. 1 Christi D Crucifixi situs.

§. 5. Elevatio Crucis.

§. 2. Mare dolorum Christi D. Crucifixi.

P, 2. L. 1. c. 39. pag. 162. Ingens meritû Beatisimæ Virginis sub Cruce.

L. 2. c. 19. pag. 288. Anno 1625. Latro malus Crucifixus cum Christo Domino.

P. 2. L. 1. c. 15. pag. 66. Actus Sepulturæ Christi D.

P. 1. L. 2. c. 15. §. 5. Beatissima Virgo & Ven: Marina ex mutuo colloquio Solatium capiunt. Dolor SS. Virginis in vultu ejus resplendebat elegantissimè, quia omnes ejus Virtutes erant in gradu altissimo.

P. 2. L. 1. c. 44. pag. 185. col. 1. Anno 1628. pridie Palmarum ostensa fuêre Ven. Marinæ mysteria Passionis, oratio in Horto, Comprehensio, Flagellatio, Crucifixio, septem verba, Transfixio lateris, Desolatio Beatissimæ Virginis, sepultura. Denique & Indignatio Dei contra peccatum Adami.

C. 25. Anno 1626. Vene: P. Ludovicus de Ponte inter Sanctos Benedictum, Augustinum, Ignatium, Bernardum, Sermonem habuit ad Ven: Marinam de Incarnatione, & Vita Christi D.

L. 1. c. 26. pag. 111. Anno 1630. Habet ad Ven: Marinam Sermonem S. Benedictus de Amore Christi D, erga nos in Vita, & Passione sua.

L. 2. c. 21. pag 301. Anno 1626. Dicit Christus D. Ven. Marinæ se suis compati, quia omnium suorum dolores in se expertus.

L. 1. c. 43. pag. 184. Anno 1629. Ven: Marina videt in Cœlo vastissimum Flumen meritorũm, & sangvinis Christi D. quo omnes homines aspergebantur.

P. 1 L. 2. c. 16. §. 2. Christus D. ostendit Ven: Marinæ sua vulnera, quæ dolet se non habere sufficientem dolorem de ejus Passione.

§. 3. Christus D. manifestat Ven. Marinæ suos labores, itinera, sudores, lassitudines, vigilias, orationes, & jejunia.

P. 1. L. 3. c. 18. §. 5. Ven: Marina videt Crucem Christi in magna Majestate.

C. 20. §. 2. Anno 1621. Christus D. misit Ven. Marinæ suos clavos ferreos, materiales, per quos suum sangvinem cum ejus sangvine commiscuit.

CAPUT IX.

Mysteria gloriosa Vitæ Christi D.

P. 1. L. 2. c. 17. pag. 204. col. 2. Exhibetur Ven: Marinæ reunitio Animæ ad Corpus Christi D.

C. 18. Vidit Christum D. liberaliter distribuentem sua dona post Resurrectionem.

§ 1. Christus D. in die suæ Resurrectionis deposuit pretiosissimam vestem dolorum, ac ignominiarum, quibus eatenus SS. ejus Humanitas fuit induta.

§. 2. Modus Resurrectionis manifestatur Ven. Marinæ, ut & Descensus ad Limbum. Christus D. noluit tunc ab ea adhuc tangi, sicut nec quondam à S. Magdalena. SS. suam Matrem redivivus Christus D. visitavit.

§. 3. Vidit Ven: Marina SS. Patres ex Limbo eductos: sed locum, in quo erat post Resurrectionem Christus D. intelligere non potuit. Vidit Sanctum Thomam Apostolum, & audivit dicentem: Dominus meus, & Deus meus.

P. 2. L. 1. c. 45. Anno 1624. Redivivus Christus D. primò adijt SS. suam Matrem; deinde S. Magdalenam. SS. Matri suæ ipse, quà Deus, dedit Benedictionem, sed ab ipsa vicissim, quà Homo, recepit Benedictionem. In Cœlo fuit inexplicabilis celebritas: Christus D. apparuit conculcans mortem. Aliàs vidit Ven: Marina, quomodo in eo tota SS. Trinitas existat. Vidit & Sacrum cadaver non horridum, non fœdum, sed gratiosum, & plenum Majestate, & duo illa tam distantia inter se extrema, *Deus* & *Mortuus*, in eo conjungi obstupuit.

P. 1. L. 2. c. 19. §. 1. Gaudium Christi D. ascensuri. Ven: Marina ducta ab Angelis ad locum *Ascensionis*.

§. 3. Anno 1619. Ven: Marina interfuit Ascensioni, & ipsa etiam ascendit in Cœlos, percepitque multa dona, quæ Christus D. paravit hominibus.

§. 4. Anno 1620. Christus D. promittit se post Ascensionem nihilominus mansurum nobiscum.

§. 6. Magnificentia Christi D. ascendentis.

C. 20. §. 1. Ven: Marina vidit, quomodo in Cœlo Christum D. exceperit Deus Pater.

Parte 2. L. 2. c. 15. pag. 273. Anno 1627. in Triumpho Christi D. ascendentis vidit Ven: Marina Cœlum peristromatis ornatum; audivit gemitus Dæmonum, & Angelicam triumphi hujus promulgationem.

Nota benevole Lector, ea quæ ad Festum *Pentecostes* pertinent, jam esse superius relata, ubi de Persona *Spiritus Sancti*, fuit actum.

P. 1.

P. 1. L. 4. c. 33. §. 1. Anno 1622. Ven: Marina adfuit Morti Beatissimæ Virginis, cui obviam processit tota SS. Trinitas. Apostoli sepeliverunt Sacrum corpus.

§. 2. Gloria Morientis SS. Virginis maximè manifestat Potentiã Dei.

P. 2. L. 1. c. 40. pag. 164. Anno 1624. Gloria SS. Virginis in Cœlo obscurat lumen aliorum Cœlitum, sicut sol stellas, & excedit Gloriam omnium simul sumtorum Sanctorum. Modus & situs morientis SS. Deiparæ, collocatæ in altissimo Throno. Christus D. reduxit ejus Animam ad sepulchrum, & redivivam adduxit in Cœlum.

Ibidem pag. 166. Anno 1629. Situs in lecto SS. Matris mortuæ. Sepultura ejusdem ac Resuscitatio, in Cœlum deductio, Reliquiæ Sacræ ejusdem.

P. 1. L. 3. c. 21. §. 1. Modum *Judicij extremi* vidit Ven: Marina.

C. 3. §. 1. Anno 1619. Vidit Ven: Marina apertum librum conscientiæ suæ.

P. 2. L. 1. c. 2. p. 9. Anno 1626. Ven: Marina facta est quasi paradigma erubescentiæ reorum in die *Judicij*.

P. 1. L. 1. c. 31. §. 3. Anno 1616. Asperrima toga carduis suffulta, quâ Diabolus multùm Ven: Marinam excruciavit, jussu Dei servatur pro die *Judicij* omnibus exhibenda.

L. 2. c. 19. §. 4. Anno 1620, Dixit ad Ven: Marinam Christus D. quòd in ejus Judicio particulari comparebunt coram illo omnia bona & Cœlestes thesauri ei unquam concessi.

C. 21. §. 1. pag. 332. Vene: Marinæ volenti se præparare pro Morte, & Judicio, Cor suggessit, potiùs: non intres in Judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Parte 2. L. 1. c. 2. pag. 10. Ven: Marina propter suam negligentiam flagellatur.

PARS V.

Complectens ea, quæ ad Fructus ex Incarnatione Filij Dei consecutos pertinent.

IN hac parte adducuntur Revelationes Ven: Marinæ de Ecclesia, de statibus Religiosis, de Sanctis, de Sacramentis, de Purgatorio, Cœlo & Infer-

Inferno, adeóque declarantur & confirmantur tres residui ex Symbolo Apostolorum Articuli, nempe *Credo S. Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remissionem peccatorum, & Vitam æternam.*

Caput I.

De Ecclesia.

P. 1. L. 2. c. 23. §. 1. Anno 1622. Admirandum Emblema, Ecclesiæ militantis, & triumphantis ac Communicationis inter eas intercedentis, nec non Potestatis, clavium & Indulgentiarum summi Pontificis.

L. 4. c. 10. §. 1. SS. Virgo & S. Joannes Apostolus, venerantur S. Petrum Apostolum Summum Pontificem.

L. 3. c. 12. §. 2. Currus mysticus flammeus à Sanctis 4. Animalibus dirigente Christo D. tractus, Symbolum Ecclesiæ.

L. 4. c. 5. §. 1. Anno 1621. Castellum aureum vehementer à Dæmonibus oppugnatum, à Sanctis Angelis protectum est Symbolum Ecclesiæ.

L. 3. c. 15. §. 2. Anno 1619. Christus D. ostendit Ven: Marinæ, causam, cur tam multi ex Ecclesia damnentur, esse, quòd sint pauci operarij.

L. 3. c. 16. §. 1. Exhibetur Ven. Marinæ status confusus Ecclesiæ.

L. 5. c. 6. §. 5. Quomodo se diversè erga Ecclesiam gerant Hæretici, & Peccatores.

C. 7. Ecclesia est similis Apothecæ per totum Mundum diffusæ, in qua sunt infinitæ præstantissimæ Medicinæ pro infinitis ægris sanandis sufficientes: sed desunt idonei Medici, ut plerique sint rudes, inepti, negligentes, exceptis pauculis modicæ scientiæ.

L. 6. c. 13. §. 1. Elegantissimus cum septem canalibus Fons, est Symbolum Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, plenæ meritis Christi D. & Sanctorum.

P. 2. L. 2. c. 38. pag. 379. Anno 1624. Extra Ecclesiam non est salus.

L. 2. c. 40. pag. 387. Anno 1625. Christus D. protegit semper Ecclesiam.

L. 2. c. 8. pag. 241. Anno 1630. Dolor Christi D. ob ingratitudinem, & perversitatem sui populi Christiani.

P. 1. L. 6. c. 13. § 1. *Ritum* Breviarij alternatim persolvi soliti habet Ven: Marina in Angelis.

C. 14. §. 1. Anno 1623. quòd in Ecclesia usus lingvæ *Latinæ*, Divinæ Maje-

Majeſtati placeat, patet, quia omnes illius Domeſtici Angeli unitis vocibus Latinè laudes Chriſti D. concinuerunt.

Sic L. 2. c. 24. §. 1. Divina Spiritus Sancti Perſona Ven: Marinæ collo torquem, pectori pretioſiſſimum cimelium, ſeptem annulos manibus, capiti coronam, auriculis inaures cum magna Authoritate impoſuit, omnia cum Verbis *Latinis*.

Sic L. 6. c. 19. §. 3. audivit Ven: Marina ſuos Angelos preces dicentes *Latinè*.

Ritum Exequiarum Chriſtianarum etiam Dominus variè confirmavit, ùt L. 6. c. 20. §. 1.

Imaginum Sacrarum cultum eſſe Cœleſtibus gratum patet ex Parte 2. L. 1. c. 18. §. 3. pag. 87. col. 4. Item L. 1. c. 30. §. 3. pag. 129. col. 2.

Cultus & Honor ac Adoratio *S. Crucis*, eleganter patet ex P. 2. L. 1. c. 45. pag. 191. ut & honor, qui exhibetur æneis, vel ligneis ſimulachris Chriſti D. Crucifixi.

P. 2. L. 2. c. 40. pag. 386. Chriſtus D. graviter reprehendit *Sectarios* ab Eccleſia Catholica alienos, eóſque præcipitat in Infernum.

L. 2. c. 38. pag. 379. Pagani, Judæi, *Hæretici* non poſſunt in ſua Fide ſalvari.

CAPUT II.

De Eccleſia militante.

HAbuit Ven: Marina diverſas Revelationes, circa ſtatum Juſtorum Viatorum, & circa Ordines Religioſos, ex quibus pauca hic attingam, quibus aliquod lumen etiam circa hæc nobis accedat?

P. 1. L. 6. c. 12. §. 2. Quanti ſint apud Deum pia Deſideria, bona Opera ordinaria, & Affectus Amoris Juſtorum in Terris, quæ nos parvi facimus.

P. 2. L. 2. c. 38. pag. 381. Anno 1626. Preces Juſtorum Viatorum efficaciores ſunt, quam Cœlitum.

P. 1. L. 2. c. 27. §. 1. Preces Juſtorum Viatorum multùm valent apud Deum.

L. 4. c. 17. §. 4. S. Ignatius dicit Ven: Marinæ Juſtos Viatores quandóq; à Deo impetrare, quæ Cœlites non audent.

L. 5. 13. §. 2. Quòd Deus libentiſſimè audiat preces ſuorum in Terra;

ra: itá ut propter eorum ſimplicitatem concedat Deus tantum, aut amplius, quàm Cœlitibns.

Exornatur S. Eccleſia ſtatu Religioſo. Verumtamen prolixum eſſet omnia de his afferre. Sufficiant duo Ordines, cum quibus ſolis Venera: Marina frequentiorem habuit communicationem. Etſi enim ex mandato Dei fundaverit in Hiſpania ordinem S. Brigittæ, cum ejus tamen Patribus nunquam fuit converſata.

P. 1. L. 4. c. 21. §. 3. *S. Dominicus*, exhibet Ven: Marinæ multos ſui ordinis in Terris Sanctos.

C. 22. §. 1. *S. Dominicus* poſtquam magnâ pompâ viſitavit ſuos in mundo Conventus cum tot Sanctis ſui Ordinis, ut viderentur mundum implere, provolutus ingenua ſolenniſſimas egit Deo gratias.

L. 4. c. 18. §. 1. S. Dominicus jubet Ven: Marinam orare pro *Societate JESU*.

§. 2. Sancti 6. Angeli præſentibus SS. Dominico & Ignatio, nomine Sanctiſſimæ Trinitatis annunciant Ven: Marinæ, fore, ut duæ Sacræ Religiones *Prædicatorum & Societatis JESU*, quoad ſententias concordent, venturúmq; tempus, quo id ſit Eccleſiæ neceſſarium.

§. 3. Vidit Ven: Marina Proceſſionem, in qua alternatim procedebant *Dominicani & Jeſuvitæ*, adquos Sancti eorum Fundatores habuerunt ſermones de concordia & unione.

L. 4. c. 13. §. 4. Anno 1615. *S. Dominicus* deprædicat encomia *S. Ignatij*.

C. 14. §. 1. Angeli oſtendunt fructus factos à Societate JESU.

§. 3. Oſtenditur Ven: Marinæ omnes ad illud uſque tempus in Societate mortuos, eſſe Salvatos.

C. 17. §. 4. *S. Ignatius* comparuit in luctu propter exeuntes ex Societate JESU.

§. 3. *S. Ignatius* orat cum ſuis pro Societate.

P. 2. L. 1. c. 28. pag. 119. Anno 1626. Ven: Marina rogat S. Dominicum, ut impetret concordiam inter ſuos & Societatem.

C. 29. pag. 120. Anno 1625. Iterum Ven: Marina rogat S. Dominicum, ut Deo commendet Societatem afflictam, qui ei cauſas perſecutionis aperit.

C. 34. pag. 139. Anno 1626. Vidit Ven: Marina quendam S. Patriarcham iratum ſuis Religioſis, ut & Chriſtum D. omnibus perſecutoribus Societatis JESU.

Pag.

Pag. 140. P. Ludovicus de Ponte narrat Ven: Marinæ donum Zeli Animarum in Societate.

Pag. 141. S. Franciſcus Xaverius dicit ſe eſſe tantum ramuſculum ex arbore Societatis JESU.

CAPUT III.

De Eccleſia Triumphante.

PLena eſt utraque Pars Vitæ Ven: Marinæ rerum cœleſtium, propterea ſolùm annotabo pauca, circa aliquos Sanctos, ex quibus etiam articulus Fidei de Cultu & Invocatione Sanctorum confirmatur.

Sancti Petrus & Joannes Baptiſta extulerunt ad Cœlum Cor Cordis Ven: Marinæ. Parte 2. L. 1. c. 8. pag. 41.

S. Joannem Evangeliſtam videt Ven: Marina quaſi in corpore reſuſcitato. Parte 1. L. 4. c. 11. §. 4.

S. Maria Magdalena non peccavit mortaliter peccato carnis. Parte 1. L. 4. c. 11. §. 1.

Sancti Coſmas & Damianus, tanquam Medici viſitant Vener: Marinam L. 3. c. 13. §. 3. Præſentibus ijsdem Sanctis Dæmones torquent duos Tyrannos L. 5. c. 20. §. 3.

S. Chriſtophorus transferebat per flumina Viatores c. 21. §. 3.

S. Benedictum exaltat S. Ignatius. Parte 2. L. 1. c. 26. pag. 113.

S. Benedictus primus vixit, ut Religioſus, ſub Obedientia, & Obſervatione regularum. P. 2. L. 1. c. 37. pag. 114.

S. Bernardus plurimùm meruit tolerantiâ morborum. Parte 1. L. 4. c. 26. §. 5

S. Bonaventuram conatur impedire Diabolus inſpecie Buſonis. Parte 2. L. 1 c. 32. pag. 131.

S. Angelus Cuſtos reprehendit Ven. Marinæ inurbanitatem erga Sanctos. P. 1. L. 2. c. 22. §. 3.

S. Dominicus à quodam Peccatore in Patronum electus, ardentiſſimè ejus cauſam agit. P. 1. L. 5. c. 13. §. 3.

Ven: Marina petit in Cœlo Virtutes Sanctorum Franciſci, Dominici, & Abrahami. L. 3. c. 11. §. 1.

Beatissimæ Virginis Imaginem Sylvæducensem in Belgio malè ab hæreticis tractatam vindicari petit à Deo Ven: Marina. P. 2. L. 2. c. 12. p. 262.

P. 1. L. 1. c. 22. §. 1. *S. Dominicus* fuit in puerita Sanctus.

§. 3. S. Thomas ex suggestu prædicat Laudes S. Dominici.

L. 4. c. 20. §. 1. S. Dominicus est in cœlo ex eis, qui habent auream clavim.

C. 22. §. 2. Donavit pretiosum Rosarium Ven: Marinæ.

P. 2. L. 1. c. 28. pag. 117. Maximos honores Deus, & Cœlites exhibent S. Dominico.

P. 1. L. 4. c. 23. §. 4. S. Franciscus Seraphicus ducit Ven: Marinam ad videndum suum corpus.

C. 24. §. 1. Explicat Ven: Marinæ modum, quo Sancti assumunt corpora, & in eis apparent, eámq; cum SS. Bonaventura, Ludovico, Antonio, Junipero ducit ad suum sepulchrum.

P. 1. L. 4. c. 23. §. 2. Extollit laudes Patientiæ coram Ven: Marina, qui secum adduxit ex Cœlo parvulum ejus nepotulum Infantem.

P. 2. L. 1. c. 30. pag. 123. Anno 1624. Describitur Crypta Sacri Corporis, ad quod honorandum admissi ejus religiosi diversorum officiorum, ut coci, hortulani: aliqui in acutis, aliqui in rotundis caputijs.

Pag. 124. Invitat Ven: Marinam, ut in ejus domo petat frustum panis, & scutellam ejus jusculi, quod dari solet pauperibus. Deinde invitat illam ad Convivium in Cœlo, quod Deus instructurus esset in ejus festo, omnibus Sanctis Patriarchis Religionum, & omnibus Sanctis, qui ex eis canonizati sunt: ministraturis ad mensam ipso Sancto Francisco, S. Bonaventura, S. Ludovico Rege Galliæ, & Fratre Junipero. Pompa S. Francisci procedentis ad illud convivium, ad quod ministravit ipse reflexis manicis.

Pag. 126. Deus Sancto Francisco miras gratias concessit, ut ei apud populum conciliaret æstimabilitatem pro ejus munere necessariam.

L. 1. c. 31. pag. 128. Anno 1629. Vidit Ven: Marina ingentem Glo-rlam Sancti Francisci.

P. 1. L. 2. c. 28. §. 3. *S. Ignatio* delatus honor in Cœlis gestandi SS. Sacramentum in solennitate Corporis Christi.

L. 1. c. 18. §. 1. Non vult agi de sua canonizatione.

P. 2. L. 1. c. 33. pag. 135. Ven: Marina videt Animam *Sancti Ignatij* intra fortissimam & coruscam columnam. Deinde in gloriosissimo Throno cum splendididissimo in pectore Nomine JESU, assistente Sancto

Fran-

Francifco Xaverio, & fuis Religiofis, quibus dedit Benedictionem. Tum Sanctus Dominicus juffu Dei, dixit Panegyrim S. Ignatij. Demum gratulati funt ei omnes Sancti,

P. 2, L. 1. c. 33. pag. 137. *Sancti Ignatij* latera ftipabant S. Francifcus Xaverius, & Ven: P. Ludovicus de Ponte, qui dixit quòd magno fe periculo exponant, qui ex Societate egrediuntur.

C. 34. pag. 139. *S. Ignatius* vifus eft cum facerdote celebrante fe penetrare, & unire.

P. 1. L. 1. c. 18. §. 2. S. Ignatius confcripfit numerum fuorum bonorum Filiorum, ut fpecialem eorum curam gereret.

§ 3. Diabolus fe interponebat, nè Ven: Marina poffet loqui S. Ignatio.

L. 4. c. 14. §. 3. Deus S. Ignatio committit arbitrium Vitæ & mortis Ven: Marinæ.

P. 1. L. 4. c. 19. §. 1. *S. Francifcum Xaverium* in curru Triumphali circumvehunt per omnes Provincias, in quibus prædicavit.

§. 2. *S. Xaverij* pedes apparent aurei, Cor inftar ardentiffimi carbonis, manus fvaviffimi odoris.

§. 3. S. Xaverius donat Ven: Marinæ Reliquiarium, in quo fuit myfticè Virtus Cœleftis Spiritûs, Sancti Ignatij.

CAPUT IV.

Articulus Decimus. Remiffionem peccatorum.

P. 1. L. 2. c. 6. §. 4. & 5. SS. Virgo nunciat Ven. Marinæ, Chriftum D. in ea nafciturum per Gratiam. Simile eft c. 7. §. 2,

L. 6. c. 15. §. 5. Ven: Marina Baptifmalem Gratiam cupit renovare.

P. 1. L. 2. c. 29. Sacerdotes Confeffarij lavant Animas. Ibidem P. 2. c. 21. pag. 299.

P. 2. L. 1. c. 13. pag. 54. Abfolutio Sacramentalis non competit Cœlitibus.

Ibidem c. 37. pag. 150. Ven. P. Ludovicus quoddam Schema Extremæ Unctionis confert.

P. 1. L. 4. c. 25. §. 4. Iteratio *Indulgentiæ plenariæ* non eft fuperflua.

P. 2. L. 1. c. 16. pag. 68. *Indulgentia* Thefaurus Ecclefiæ.

P. 1. L. 5. c. 5. §. 2. Requifita ad lucrandas *Indulgentias.*

P. 1. L. 5. c. 1. §. 1. *Purgatorij* pœnæ.

C. 2. §. 1. *Purgatorij* pœnæ graviores, quàm hujus Vitæ morbi. Pati, quod à Deo immittitur, etsi non desint multi defectus, satisfacit pro multis annis Purgatorij.

§. 2. Animæ *Purgatorij* patiuntur quælibet seorsim solitariè, acsi nulla alia adesset.

§. 3. Inferni tormenta sunt majora, quàm Purgatorij; ubi singulis Animabus constat, quòd sint in Gratia.

§. 4. Animæ purgantur etiam extra locum Purgatorij.

§. 5. Deus faventissimus Animabus Purgatorij liberaliter *Indulgentias* eis concedit.

Et c. 3. §. 1. Infantes in Cœlo, rogant pro suis Parentibus in Purgatorio, &c.

§. 2. Ven: Marina singulis Communionibus liberat quatuor Animas, qui numerus respectu Purgatorij est, quasi gutta respectu vasti fluvij.

§. 3. Anima per Indulgentias educta ex Purgatorio, nondum tamen ducta ad Cœlum.

Et c. 4. §. 2. Actibus Heroicis liberantur Animæ. Magnus Jubilus in Cœlo ob Animas ex diuturnioribus pœnis liberatas.

§. 5. Parenti ex Purgatorio exeunti, obviam cum Angelis procedunt ejus proles ex Cœlo.

§. 6. Ad Matris preces Filius paulò post occidendus à mala vita conversus ad Purgatorium pervenit. Non facilè permittit Deus Animas damnari, sed ad hoc multùm requiritur. Non omnes, qui moriuntur sinè Sacramentis, damnantur.

Et c. 13 §. 5. Deus punit peccata venialia gravibus pœnis.

P. 2. L. 1. c. 4. pag. 18. Descriptio Purgatorij.

C. 24. pag. 104. S. Dominicus per Ven: Marinam liberat Animam ex Purgatorio.

L. 2. c. 17. pag. 279. Deus prohibet applicari Indulgentias pro quadam Anima ad Purgatorium usque ad diem Judicij Damnata.

Pueri parvi graves sustinent pœnas, quia nos credimus eos statim migrare ad Cœlum, & ideo pro illis non oramus.

Religiosus ob immoderatum affectum erga consangvineos, etiam liberatus à Purgatorio adhuc ostentat dolorē ob tot gradus gloriæ neglectos.

Pagi-

Paginâ 281. Ven: Marina graviora in suo lecto passa, quam quædam Anima Purgatorij, pro qua plurimas preces obtulit diu.

Paginâ 283. Colloquium mirabile cum Deo ad liberandam quandam Animam.

P. 1. L. 2. c. 7. §. 2. S. Franciscus Seraphicus non fuit *Sacerdos*, & ideo Missam coram Ven: Marina non celebravit sicut S. Dominicus, & S. Ignatius.

L. 4. c. 1. §. 3. Potestas data *Sacerdotibus*.

L. 1. c. 29. §. 3. Sanctissima Virgo reveretur officium *Sacerdotis*.

L. 5. c. 13. §. 3. *Sacerdotes* suo officio repræsentant Christum D.

P. 2. L. 1. c. 46. pag: 198. Modus, quo in Ven: *Sacramento* existit tota Sanctissima Trinitas.

L. 2. c. 20. pag: 297. Diaboli vires omnes corruunt ad præsentiam *SS. Evcharistiæ*.

P. 1. L. 2. c. 26. §. 4. Modus, quo Christus D. existit in Ven: *Sacramento*. Idem habetur L. 4. c. 2. §. 5. Et L. 2. c. 26. §. 3.

L. 2. c. 22. §. 1. Institutio *Ven: Sacramenti*.

§. 2. Transubstantiatio.

§. 3. Admirandæ declarationes, & similitudines modi existendi Christi D. in *SS. Evcharistiæ*.

§. 4. Christus D. in *SS. Evcharistia* nec videt, nec audit.

§. 5. Ven: Marina vidit ipsum modum transubstantionis, quem nulla lingva explicare potest.

P. 2. L. 1. c. 46. pag: 195. Christus D. ipsemet Ven: Marinæ porrigit, *SS. Evcharistiam* & labia linteolo abstergit.

P. 1. L. 2. c. 28. §. 1. S. Michaël Archangelus, & omnes SS. Angeli prostrati, rogant, & impetrant, ut D. Deus augeat in Ecclesia venerationem Sanctissimæ *Evcharistiæ*, quam & ipsi venerantur.

P. 1. L. 2. c. 27. §. 1. Sacratissimus sangvis & Corpus Christi D. *in Missa* quotidie oblatus est tanti Valoris, ut propter ipsum tolerentur populi, qui mererentur destrui.

§. 4. Christus D. se cum Sacerdote celebrante incorporat.

L. 6. c. 19. §. 4. S. Dominicus præbuit *viaticum* Ven: Marinæ.

P. 2. L. 1. c. 46. pag: 96. Quantopere affligat Dæmones cultus SS. *Evcharistiæ* ad Festum Corporis Christi.

L. 1. c. 46. pag. 147. Solennitas in Cœlis die Corporis Christi, & indu-

industria Dæmonum, ne quid Hæreticis, Gratiæ & Favores Cœlestes illâ die prosint.

P. 1. L. 2. c. 26. §. 1. Admiranda in Cœlo Processio die Cœnæ Domini, cum Ven: Sacramento, quòd Deus Pater portavit.

C. 27. §. 2. Quòd Christo D. sit grata nostra Festivitas Corporis Christi.

§. 3. Christus D. in Processione in SS. *Eucharistia* deportatus, miranda mysteria Ven: Marinæ exhibet, tolerans præsentium erga se irreverentiam. Aliàs in simili processione eidem exposuit suum erga genus humanum affectum.

C. 28. Angeli eleganter ad Festum Corporis Christi ornati narrant de solennitate, quæ tunc habetur in Cœlo.

CAPUT VI.

Articulus Duodecimus. Vitam æternam.

ADverte Lector Articulum Undecimum; *Carnis Resurrectionem*, jam esse explicatum, & absolutum supra, ad Articulum Septimum, de Judicio extremo, ubi Christus D. Judex omnium faciet omnes mortuos resurgere.

P. 1. L. 3. c. 16. §. 2. De Via; quâ pervenitur ad *Cœlum*.

C. 10. §. 1. & §. 3. & §. 5. Describitur *Beatitudo* Cœlestis, ad nictum oculi visa à Ven: Marina.

L. 13. §. 4. Ven: Marina videt ex suo lecto Cœlum stellatum.

§. 5. Ven: Marina videt Deum instar Amphitheatri.

C. 11. §. 5. Plures fœminæ, quàm Viri student contemplationi.

L. 3. c. 7. §. 3. Sancti Cœlites nunciant Ven: Marinæ, quòd sit æternum in Cœlis victura.

§. 4. Prægustatio *Beatudinis*.

C. 9. §. 3. Excellentia *Beatitudinis* deprædicatur.

L. 3. c. 6. §. 4. Ven. Marina cupit citò esse *in Cœlo*.

C. 10. Ven: Marina assimilat se myopi respectu visionis rerum cœlestium.

P. 2. L. 1. c. 47. pag. 200. Vita præsens incapax Beatitudinis.

C. 48. pag. 204. Beatitudo inexplicabilis, etiam totius Mundi verbis, nec quoad partem suam aliquam. L. 2. c. 2. pag. 213.

Sed

Sec nec ulla similitudo in creatis invenitur. L. 2. c. 40. pag. 389.

P. 1. L. 4. c. 7. §. 4. Etiam oculi corporei frequentibus Revelationibus fiunt quasi spirituales.

P. 2. L. 2. c. 39. pag. 383. *Beatitudo Parvulorum*, post Baptismum statim mortuorum.

L. 1. c. 20. pag. 87. Gradus diversi Cœlitum, quos etiam Visio cujusdam Lunæ (quæ est Symbolum Sanctissimæ Virginis) accidentaliter exhilarat.

P. 1. L. 5. c. 1. 2. & 3. Status *Parvulorum in Limbo.*

P. 1. L. 3. c. 21. §. 3. Ostendit Deus Ven: Marinæ Voragines, & tormenta *Inferni.*

P. 2. L. 2. c. 2. pag. 212. Peccatores unà cum suis Divitijs in *Inferno.*

P. 1. L. 5. c. 5. §. 1. *Damnati* instar rabidorum Canum cum Diabolis permixti, intra Fossam ardentem, volutati opprimuntur à gravissimo pondere.

§. 3. Deus non facilè revelat statum ullius *Damnati.*

L. 5. c. 11. §. 4. Vidit Ven: Marina quendam à Diabolis ad *Infernum* deportari.

C. 18. §. 4. Ven: Marina videt triginta Religiosos *Damnatos.*



TRACTATUS V.

Documenta Moralia ex Revelationibus Venerabilis Marinæ de Escobar in S. Ecclesiæ commodum redundantia.

Ractatu præcedenti ostendi copiosè, quantopere non solùm Sanctæ nostræ Catholicæ Fidei congruant Revelationes Venerabili Marinæ Virgini de Escobar exhibitæ; verùm etiam, quòd multi hujus ipsius Sanctæ Fidei Articuli lucem aliquam inde accipiant, ad majorem declarationem, illustrationem, ac confirmationem. Nunc referendum superest, quantam etiam Sapientiam pro moribus, & actionibus Hominis Chri-

Christiani Venerabili huic Virgini contulerit Divina Majestas, ut inde fructus Doctrinæ Asceticæ redundet etiam in Ecclesiam Sanctam, præsertim pro directione Patrum Spiritualium; & Ascetarum, ut Documenta eis suppetant suas aliorúmq; Animas ad supremos Perfectionis gradus securè deducendi. Quia verò Libri hujus moles Brevitatem exigit, ideò solùm loca indicare contentus, Lectorem ad ipsam Vitam duobus Tomis, seu duabus Partibus hîc Pragæ editam, remitto.

CAPUT I.

De statu peccatorum, de Miserijs hujus Vitæ, ac de Pœnitentia.

DE hoc agit Ven: Marina Par: 1. L. 5. c. 6. §. 3. Dæmon habet suos Crucifixos.

P. 2. L. 2. c. 5. pag. 229. Cælites pro aliquibus Peccatoribus non orant..

L. 2. c. 21. pag. 303. Quidam homines malitiâ Diabolis pares.

P. 1. L. 5. c. 11. §.4. Pro quibusdam Peccatoribus non est orandum.

L. 5. c. 7. pag. 479. Restitutionis obligatio multos damnat.

P. 2. L. 2. c. 6. pag. 231. Difficilimum est aliquos peccatores convertere.

P. 1. L. 3. c. 15. §. 2. Vanitatem mundi detestatur Deus.

P. 2. L. 1. c. 6. §. 29. Servis Dei licent quandoque recreationes.

L. 2. c. 22. pag: 305. Quærite primùm Regnum Cœlorum.

P. 1. L. 1. c. 15. Tentationes superantur recursu ad Deum.

§. 1. Diabolus Phantasiam intorquet.

L. 2. c. 10. §. 2. Dæmonis ferocia in tentando.

L. 1. c. 15. §. 2. Corona Cœlestis Patientiæ pro Deo, præsertim usq; ad sangvinem.

§. 3. *Jejunium* diei Cinerum violatum.

Scrupuli. P. 2. L. 1. c. 32. pag. 132. Qui non vult decipi non decipietur.

L. 2. c. 42. pag. 398. Doctrina pro scrupulosis.

P. 1. L. 1. c. 16. §. 4. Fervor aliquando remittendus.

L. 1.

L. 1. c. 18. §. 3. Distractio aliquando necessaria.

C. 9. §. 1. & 2. Leves defectus facilè condonantur, & sunt pro cautela.

Pœnitentia an præstet Innocentiæ. P. 1. L. 1. c. 10. §. 1.

P. 1. L 1. c. 16. pag. 74. Oportet cooperari Deo. Idem habetur L. 3. c. 5. §. 3.

P. 2. L. 2. c. 21. pag. 298. Horror difficultatum vincendus.

L. 1. c. 37. pag. 151. Solus Homo resistit Deo.

L. 3. c. 18. §. 3. Vera Pænitentia perducit ad Cœlum securè.

L. 1. c. 10. §. 3. Vene. Marina graviter punita.

P. 1. L. 1. c. 28. §. 2. D. Deo quisque det quod habet.

§. 5. Victoria Sui.

L. 6. c. 4. §. 1. Deus ipse approbat aliqua fomenta in Mortificatione.

C. 15. §. 1. Flores quinque sensuum Deo statim in prima ætate offerendi.

L. 1. c. 11. §. 1. Molestationes conservant Animam in subjectione.

CAPUT II.

De Humilitate, Paupertate, Castitate, Obedientia & Patientia.

P. 1. L. 1. c. 5. pag. 22. *Humilitatem* augent favores Divini.

L. 1. c. 7. §. 1. Paradoxa *Humilitatis*.

§. 4. *Cognitio propria* inflammat Amorem Dei.

C. 21. pag. 96. col. 1. Annulo inscriptum; Ancilla JESU Christi mei Domini.

L. 1. c. 27. §. 2. *Humilitas* fugit singularia & speciosa.

§. 4. *Humilitas* Ven: Marinæ, dum illi stigmata sacra imprimerentur.

L. 2. c. 23. §. 4. Ven: Marina horret Titulum sponsæ. Idem habetur L. 3. c. 14. §. 2.

Humilitas Ven: Marinæ P. 2. L. 2. c. 22. pag. 306. Item L. 5. c. 10. §. 5. Ibidem pag. 299.

L. 6. c. 12. §. 1. Arbor debet ignorare suos fructus.

P. 1. L. 1. c. 7. pag. 29. *Cognitio sui* est Crux gravissima.

§. 3. Præcipuum Exercitium Ven: Marinæ est *cognitio sui.*

§. 4. Ven: Marina *in cognitione* sui alios excellit.

P. 2. L. 1. c. 1. pag. 3. *Cognitio sui* est Vitæ spiritualis Clavis.

L. 2. c. 21. pag. 298. *Cognitio sui* temperanda per fiduciam in Deo.

L. 1. c. 2. pag. 6. Omnia nostra sunt Deo attribuenda.

P. 1. L. 1. c. 9. §. 2. *Cognitio sui* parit Contritionem.

P. 1. L. 1. c. 2. §. 3. Diabolus Ven: Marinam decepit initio.

P. 2. L. 1. c. 32. Cognitio miseriæ nostræ agnoscit malitiam peccati.

C. 4. pag. 19. *Cognitio sui* dolet de Peccatis, quæ unquam committere poterat.

L. 1. c. 1. pag. 2. Arcana mira Cognitionis sui.

L. 2. c. 22. pag. 304. Cognitio sui persvadet sibi inesse omnia possibilia peccata.

P. 1. L. 5. c. 28. Septem Puncta Cognitionis propriæ.

P. 1. L. 1. c. 4. §. 5. De eo, quod est *servire Deo.*

L. 5. c. 20. §. 2. Servitium Dei initio habet difficultates.

L. 1. c. 11. §. 2. *Timor Domini* Turris fortis.

P. 2. L. 1. c. 15. pag. 63. *Timor Domini* custodit Thesauros Animæ.

P. 1. L. 1. c. 13. §. 1. *Fides* de mysterio SS. Eucharistiæ quantopere placeat Deo.

§. 2. Ad S. Comunionem magis attrahit Amor, quam retrahit Timor.

§. 3. Dæmon odit frequentiam SS. *Eucharistiæ.*

P. 1. L. 1. c. 17. §. 4. Ven: Marina petit pati necessitates Corporis.

C. 22. §. 2. pag. 100. *Paupertatem* Ven: Marinæ sublevat S. Dominicus.

L. 6. c. 11. quàm grata sit Deo *Paupertas* spiritu.

P. 2. L. 6. c. 22. pag. 305. *Paupertas* Ven. Marinæ elemosynaria.

L. 2. c. 6. pag. 235. Ven: Marinæ aspectus, liberat à Tentatione *Carnis.*

L. 3. c. 6. p. 427. Familiaris cum DEO conversatio facit Animas castas.

P. 1. L. 4. c. 34. §. 2. *Obediendum* Confessario contra proprium sensum.

L. 1. c. 6. pag. 26. Vita Ven: Marinæ permixta fuit gaudijs & crucibus.

§. 2. *Patientia* optima in Crucibus, quas Deus permittit congruè ad cujusque statum.

C. 10. pag. 48. Angeli hortantur Ven: Marinam *ad Patientiam sui ipsius.*

L. 6.

L. 6. c. 2. Præstantia status Patientiæ. §. 3. etiamsi aliquando impediat laborem pro salute proximi.

C. 9. §. 3. Bonum est in afflictione petere levamen, cum resignatione.

P. 1. L. 1. c. 9. §. 4. *Odium* sui.

P. 1. L. 2. c. 14. pag. 189. Angi desiderijs pro Deo, est etiam *Patientia*.

P. 2. L. 1. c. 25. pag. 318. *Resignatio* Deo placet, etiam non secuto effectu.

P. 1. L. 1. c. 6. §. 3. Deus scit facere, ut quod est modicum, affligat multum.

C. 30. §. 1. *Crux* est etiam Instrumentum Solatij.

L. 2. c. 9. §. 3. Æstimatio *Crucis*.

L. 3. c. 17. §. 2. D. Deus porrigit occasiones *Resignationis* heroicæ.

P. 2. L. 1. c. 22. pag. 101. S. Joseph extollit encomia *Crucis*.

L. 2. c. 21. pag. 301. Christus D. tentatus per omnia, juvat in tribulationibus.

C. 25. pag. 316. Admirabilis *Resignatio* in Cruces præ delicijs.

P. 1. L. 1. c. 32. §. 1. Nunquam Deus nobis vicinior, quàm in Tribulatione.

CAPUT III.

De Oratione, & Revelationibus.

P. 1. L. 1. c. 5. §. 1. Oratio perseverans Deum movet.

§. 3. Disparitas inter Orationem Discursûs, & infusam sinè discursu.

C. 11. pag. 52. Oratio, quasi ex Justitia, exigit à Deo.

C. 14. §. 3. Oratio stringit Deum; Oportet petere, sicut debet. Deus exaudit suos quandóque faciendo, ut sit ad Gloriam ejus, quod alioquin non esset.

L. 4. c. 17. §. 4. Justi impetrant in terris, quod quandóque Cœlites non audent.

C. 23. §. 4. Ven: Marina impetrat, quod non potuit S. Franciscus.

P. 2. L. 1. c. 45. pag. 190. Multorum preces prævalent Orationi Ven: Marinæ.

L. 2. c. 3. pag. 216. Justorum oratio semper exauditur.

C. 6. pag. 236. Admirandus casus, quo Oratio ligavit manus Deo.

C. 9. pag. 249. Tres vetulæ suis orationibus sustentant Hispaniam.

P. 1, L. 5. c. 8. §. 3. Quod Christus D. solus non impetrat, impetrat humilis Oratio juncta cum meritis Christi D.

L. 5. c. 13. §. 2. Justi in Terra, suâ simplicitate sæpe plus impetrant, quàm Cœlites.

C. 19. §. 2. Decretum Dei est tam potens, & immensum, sicut ipse Deus, quandóq; immutabile.

L. 6. c. 9. §. 3. Deus nè quid suis neget, facit nè id petant.

L. 5. c. 30. §. 1. Ingentia bona orationis. Quinque conditiones Orationis.

§. 3. Etsi quandoq; non percipiatur Oratio esse exaudita, exauditur tamen.

P. 2. L. 2. c. 1. pag. 208. Specialis Casus admirandus, exauditur post 9. Missas Orationis pro tota Christianitate.

C. 26. pag. 320. Sanctissima Virgo docuit Ven: Marinam quandam *Orationem Vocalem*.

Paginâ 321. Alia, similis Oratio Vocalis admirabilis.

Paginâ 322. Alia, quam docuit Divina Majestas.

Paginâ 323. Devotio per quinque Pater & Ave à Deo laudata, & alia per 11. Missas. Item alia per 34. Missas.

Paginâ 324. Alia efficax Devotio per 4. Missas tradita à SS. Deipara.

P. 1. L. 3. c. 3. §. 1. Ven: Marina rapta intra Deum, vidit momentaneè faciem Dei.

C. 1. §. 4. Descriptio immersionis in divinam caliginem: Ampliùs est, quàm hoc.

P. 2. L. 2. c. 4. pag. 223. Quæ in his Visionibus videntur, differunt à nostris plûs, quam res à malè picta sua imagine.

P. 1. L. 1. c. 3. §. 3. Non omnes Revelationes fiunt solùm in spiritu.

P. 2. L. 1. c. 12. pag. 50. In omni Revelatione sui semper Deus alio modo se Ven: Marinæ exhibuit.

L. 3. c. 1. pag. 401. Modus verborum, quæ à nobis percipiuntur, differt ab illo, quo pronunciantur à Divina Majestate, ibiq; ab Anima percipiuntur, sicut res vivens à mortua.

P. 1. L. 1. c. 11. §. 3. Stupenda cum Deo Familiaritas.

P. 2. L. 2. c. 5. pag. 227. Spiritûs Sancti erga Ven: Marinam blanditiæ Amoris.

P. 1.

P. 1. L. 2. c. 23. §. 2. Spiritus Sanctus exhibet maximos Favores Ven: Marinæ.

P. 2. L. 1. c. 21. pag. 95. Stupenda cum Spiritu Sancto Familiaritas.

L. 1. c. 46. pag. 105. Stupenda cum Christo D. Familiaritas.

L. 3. c. 2. §. 3. Status Revelationum affert Vitam prorsus aliam, quasi Aulicam post Rusticam.

Caput IV.

Conformitas cum Divina Voluntate, Amor DEI & Proximi ac suprema Perfectio.

P. 1. L. 1. c. 5. pag. 22. Non expedit omnibus Via extraordinaria, nec omnibus ordinaria.

L. 1. c. 8. §. 4. Deus Ven: Marinæ Divinæ Voluntati conformatæ dixit: quidquid feceris, mihi placebit.

C. 9. §. 3. Deus exigit Cor indifferens ad subeundas Tentationes.

C. 16. §. 1. Oportet esse contentum, quòd Deus huic hoc, aliud alteri injungat.

L. 3. c. 2. §. 1. Si Deus nos poneret cum Job ad sterqvilinium, daret etiam auxilia ad hoc.

L. 5. c. 33. §. 2. Studiosum Sanctitatis oportet esse contentum, ut sit ex minimis servis Dei.

L. 6. c. 1. §. 4. Angelus Custos format scriptum, quo Ven: Marina se conformat in omnibus Divinæ Voluntati, cui se subscribit etiam Christus D.

C. 3. §. 2. Actu uno Resignationis plus merita Ven. Marina, quàm aliàs totâ Vitâ.

§. 3. Scriptum Instrumentum Resignationis in Divinam Voluntatem subscripsit Christus D. & Ven: Marina.

§. 4. Resignationi in æternum, non censentit Christus D.

§. 5. Per Resignationem augetur stupendè meritum.

§. 6. Resignatio quoad gradum Sanctitatis, quem nobis voluerit Deus dare.

P. 2. L. 1. c. 17. pag. 79. Dæmon resistit actibus Resignationis. Stupendus actus Resignationis in Cœlo à Ven: Marina elicitus.

P. 1. L. 1. c. 8. §. 1. & 2. *Amor Dei* satiat, simul & plus desiderat amare. Sanctæ stultitiæ, quas lingva tunc effundit.

C. 10. *Amoris* fervor.

L. 2. c. 16. §. 6. *Amor* non vult dimittere amatum.

P. 1. L. 1. c. 23. §. 3. Ven: Marina per plateas, & aliàs obvios exhortatur ad bonum.

P. 2. L. 1. c. 23. pag. 102. Ven. Marinæ data clavis ad salvandas Animas.

P. 1. L. 5. c. 10. §. 3. Ven. Marina, videbatur sibi suis humeris portare universos homines.

§. 2. c. 10. §. 3. Deus non vult deseri negotia concernentia proximos.

P. 1. L. 1. c. 3. §. 3. Status *Animæ perfectæ*.

L. 6. c. 15 §. 1. Errores *Amoris* bene possunt ignosci.

C. 16. pag. 654. In Anima perfecta concurrunt Actus Virtutum unitarum in unum.

P. 2. L. 1. c. 7. pag. 32. Tandem Corpus consentit, & adjuvat Spiritum, quasi spirituale.

Pag. 33. Majora præstat Anima *perfecta*, auxiliante corpore, quàm sinè illo.

L. 2. c. 21. pag. 299. Virtutes præstantissimæ, quasi aurum igne, evadunt altiores Humilitate &c.

CAPUT V.

Documenta Venerabili Marinæ, ut & ab ea data.

P. 1. L. 4. c. 16. §. 2. S. Ignatij de Constantia Documentum.

P. 2. L. 1. c. 24. §. 105. S. Augustinus de Renovatione oblationis sui.

C. 25. pag. 106. Conciones Sanctorum quatuor Patriarcharum.

P. 1. L. 5. c. 31. §. 2. Epistola ad P. Provincialem Dominicanorum, de Meditatione & Collectione.

§. 3. Ad quendam Patrem Dominicanum de Vita solitaria non amplectenda.

P. 2. L. 2. c. 23. pag. 308. Ad suas Sorores domesticas de Miseria nostra, & amore Dei in nos.

Pag. 310. Ad Monialem cujusdam Monasterij de Humilitate, & cauta Custodia sui.

C. 24.

C. 24. §. 315. Ad quendam Magnatem de retinendo officio in obsequio Regis.

P. 1. L. 1. c. 23. §. 1. Deus mittit Ven: Marinam ad conversandum cum Patribus Dominicanis.

C. 11. §. 3. Quomodo se gerendum erga Confessarios.

C. 19. §. 1. Expedit omnia aperire Confessario, etiam non dubia.

§. 3. Ven: Marina voluit suo Confessario facere votum Obedientiæ: cui S. P. Ignatius limitatè vix tandem consensit.

L. 5. c. 12. §. 2. Iratus valde Deus cuipiam Magnati scandaloso.

L. 6. c. 13. §. 1. Ministri Justitiæ debent semper respicere Deum.

P. 2. L. 2. c. 19. pag. 289. Personæ publicæ caveant obstinatè propriumjudicium.

CAPUT VI.

Quædam de statu publico.

P. 1. L. 5. c. 10. §. 3. Anglia convertetur.

P. 2. L. 1. c. 29. pag. 122. S. Dominicus cum Ven: Marina Diabolos per Germaniam & Belgium expulerunt.

L. 2. c. 4. pag. 221. Ven: Marina, jussu Dei, promulgavit quædam per omnes 4. Mundi Partes, dispari effectu.

C. 13. pag. 265. Ven: Marina in Anglia & Palæstina distribuit dona Dei.

C. 15. pag. 270. Deus iratus Japoniæ & Carolo Regi Angliæ.

C. 16. pag. 276. Matrona quæpiam in Provincia pagana ignota procul remota Christianam Fidem ibi occultè fovet & promovet, cui & Anglis Ven: Marina distribuit Cælestia dona.

C. 9. pag: 250. Ven: Marina petit diu vivere pro auxilio Hispaniæ.

C. 11. pag: 225. Hispaniæ expedit exspectare potius, quam inquirere hostes.

Pag: 257. Hispani Ven: Marinam non audientes periclitati de amittenda Flotta Indica.

C. 12. pag: 260. Perditio Hispaniæ ex falsa moneta.

Pag: 261. Deus misit Philippo quarto auream catenam, & alijs Aulicis alia.

C. 24. pag. 313. Non sunt tanta merita Catholicorum, ut eorum causam Deus contra Hæreticos extraordinariè juvet.

C. 34. pag. 314. Bonitas Dei Germaniam & Belgium punientis habuit plumbeos pedes.

TRACTATUS VI.

De nimio Amore DEI erga homines, per nimiam erga Sanctos familiaritatem, & blanditias nimias declarato.

QUia præcipuum, quod in Venerabilis MARINÆ de ESCOBAR mirabili vita aliquibus displicet, est tanta ejus felicissimæ Virginis cum Divina Majestate Familiaritas, ut in nullo Libro gestorum cujuspiam Sancti tanta, tam cumulata inveniantur amoris blandissimi miracula: ideò Tractatu isto specialiter difficultati huic conabor satisfacere. Breviter quidem, quia moles Libri plus non permittit.

CAPUT I.

Cur necesse sit, præsertim in novo Testamento tantas Blanditias Sanctis à DEO exhiberi.

I. In-

I.

INfinitam Eſſentiam DEI, Infinitam quoque neceſſe eſt ſequi Omnipotentiam, Infinitam Sapientiam, Infinitam Bonitatem, Infinitam Durationem, adeóque & Infinitam Miſericordiam, Infinitam Juſtitiam. Scitum enim eſt: *Proprietas ſequitur ſuum fundamentum*, ergo & Infinitæ Eſſentiæ DEI proprietates, ſeu attributa correſpondere, & proportionari non poſſunt, ſi non ſint etiam ipſæ perfectionis Infinitæ. Quis enim ignorat monſtrum fore abominabile, ſi homo quiſpiam naſum haberet unius digiti, oculos verò æquales toti orbi terrarum, tibiam haberet unius milliaris, tibialia verò unius ulnæ? Natura nempe eſt, quæ ſibi relicta omnia producit in pondere, numero, & menſura, nec nisi coacta & aliunde in ſuo ordine impedita declinat in monſtra. Unde quidquid alicui proportionatum non eſt, non eſt ei naturale. Et Natura quidē pati violantiam poteſt, quia eſt diviſibilis; ſed DEUS ſimpliciſſimus, ſupremum Ens omnia Entia antecedens, nec habet in quo, nec à quo impediatur, cùm ſit ità indiviſibilis & ſimpliciter ſimplex, ut nec Eſſentia ejus ab Exiſtentia in eo diſtingvantur.

II. Jam ergo Fide tenemus DEUM eſſe infinitè juſtum, & propterea pœnas ab illo poſſe infligi infinitas: tenemus quidem Fide, ſed tamen in hoc ipſo ſentiendo experimur difficultatem, dū capere non poſſumus, quomodo Infinita amantiſſimi Patris Bonitas, per millies millena ſecula nullum ſit levamen, nullam remiſſionem damnatis ſuis creaturis præſtitura. Nec ullum Argumentum hanc nobis veritatem perſvaderet, nisi in obſequium Fidei ſanctæ Intellectum captivaremus. Non minorem ſentimus difficultatem, dum Judicia DEI ſuper nos mortales Abyſſum multam, imò Infinitam, & incomprehenſibilem conſideramus, quòd Divina Bonitas, ſincerè deſideret ſalutem omnium, ità ut atrociſſimam pro omnibus ſubierit mortem; & tamen ſimul, cùm in manibus ejus ſit ſalus omnium,

posſitq; prædeſtinare omnes, non tamen prædeſtinet, ſed unū, nihil præ alio meritum prædeſtinat, altero in numero damnandorum miſerè relicto. Nempe *O Altitudo Sapientiæ, & Scientiæ DEI Infinita*!

Hoc eſt, quòd Doctores Sinenſes attonitos tenet, dum ſibi quidem Myſterium SSS. Trinitatis ſinunt perſvaderi, eò quòd dicant, prudenter omnino præſumendum eſſe majorem eſſe DEI Eſſentiam, quàm ut à nobis comprehendi poſſit; Myſterium verò Incarnationis rejiciunt, eò quòd Majeſtate Divina (dicunt) penitus ſit indignum, & à ratione ſit prorſus alienum cogitare DEUM fuiſſe ſuſpenſum in patibulo, pœnáſque latronum ſuſtinuiſſe. Quod Doctoribus contingit in Sinis, hoc nobis Europæis etiam Chriſtianis contingit, quoad Myſterium Divini Amoris *blandi*, & amicæ cum creaturis Familiaritatis, dum nobis videtur indecorum, ut ſe tanta Majeſtas ad tam vilem cum hominibus ſimplicibus, cum pueris, cum idiotis, cum Mulierculis, cum Vetulis converſationem, ad tam contemptibilem *Familiaritatem*, ad tam vulgares quaſi paris cum pari, *blanditias* & confabulationes demittat. Illam ergo, quam propter tantam inter ſupremā Majeſtatis Divinæ magnitudinem, gloriam, & Dignitatem ex parte una, & inter humilitatem, vilitatem, ac indignitatem ſtabuli, aſaparum, ſputorum, patibuli, crucis, virgarum, latronum ex parte altera improportionem, Sinenſes Doctores inveniunt difficultatē; hanc Noſtrates inveniunt inter ſupremam Divinæ Majeſtatis Authoritatem, gravitatem, ex parte una, & inter tam blandulos amores, ſermocinationes ſponſalitias, colloquia tenerrima ex parte altera.

III. Solvi difficultatem iſtam in Proœmiali mea Epiſtola, §. 3. per totum, cur oporteat Dominum DEUM æquè mundo conteſtatam, manifeſtatámque facere infinitatem ſui blandiſſimi Amoris; ac manifeſtat Infinitatem ſui Paterni erga proles, aut Gubernatorij erga ſubditos, aut Paſtoritij erga oves, aut

Fili-

Filialis erga Parentes, aut Magiſtralis erga Diſcipulos, aut Dominalis erga ſervos amoris, aliorúmque ſuorum Attributorum. Grande, & notatu digniſſimum eſt, quod habet Ven: MARINA P. 1. Lib. 5. c. 33. §. 1. *Amplior eſt, & major Amor, quo nos amavit CHRISTUS DOMINUS, quàm id, quod pro nobis eſt paſſus.* Unde nullis indicijs poteſt ille Amor nobis ſatis innoteſcere, & omnes illæ blanditiæ, ſunt adhuc minùs quid & exiguum, ut Amorem DEI erga nos adæquent. Fruſtrà ergo quaſi de ipſamet Divina Majeſtate querimur, quòd *nimis nimis* honorati ſint ejus Amici, quòd *nimis nimis* exceſſerit ipſe DEUS in ſuis favoribus, adeò, ut propter ipſam ſuam multitudinem reddantur creditu difficiliores. Nos nimirum præſcribere Domino DEO terminos Amoris volumus, nè ſit tam liberalis, nè nobis plura præſtet, quàm intelligere poſſimus, aut ſaltèm, ut à nobis accipiat, ſervetque hanc regulam: *Domine hactenus talia non feciſti, ergo nec nunc facias.*

CAPUT II.

Cur DEUS nulli alteri ſanctæ Perſonæ tantos blandi Amoris Favores, quàm Ven: Marinæ exhibuerit.

I.

QUerela hæc fundatur in eo, quòd in nullis Sanctorum geſtis legamus literis traditos tam copioſos, tam inuſitatos favores, & tam mirabiles, quàm in una Vita hujus Virginis MARINÆ. Reſponſio quidem in promptu eſt, quia *Dominus eſt*. Et quis Conſiliarius ejus fuit? omnia, quæcunque voluit, fecit in Cælo & in Terra. Si Moyſis cum Divina Majeſtate familiariſſima, & frequentiſſima colloquia divinis non eſſent inſerta literis, eandem paterentur difficultatem, diceremúſque *nimiam*, *nimiam* eſſe DEI familiaritatem,

præsertim cùm ad nullum alium unquam tantam legamus. Si ergo tanta fuit Domini DEI in antiquo Testamento familiaritas, quantò majorem necesse est inveniri in Testameto novo? utpote in Lege Gratiæ, in Lege Amoris, in qua haud dubiè debent inveniri Personæ Sanctæ, quæ incomparabiliter frequentiorem habeant, magisque mirabilem cum DEO præ Veteri Synagoga communicationem. Et hæc quidem tanta, tam blanda cum DEO familiaritas, cùm sit unum ex signis credibilitatis S. veræ Ecclesiæ; cuivis Christiano magnopere gaudendum est, quòd in hac mirabili Virgine hæc tam illustris Ecclesiæ prærogativa inveniatur adimpleta.

II. Utrum autem nulli alteri Personæ sanctæ tam cumulatos Divina Majestas præstiterit Favores, certum non est, quia Divina Majestas noluit omnia scribi. Certum est id, quod Bollandus habet, B. Margaretam de Cortona non habuisse quandóque ad manum, virum, & Confessarium, cui posset, ut voluisset, dictare divinos erga se favores. Dubitari non potest, quin DEUS Sanctis Ecclesiæ Doctoribus, Sanctis Religionum Fundatoribus, plurima locutus sit; quæ tamen DEUS voluit latere; ut & omnia, quæ circa Beatam Virginem Matrem usque ad ejus obitum contigêre. Quid de Sancta Maria Magdalena quotidie ad Cœlestia ab Angelis solita levari? Certè Sancta Rosa statim initio suæ Sanctitatis, humile hoc pactum, creatura cum suo Creatore inijt, nè quidquam earum gratiarum, quas ei Divina Majestas secretò largiebatur, evulgaret.

III. Nihilominus querelæ huic videtur in ipsa Vita VEN: MARINÆ satisfieri non semel gratiosis responsionibus, quarum aliquas sparsim attigi. Sic Parte 1. Lib: 1. c. 3. §. 3. cùm ipsamet VEN: MARINA, ad tam eximias gratias sibi à DEO collatas obstupescens dixisset: O Domine qualia sunt ista, adeò magna & extraordinaria, quæ mihi dicuntur, ut vix similia legantur contigisse Sanctis? Respondit Dominus; Er-

Ergóne mea potentia eſt alligata ſolùm ad id, quod feci? Et iterum aliàs: ô Domine quis unquam credet tantas, ac tam mirabiles gratias, quibus me cumulas? Reſpondit Dominus: quare non crederentur? Nónne fuit majus meum, & bonitatis meæ, ac miſericordiæ opus, quòd ſim factus homo propter hominem, & tantum illorum causâ ſum paſſus? quódque vobiſcum manſerim in Sacramento Altaris? ſi hæc tam admiranda opera feci, nunquid non potero minora? Item aliâ vice, cùm ejus præ magna debilitate in lecto decumbentis brachium apprehendiſſet, ut eam elevaret, eò quod ipſa ſe non poſſet erigere: illa verò ad tantam dignationem reluctaretur; Dominus dixit: Adverte quid eſt ampliùs, an hoc, quòd hoc tibi faciam, ut me adjuvante conſurgas, an verò, quòd maneam in Sanctiſſimo Sacramento, ut me ſumant ij, quos ego amo, propter quos etiam ſumor à tot malis Sacerdotibus?

Et L. 1. c. 7. §. 2. ubi ſequentia refert: Detinuit ſe CHRISTUS D. apud me tanto tempore, ùt mihi aſſederit, audiendo mea dubia, iiſque reſpondendo. Deinde ſe erexit Divina illius Majeſtas, & poſtquam aliquantum fuiſſet progreſſus, ac receſſiſſet, vocavit me, dixítque: MARINA accede; ſubindicans mihi, ſe velle mecum corporaliter deambulare per cubiculum: ſed fuit tantus meus pudor, qui me idcirco occupavit, ùt me non potuerim movere. Quando verò potui loqui, mirata ſum & conqueſta, quod Divina Majeſtas dixiſſet ac voluiſſet talem rem facere, ſiquidem hoc me ſubmerſiſſet in mea abyſſo, & diſrupiſſet mihi cor præ vehementia doloris. Tum CHRISTUS Dominus ſvaviter reſpondit: quid ergo? nónne ego ità egi cum alijs, ùt cum ſerva mea Catharina Senenſi? Et nónne ego dixi, quòd quantò magìs ſe quis humiliaverit, tantò magìs ſit exaltandus.

IV. Item Parte 2. Lib. 2. c. 6. pag. 30. poſt alia plura, Angeli interrogaverunt Dominum Majeſtatis: quare Domine

es

es tam multa largitus huic Creaturæ? Dominus autem respondit: quia volui, & quia in omnibus suis operibus, verbis & cogitationibus semper studuit se conformare meo beneplacito, & exequi meam voluntatem; ideóque illi tradidi clavim meorum Thesaurorum, & ipsius arbitrio commisi pacem ac bellum: Illa verò omnia faciet secundùm meam voluntatem, & inspirationes ac motiones, quibus à me in omnibus dirigetur? Ego hæc verba (dixit VEN: MARINA) quæ DEUS loquebatur audiebam velut attonita, & ajebam: Domine quis adhibebit fidem tuis dictis? & respondit cum summa Majestate: non poterit rationaliter ijs denegare Fidem, quisquis crediderit me esse bonum, atque omnipotentem, & judicia mea esse justa, viásque meas & semitas occultissimas.

Et eadem parte L. 2. c. 28. p. 331. vidit VEN: MARINA in Cœlo præparationem quasi ad magnum Festum, & Angelos mutuo se interrogantes, quænam erit ista anima tam felix, pro qua tantam Divina Majestas apparat solennitatem? quibus alij dicebant; quid miramur? cùm DEUS Dominus noster dederit suum Filium Mundo, pro hominum commodo, quid eorundem gratiâ non faceret? hæc omnia licèt sint tanta, multò sunt minora, quàm sit DEUM mori pro homine; talia inter se conferebant illi superni spiritus.

Et L. 2. c. 31. dixit VEN: MARINA ad DEUM: quid est hoc mi DEUS! profectò gratiæ, quas mihi præstas, sunt adeò frequentes, ut dubitari possit, an tu illarum sis Autor? Respondit mihi tum Dominus quàm benignissimè: Dic Anima, quis propter omnes homines in Virgineis MARIÆ visceribus, homo factus est? Filius DEI, Domine, dixi. Bene est subjunxit Divina Majestas. Et quis cùm tantus esset Amor ipsius, est natus in paupere præsepio? quis fugit in Ægyptum? totámque vitam egit in summa rerum necessariarum penuria? Respondi etiam celeriter: Filius DEI, mi Domine. Hunc in modum me

me interrogabat percurrendo omnia vitæ ac mortis suæ Mysteria; Et ego eodem tenore respondebam. Post hoc Divina Majestas conclusit dicendo: Cùm igitur DEI Filius tantùm egerit, passúsque fuerit pro hominibus, idemque pro singulis, si necesse esset, egisset ac passus fuisset, quid est mirum ab eodem ob animam, quàm singularissimè amat, eas præstari gratias, quas experiris?

Item Lib: 2. c. 33. pag: 359. dixit ad eam DEUS. Animadverte anima, ego sum omnipotens, & clementissimus, atque habeo infinitos modos, quibus me communicem animabus ipsis diversissima manifestando.

V. Ecce quanta DEUS ipse de hac contra Revelationes VEN: MARINÆ querela, dignatus est explanare, & causas sui tanti erga eam favoris declarare. His tamen omnibus præmissis, cùm supra dixerim, non esse omnino certum, utrum nulla alia Sancta DEO dilecta Persona Serva DEI tam copiosas, tam dulces, tam teneras, tam amorosas cœlestis Sponsi blanditias sit experta: ut hoc magis confirmem, quin imò reddam etiam probabile, plures ex Sanctis similibus delicijs, favoribus, gratijs, amoribus divinis abundâsse, selegi speciminis causâ, duas, unius ejusdémque Monasterij, eodem simul tempore, Ordinis Sancti Benedicti Sacras Virgines, nempe Sanctam Gertrudem, & Sanctam Mechtildem, in quarum actis similium cœlestium blanditiarũ inveniuntur etiam copiosissima argumenta, tametsi haud dubiè, plurima adhuc alia ibidem à Conscriptoribus fuerint prætermissa: prout & ego hîc prætermittam brevitatis causâ plurima, præsertim ex S. Mechtilde, contentus ferè loca Lectori indicare, ubi ipse, si velit, possit omnia expansè invenire, & legere, nè Liber iste in molem nimiam excrescat.

CAPUT III.

Favores & Blanditiæ Divinæ erga S. Gertrudem Abbatissam Elpidianam ex Prologis, & Libro primo ac secundo Revelationum collecti.

I.

LUdovicus Blosius Vir tantæ Scientiæ ac Sanctitatis in suo Monili Spirituali narrat S. Gertrudem Anno ætatis suæ quinto (quod videtur contigisse circa Annum Domini 1270. cùm librum primum suarum Revelationum scribere inceperit Anno 1289.) in sacro Religionis horto, unà cum sancta Mechtilde plantatam in Monasterio Helpede in Saxonia medio milliari ab oppido Eisleben (infelice Patriâ fœdi Hœresiarchæ Martini Lutheri) Comitatûs Mansfeldensis, Diæcesis Halberstadiensis, per Comites Mansfeldenses fundato, omnium virtutum splendore refulsisse. In Latinæ lingvæ cognitione brevi multum profecit. Munus Abatissæ quadraginta annis, & undecim diebus sanctè tenuit, prout annotatur L. 5. Revelationum ejus, c. 9. Mortua ex apoplexia minori, post viginti duas morbi hebdomadas. Ibidem c. 3. refertur, quòd illâ horâ, quâ obiit, in latitudine totius Orbis terrarum, nulla petitio justa, fuerit ab ullo petita, quam D. DEUS non exaudivisset. *Pag: 597.*

Præcipuum ejus fuit studium sectari Cordis humilitatem, & munditiem, DEOque per ardentem charitatem conjungi. Quoscunque homines videbat, sibi præponebat. Aliquando iter faciens præ nimia sui abjectione dixit ad Dominum: ah Domine mi! inter præcipua miracula quæ facis, istud valde eximium esse arbitror, quòd permittis, ut me vilissimam peccatricem terra ferat. Ad quæ verba Dominus benignè respondit: meritò terra se tibi calcandam præbet, quandoquidem

dem omnis Cœlorum dignitas ineffabili desiderio illam jucundissimam horam expectat, quâ te excipiat, & portet.

II. Narrat dein Ludovicus Blosius Dominum præclara quinque vulnerum suorum stigmata cordi ejus sensibiliter impressisse, & tam amœnam habitationem sibi in ea præparâsse, támque svaviter cor suum erga eam apposuisse, ùt nisi homines scirent Potentiam & Bonitatem ejusdem Domini esse interminam, vix credere possent, illum tantam amicitiæ Familiaritatem, præcellentissimæ Matri suæ Virgini MARIÆ demonstrâsse in terris, quantam isti demonstravit. Hinc ipse Dominus de ea adhuc vivente loquens cuidam sanctæ personæ dixit: cùm nemo hodie vivat, qui per puram intentionem, bonámque voluntatem, & veram fidelitatem mihi vicinior atque conjunctior sit, quàm illa; ego quoque ad nullam animam in carne degentem majori favore inclinor, quàm ad animam illius. Unde & nusquam convenientiùs invenire me potes, quàm in Sacramento Altaris, ac deinde in corde, & anima hujus sponsæ meæ, ad hanc enim admirabili modo, omnem Cordis mei divini delectationem converti. Cuidam quoque alteri sanctæ Vitæ Personæ in Monasterio eodem pro ea oranti Dominus dixit: quicunque verba ejus susceperint, monitisque ejus humiliter obediverint, non deviabunt à salutis itinere, sed tandem ad vitam æternam pervenient. Et ipsi Gertrudi dixit: quoniam ego te misericorditer elegi, ut in te jucundè habitem, quicunque se tuis orationibus (piam fiduciam habens) commendaverit, per gratiam meam salvus erit. Et rursum: nullus eorum, qui verba tua cum humilitate audiunt, & secundùm illa vitam suam piâ intentione instituunt, uspiam perire poterit, sed via tutâ, absque errore veniet ad me.

III. Accepit etiam cum promissis à Divina & nunquam fallente veritate, quòd sicut in morte CHRISTI virtus Amoris nobilissima separavit animam à Corpore ipsius Domini JESU:

ità in morte ipsius Virginis Divinus amor deberet omnes vires ejus consumere.

Lib: 1. c. 4. Cuidam, cujus precibus se Virgo hæc commendaverat, oranti pro eadem Dominus respondit: ego totus sum illius: nempe cui me tota affectione inter ejus amplexus, tanquam captivus tradidi. Amor enim divinitatis adeò eam inseparabiliter mihi univit, quomodo aurum & argentum per ignem simul in unum conflantur Metallum. Ego Dominus omnes pulsus ac motus cordis ejus excito, movéoque meo spiritu amoroso ac vivifico, in quo voluptatem habeo incomprehensibilem. *pag: 19.*

Accidit alio tempore, ut Dominus cuidam dixerit; hæc pro qua tu oras, Columba est mea absque felle; ipsa mihi Lilium est electum, quod manibus portare affecto. Ipsa rosa deniq; est mea svaviter olens. Ipsa præterea mihi Flos est vernans, ac semper virens, in quem respiciendo oculis meis perquam jucundam haurio amœnitatem. Postremò, ipsa est Civibus cœlitibus dulcis, svavissimáque Harmonia, quam efficiunt omnes illæ, quas adeò æquanimiter fert; adversitates, veluti tintinnabula aurea in corona mea suspensa. *pag: 20.*

IV. Ante Quadragesimam accidit, ut Dominus cuidam de ea loquens dixerit: tanta hujus animæ delectatione afficior, ut sæpè numero, dum ab alijs hominibus offendor, me ipsum in ea quieturus insinuem, atque pressuram cordis, aliámve molestiam tum corporis ei destinem, quam dũ tantâ, ùt solet gratiarum actione suscipit, tantâ suffert humilitate ac patientia, tantâ denique illam devotione in unione Passionis meæ mihi offert, omnino me reddit placatum, facítque ut innumeris hominibus illius amore parcam. *pag: 20.*

Alia quædam devota audivit Dominum sibi dicentem: electæ hujus meæ, qui videntur defectus, justò magis vocari possunt animæ ejus profectus. Eam ob rem, quasi pro singulis

gulis

gulis defectibus, unde se adeò humiliat, singula largitus sum ei dona. Nihilominus tempore opportuno, cùm omnes defectus mutavero ei in virtutes, & splendidum lumen, Animæ ejus fulgebit. *pag: 21.*

Capite 12. Accidit aliquando, ut diceret Domino: Ego nequeo ullam in terris rem invenire, quæ me delectet, præter te solum dilectissimum. Cui Dominus quasi vicem rependens: & ego neque in cælis, neque in terris quid reperio, in quo sinè te oblecter. *pag: 43.*

Capite 15. Dixit ad eam Dominus: Quantumcunque quisque per te sperat se accepturum, tantundem à me absque dubio obtinebit. Quidquid præterea cuivis nomine meo promiseris, hæc ei certissimè præstabo. Nam etsi fortasse humanâ imbecillitate præpeditus ille, pro quo tu oras, operationem meam non senserit; nihilominus tamen juxta promissionem, in anima illius ego profectum operabor. Cùm postea hanc divinam promissionem admirabunda recoleret à Domino sciscitata quìnam fieri posset, ut se vilissimam hac gratiâ dignaretur: cui Dominus: nónne universalis Ecclesia confitetur me soli Petro olim dixisse: *Quidquid solveris super terram, erit solutum in Cælis*! cùm tamen simul credat hodie quoque hoc ipsum fieri per Ministros Ecclesiæ. *pag: 58.*

Capite 19. Ad hoc elegi te, ad hoc utor te, ut sis tanquam Triclinium Thesaurorum meorum, in quod gratiarum mearum divitias colligam.

V. Lib: 2. Cap: 6. In Nocte Sacratissima Nativitatis Domini Sancta Gertrudis sensit sibi divinitus dici: sicut ego sum Figura substantiæ DEI Patris in Divinitate, sic tu eris Figura substantiæ meæ ex parte Humanitatis, suscipiens in Tuam Deificatam Animam emissiones meæ Divinitatis, sicut aër suscipit radios solaris claritatis, ut hoc radio unitivo medullitus penetrata habiliteris ad familiariorem mei unionem. *pag: 90.*

Capite 21. Cùm die quadam mente revolveret, quòd Dominus dona ſibi divinitus data, non more pollicitantium manu ad manũ firmaverit, ipſe Dominus ſe his objectionibus ſatisfacturum promiſit, & ſtatim utriuſq; manibus Cor ſuum Divinum pandens, juſſit eam dexteram extendere, & ſic patefactum Cor ſuum retrahens, manu ejus incluſâ dixit: Ecce dona tibi collata me tibi illibata ſervaturum promitto. Ità tamen, quòd ſi ad tempus diſpenſativè ipſorum effectum ſubtraxero, obligo me poſtmodum triplici lucro id perſoluturum ex parte Omnipotentiæ, Sapientiæ, & Benignitatis virtuoſæ Trinitatis, in cujus medio ego vivo & regno verus DEUS per æterna ſæcula ſæculorum. *pag: 121.*

Capite 22. Narrat ipſa de quadam admirabili viſione & ſubdit: O! quid ampliùs dicam de iſta dulciſſima viſione! quia, ut verum fatear, prout mihi videtur, omnium lingvarum Eloquentia per omnes dies vitæ meæ hunc præclarum modum te videndi etiam in Cæleſti gloria, nunquam perſvaſiſſet, ſi dignatio tua, DEUS meus unica ſalus Animæ meæ, per experientiam me ad illam non induxiſſet. Hoc tantùm dicere me delectat, ſicut ego æſtimo, verè dico, niſi Divina Virtus tua contineret hominem, nunquam permitteret animam in corpore permanere, cui hoc vel momentaneè guſtare indultum foret. *pag: 123.*

Sæpiùs experta ſum (pro quo tibi gratiarum actiones in unione mutui amoris ſemper Venerandæ TRINITATIS offero) dignationem præſvaviſſimi oſculi tui in tantùm, quòd quandóque ſedenti mihi, & intendenti tibi in intimis, & legenti horas canonicas, aut vigilias pro defunctis, ſæpe inter unum pſalmum decies vel pluries prædulce oſculum infixiſti ori animæ meæ, oſculum, quod omne aromaticum excedit, & mellis poculum. *pag: 124.*

VI. *Capite 23.* O Domine hoc donum omni creaturæ ſtupen-

ſtupendum, & reverendum mihi contuliſti, quod ſcilicet ab illa hora, anno vitæ meæ vigeſimo quinto, uſque in præſens nunquam ad oculi nictum ſenſi vel cognovi te cordi meo alienatum. *pag: 125.*

Addidiſti etiam mihi inter hæc, inæſtimabilem amicitiæ familiaritatem impendere diverſis modis illam nobiliſſimam Arcam Deitatis; ſcilicet Deificatum Cor tuum præbendo in copiam omnium delectationum mearum, nunc gratis dando, nunc ad majus indicium mutuæ Familiaritatis illud mihi pro meo commutando; cum quo & tam occulta ſecretorum Judiciorum, ſimul & deliciarum tuarum mihi manifeſtâſti, ac amiciſſimis blanditatibus animum meum multoties liquefeciſti, quod ſi ignorarem abyſſalem ſupereffluentiam dignationis tuæ, mirarer, ſi intelligerem te præ omni creatura ſoli dignæ Matri tuæ benigniſſimæ tecum regnanti in Cælo, tam dignantiſſimæ blanditatis exhibuiſſe affectum. Inſuper tam fidelibus promiſſionibus allexiſti animam, qualiter mihi in morte & poſt mortem velles benefacere. Ad cumulum beneficiorum hoc addidiſti, quòd mihi dulciſſimam Matrem tuam Beatiſſimam Virginem MARIAM in Procuratricem tribuiſti, & me ſæpiùs affectui, ejus admirabiliter commendâſti, ſicut unquam diligentiùs fidelis Sponſus delectans dilectam Sponſam Matri propriæ potuit commendare. Super hæc omnia multoties induxiſti, imò rapuiſti me in talem Tui Unionem, quòd ſupra miraculum miror, quod poſt illas horas potui ampliùs vivere, ſicut homo inter homines. Item beneficium illud, quod tu veſtitor ſiderum mihi impendiſti in amænoſa intimorum meorum diſpoſitione, Sanctiſſimorum vulnerum tuorum impreſſione, ſecretorum revelatione, & familiarium ac amiciſſimarum blanditatum exhibitione. Domine DEUS Creator, & Regnator meus; tu deſuper effluenti abyſſo pietatis tuæ me certificâſti veriſſimè, quòd quicunque etiam peccator, cum ſupra ſcripta inten-

intentione voluntatem ſuam ad hoc flexerit, quòd ad tui laudem, mei memoriam facere voluerit, nunquam præſentem vitam terminabit, antequam tu eum tali ſpeciali gratiâ remuneraris, quòd tibi converſatio ejus placeat, & etiam in corde ejus habeas aliquam familiarem delectationem. Pro quo tibi ſit laus illa æterna, quæ de increato amore procedens jugiter effluit in te ipſum. *pag: 135.*

CAPUT IV.

Favores Divini ex Libro 3. Revelationum Sanctæ Gertrudis.

I.

C*Apite 5.* Die S. Mathæi Apoſtoli in impetu virtutis ſe declarans Sancta Gertrudis de ſinu Domini, in quo deliciari videbatur, dejecit ſe ipſam in pavimentum, quaſi vile quoddam cadaver cum his verbis: Ego, Domine expono me ad omnia toleranda, quæ tibi potuerunt fore laudabiliora. Unde Dominus protinus feſtinè conſurgens juxta illam in pavimento recubuit; quaſi illam ad ſe recolligens & dicens: *hoc eſt meum.* Ex cujus virtutis potentia illa animata erexit ſe ad Dominum, & dixit: ità Domine mi: opus manuum tuarum ego ſum: & Dominus; hoc etiam ſuperadditum tibi eſt, quòd amor meus tibi in tantum intricatus eſt, quòd ſinè te vivere nolo. Ad quod mirans illa dixit: cur Domine mi, ſic loqueris? habes infinitos in Cælo & terra amicos, cum quibus beatè vivere poſſis, licèt creata non eſſem. Reſpondit Dominus: qui ſemper caruit aliquo membro, nullo dolore cruciatur, ut ille, cui adulto abſcinditur. *pag: 144.*

Capite 7. Die SS. Innocentium dixit CHRISTUS D. Sanctæ Gertrudi; ſi quis humanâ tentatione impugnatus, firmâ ſpe

ſpe ſub protectionem meam confugerit; inter cæteros eſt, de quo poſſum dicere: *Vita eſt columba mea*, tanquam electa ex millibus, quæ in uno ocellorum ſuorum tranſvulneravit cor meum Divinum, in tantum, quòd ſi ſcirem me non poſſe ſubvenire illi, hæc tam moleſta eſſet deſolatio cordi meo, quòd eam omnes cæleſtes deliciæ non poſſent alleviare. *pag: 146.*

Capite 8. Dominus dixit S. Gertrudi, audi à me quòd ſangvine meo ſis redempta, & perpende, quòd totum tempus triginta trium annorum, quo in hoc exilio laboravi pro te nihil aliud extitit, quam Legatio deſponſationis tuæ. Audi à me quòd ſpiritu meo ſis dotata, & diſce, quòd ſicut in Legatione illa totos triginta tres annos corpore laboravi; ſic in ſpiritu celebravi jucundiſſimas exoptabiliſſimáſque Nuptias pro tui conjunctione. *pag: 148:*

Capite 11. Quâdamvice dum ex conſideratione indignitatis, & puſillaminitatis ſuæ nullo modo poſſet ad fruitionem contemplationis anhelare ſolito modo, tandem gratuitâ miſeratione Domini JESU CHRISTI, videbatur ſibi procedere pro modulo ſui deſiderij, & Regi Regum aſſiſtere in ea forma, quâ Eſther æſtimatur aſtitiſſe Regi Aſſvero. Quam benigna dignatio Salvatoris, allocuta eſt his verbis: *Quid jubes Domina Regina. pag: 156.*

II. Cap: 12. Dixit ad Dominum: ecce dilecte mi non ſolùm viſcera, ſed etiam omnia membra mea commota ſunt ſuper te. Ad quod Dominus: quod à me fluxit & in me refluxit, ego optimè ſcio, & ſentio: Sed tu adhuc mortali carne circumdata, nunquam nôſſe poteris, qualiter è converſo tota dulcedo Divinitatis meæ eſt ſuper te commota. Hoc tamen ſcito, quòd ex hujus gratiæ commotione tu apud me ſuſcepiſti talem glorificationem, qualem corpus meum ſuſcepit in monte Tabor coràm tribus Diſcipulis meis, ut ego dulcore charita-

tis commotus gratulabundè de te dicere possim: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. pag: 159.*

Capite 18. Post sacram Comunionem exhibuit se illi Dominus in specie Pelicani, sicut depingi solet, rostro transfodiens Cor suum. Quod cùm illa admirans diceret; quid mihi Domine mi, per hanc similitudinem niteris persvadere? Dominus respondit: ut consideres quàm inæstimabilibus amoris stimulis propulsus, hoc tam inæstimabile donum (Sacramentum Altaris) porrigo. Quod si incongruum non esset ad dicendum, post hoc donum magis eligerem mortuus remanere, quàm hoc donum ab amante anima continere. *pag: 182.*

Quadam die communicatura, dum frequentiore, quàm solebat more propter indignitatem suam se subduceret, exorabat Dominum, quatenus ipse pro se Hostiam ipsam Sacro-Sanctam in persona susciperet, & sibimet incorporaret. Ac deinde ex nobili spiramine svavissimi afflatûs sui, singulis horis tantum sibi aspiraret, quantum exiguitati suæ congruere cognosceret. Hinc cùm per moram in sinum Domini, quasi sub umbra brachiorum ejus requievisset, ità quod latus suum sinistrum benedicto lateri Domini dextro applicatum videretur, post modicum erigens se cognovit ex amatorio vulnere sanctissimi Lateris Domini se in sinistra, quasi roseam cicatricem contraxisse. Post hæc dum ad suscipiendum corpus CHRISTI accederet, ipse Dominus, videbatur ore suo Deifico in se suscipere Hostiam illam Sacro-Sanctam, quæ pertransiens intima illius de vulnere Sacro-Sanctissimi lateris ipsius progrediebatur & quasi Emplastrum, super idem vivificum vulnus se coaptavit. Unde Dominus ait ad eam: ecce hostia hæc conjunget te mihi eo modo, quòd ex una parte contegat cicatricem tuam, & ex alia parte vulnus meum utriusque nobis factum Emplastrum. Quod tu singulis diebus, quasi tergendo commutes, cum devotione revolvendo hymnum: *JESU nostra redemptio. Pag: 190.*

III. *Capite 19.* Horâ quâdam orationis, dum Beatissimam Matrem DEI collaudaret, tandem dixit ad Dominum: quoniam ad hoc, Frater mi, factus es homo, ut omnes defectus humanos suppleas: nunc etiam pro me dignare Matri tuæ Beatissimæ supplere, si quid ego minùs dignè in laudibus ejus persolvi. Ad quæ verba reverentissimè Filius DEI assurgens, & procedens coram Matre sua genua flexit, & motu capitis eam decentissimè & amicabilissimè salutavit: quod sibi meritò gratum esse decet obsequium, cujus imperfectio per amantissimum Filium tam copiosè suppletur. *pag: 192.*

Capite 20. Moris erat sibi sicut amantium est, totum quod placet & sapit, retorquere in amatum, unde quandocunque aliquid audiebat legi vel cantari in Laudem sive salutationem Virginis aut aliorum sanctorum, quod svavius movere potuit affectum, per hoc semper magìs intendebat ipsi Regi, Regum Domino sibi præ omnibus (ùt justissimum erat) unicè dilecto, & electo, quàm ipsis sanctis, quorum festum vel memoria recolebatur. Unde & in festo Dominico Annunciationis dum Beata Virgo sæpius in prædicatione extolleretur, & nulla fieret mentio de opere saluberrimo Incarnationis Domini: illa hoc molestè ferens, & à prædicatione rediens, dum pertransiret coram altari generosæ Virginis; ipsámque salutando sentiret se non pleniter svavi affectu erga ipsam Matrem omnis gratiæ commoveri, sed potius in omni salutatione ipsius ac laude semper ad JESUM benedictum fructum ventris sui affectuosiùs intendere, formidare cœpit, se ex hoc indignationem, tam præpotentis Reginæ incursuram. Cujus trepidationem benignus Consolator blandè removit, dicens: Nè timeas Charissima, quia talis salutatio vel laus dilectæ Genitricis meæ, quâ plus mihi intendis quàm optimè sapit sibi. Sed tamen quia conscientia tua te ex hoc gravat, studeas, de cætero, coram altari intemeratæ Matris meæ Imaginem salutare devo-

tiùs, meam insalutatam prætermittendo. Ad quod illa: hoc absit à me, inquit, ô unicum! totum bonum meum, Domine, quia in hoc Cor meum nunquam potest consentire, ut te à quo pendet tota salus, imò vita animæ meæ, deserto, possim ad aliquem affectum meum dirigere salutandum. Cui Dominus blandè respondit: Consenti mihi nunc Amica mea: & quotiescunque sic Matrem meam salutaveris me omisso, hoc ego acceptabo simul & remunerabo vice perfectionis illius, quâ quis verè fidelis mè omnium centuplorum centuplum prompto animo relinquit, proter majorem mei exaltationem. *pag: 195.*

IV. *Cap: 21.* Dominica prima post festum Trinitatis apparuit ei Dominus in horto quodam florigero amœnitate, viriditatéque amœnoso, & quasi cubans in meridie, sedénsque in solio Regali, quasi crapulatus à vino charitatis svaviter obdormîsset: cujus pedibus illa se provolvens, cùm ipsos more sibi solito sæpius deoscularetur, varióque modo blandiretur dilecto; per triduum tamen nullam omnino, prout consveverat, ipsius poterat obtinere fruitionem.

Hinc die quarto intra Missam ipsa non sufferens, ultra dilecti sui dormitationẽ surgens de pedibus in impetu fervoris, irruit super pectus ejus, cujus utique ardebat desiderio, nitebatur vi Amoris ipsius dilecti sui interrũpere somnum. Deinde tanquã excitatus Dominus utriusque brachijs blandè ipsam circumplectens, & fortiter sibi adstringens, ait: *Ecce quod concupivi, jam teneo.* Quia quemadmodum vulpes aves capere cupiens in terra jacet resupina, velut mortua, super quam aviculæ liberiùs volitantes, cùm ipsam discerpere incipiunt, mox ab ipsa capiuntur; sic & ego amore tuo (ut humano more loquar) æstuans, hac similitudine usus sum, quo te ex toto, te mihi inferentem totam possiderem. *pag: 195.*

Capite 25. Quadam vice, dum studeret singulas notas & ver-

verba cum intentione proferre, & in hoc ex humana fragilitate sæpius impediretur, mæsta ex hoc dixit intrà se: Et quis ex tali studio provenire poterit profectus, cui tanta inest instabilitas. Cujus mœstitiam Dominus non sufferens præsentavit illi quasi proprijs manibus cor suum Deificatum in similitudine lampadis ardentis dicens: Ecce cor meum dulcissimum semper venerandæ TRINITATIS organum, oculis mentis tuæ prætendo, cui omnia, quæ per te minùs supplere sufficis, fiducialiter pro te supplenda commendabis. Et sic omnia coram oculis meis apparebunt summè perfecta. Quia sicut servus fidelis, qui Domino suo ad quæ beneplacita paratus assistit, sic cor meum deinceps semper aderit tibi ad hoc, ut omnes negligentias tuas quâlibet horâ pro te suppleat. Quam inauditam dignationem Domini ista expavescendo admirans, valde incongruum judicavit, ut Cor Domini sui dignissimum divinitatis Gazophylacium omnisque boni contentivum, sibi tantillæ tanquam servus Domino ad supplendas negligentias suas dignaretur astare; cujus pusillaminitati Dominus benignè obvians hac ipsam similitudine dignatus est animare. Quemadmodum, ait, si tu haberes vocem multum sonoram, & valde flexibilem, & insuper maximam haberes delectationem ad cantandum, si astares alicui malè cantanti, qui valde gravem & dissonam haberet vocem, in tantùm, quòd vix cum magno labore aliquid posset proferre, certè indignareris, quòd tibi hoc optimè prævalenti & promptissimæ ad cantandum non committeret, quod ipse tam difficulter proferret: sic procul dubio Divinum Cor meum humanam recognoscens fragilitatem similiter, & instabilitatem, cum inæstimabili semper desiderio expectando optat, quousque tu si non verbis saltèm aliquo nutu committas sibi supplendum pro te ac perficiendum quidquid per te minus perficere potes. Illud autem sicut ex omnipotenti virtute facillimè prævalet, & inscrutabili sapientia optimè scit, sic ex natu-

tali mihi insita benignitatis dulcedine, benevolentissima hilaritate persolvere summopere concupiscit. *pag: 199.*

V. *Capite 26.* Cùm ego Amor DEUS elegerim te, desidero, ut permaneas mecum indissolubili unione, sicut homo invitus amittit spiritum suum, sinè quo nec ad horam vivere posset. Inter hanc svavissimam delectationem illa sensit se inæstimabiliter mirabili modo per eandem sæpius dictam fistulam cordi Dominico intrahi, & sic invenit se feliciter in intimis Sponsi & Domini sui. *pag; 122.*

Capite 29. Recolens vice quâdam diversos casus instabilitatis, Conversa ad Dominum dixit: mihi adhærere tibi soli, Dilecte mi, bonum est; tunc Dominus acclinatus circumplectebatur eam dicens: & mihi adhærere tibi semper svave est, Dilecta mea. *201.*

Capite 39. Cùm cantaretur Antiphona, *Benedicens*, ipsa quasi in persona Noe astitit Domino postulans benedictionem, quam cùm esset consecuta, Dominus vice versâ videbatur benedictionem postulare; per quod intellexit, quòd homo tunc benedicat Domino, quando in cogitatione dicit se pœnitere, quòd unquam Creatorem suum offenderit, & ejus auxilium expostulat, ut de cætero peccata caveat. *pag: 214.*

Capite 33. Quadam vice majori erga Dominum æstuans desiderio dixit ad Dominum, Eja: Domine mi possum nunc orare? cui benignissimus Dominus respondit blandè: itâ Domina Regina, tu optimè mihi potes imperare, quia voluptati tuæ ac desiderio in omnibus promptiùs obtemperabo, quàm unquam Minister aliquis Dominæ suæ possit ministrare. *pag; 131.*

VI. *Capite 43.* Feriâ quâdam sextâ dum totam noctem meditationibus & desiderijs incensa duxisset insomnem, memor quod affectu clavos ferreos de quadam imagine Crucifixi, quam prope se semper habebat; extraxerit, & pro ipsis Cariophy-

phyllos redolentes infixerit, dixit ad Dominum: O dulcissime Amator! qualiter acceptas quòd clavos ferreos dulcifluis vulneribus manuum, pedúmq; tuorum extrahendo Cariophyllos bene olentes cum affectu imposui? Respondit Dominus: ego affectum illum in tantùm acceptavi, quòd pro eo omnibus vulneribus peccatorum tuorum balsamum nobilissimum meæ Divinitatis infudi. Unde omnes sancti æternaliter miro modo delectabuntur, quia vulnera tua placebunt ex infusione pretiosi liquoris. Tunc ista: Nunquid Domine mi, similiter omnibus facturus es, qui idem faciunt? Respondit Dominus? non omnibus, sed illis, qui simili affectu hoc faciunt, ego similiter bene faciam. Qui verò tuo exemplo incitati, idem faciunt devotione, quâ possunt, eos secundario sufficienter remunerabo. Hinc ista imaginem Crucifixi accipiens ipsam svavibus osculis, arctisque amplexibus demulcens, multimodè blandiebatur. Post moram verò dum sentiret defectum Cordis ex vigilantia, deponens crucem ait: Vale dilecte mi, & habe bonam noctem, & permitte me dormire ad recuperandas vires, quas in meditatione tecum penè totaliter expendi. His dictis avertit se ab imagine volens dormire. Cúmque sic repausaret, extendens Dominus dextram suam, quasi de cruce, super collum ejus, tanquam ad amplexandum eam ósque suum roseum auri ejus applicans blando susurrio ait illi: Audi me, dilecta mea, quia tibi nunc pro fescenninis, amatoria decantabo. Et inchoans dulcissimâ voce sub modulatione, quâ cantatur hymnus *Rex CHRISTE factor omnium*, hunc versiculum decantabat:

Amor meus continuus,
Tibi Langvor assiduus,
Amor Tuus svavissimus
Mihi Sapor gratissimus.

Quo finito ait: Adjunge tu nunc, dilecta mea, pro Kyrieeleison, quod per singulos versiculos hymni *Rex Christe* adjungitur, peti-

petitionem quamcunq; desideras & dabitur tibi. Tunc ista devotè pro quibusdam causis exorans, benigniùs est à Domino exaudita. Post hæc Dominus iteratò versiculum decantans, ipsóque finito, iterum eam ad orandum incitans eundémq; versum alternarnatis vicibus sæpius decantando repetens, nullatenus eã corporali somno quiescere permittebat, donec omnibus penè viribus consumptis refici oporteret. Et hinc tandem ante ortum diei modicè obdormivit: & ecce Dominus JESUS qui nunquã deest, sed semper se diligentibus præsto est, apparuit illi per somnium, ipsámq; in sinu suo delicatè confovens, quasi in vulnere svavifluo benedicti lateris sui, cœnaturam saporissimam ipsi confecit, & mirâ blanditate singulas offas manu suâ delicatâ ori ipsius ad reficiendum imposuit. Unde ipsa in somno svaviùs recreata, evigilavit, atque recuperâsse se vires sentiens, devotas Domino gratias referebat. *pag: 248.*

VII. *Capite 50.* Dixit ad eam Dominus: sicut tu certè affirmas, te in nulla creatura delectari posse extra me; sic & ego in Divina virtute mea confirmo, quòd nunquam in ulla creatura delectari volo extra te. Et illa: & quid, ô Amator dignissime, invenire potes in me omnium creaturarum periplemate, in quo utcunque delecteris? Respondit Dominus: Visus Divinitatis meæ inæstimabili modo delectatur inspicere te, quam mihi tam acceptabilem per omnia in tam diversis & multis donis gratiarum creavi. Auditus etiam meus Divinus quasi quibusdam svavissimis musicis instrumentis afficitur, in omnibus & ex omnibus verbis oris tui, quibus mihi blandiris, sive pro animabus purgandis orando, sive aliquos corripiendo, aut instruendo, aut qualicunque modo ad laudem meam verbum aliquod proferendo. Ex quo licèt etiam nulla utilitas in aliquo homine, vel causa sequatur, tamen hoc ex bona voluntate, & ad me directa intentione tua, svavissimè insonat auribus meis, ac medullitus commovet intima Cordis mei Divi-

ni.

hi. Spes quoque tua, quâ jugiter ad me anhelas, aſpirat olfactui meo ſvaviſſimi Odoris delectamentum. Omnes quoque gemitus & deſideria tua dulciter ſapiunt mihi ſuper omnia aromata: Amor quoq; tuus præſtat mihi delectamentum ſvaviſſimi Amplexûs. *pag: 258.*

Capite 51. Cum videret cæteros ad ſermonem properare, querulâ mente dixit ad Dominum: tu ſcis Amantiſſime, quòd nunc ex corde libenter audirem prædicationem, ſi infirmitate non detinerer. Cui Dominus: viſne chariſſima ut ego tibi prædicem? ait illa libentiſſimè. Tunc reclinavit illam Dominus ſuper Cor ſuum, ità quòd anima cordi ſuo applicabatur Divino. Cúmque ibi anima per moram dulciter requieviſſet, ſenſit in Corde Domini duos mirabiles & valde ſvaves pulſus. *pag: 260.*

VIII. *Capite 57.* Nocte quâdam cùm ex multimoda conſolatione præſentiæ Domini, & ſpiritualium intellectuum exercitatione nimis eſſet debilitata, accipiens uvas recreavit ſe tali intentione, quòd ipſum Dominum in ſemet ipſa reficeret. Quod Dominus magnificè acceptans ait: modò fateor recompenſatam mihi amaritudinem illam, quam de ſpongia in cruce pro amore tuo bibi, quoniam pro ipſa jam de corde tuo indicibilem dulcedinem ſugo. Et quantò tu puriùs ad laudem meam corpus tuum recreaveris, eò ſvaviùs ego me profiteor in anima tua refectum. Hinc cùm iſta, pelliculas & acinos uvarum in manu congregatas in medium domûs projiceret, affuit & Satan omnis boni perſecutor, qui hoc, quod abjecerat, recolligere conabatur, quaſi ad teſtificandum culpam infirmæ, quia ante matutinas contra religionem comediſſet. Cúmque unam de ijſdem pelliculis velut duobus digitis vix attigiſſet, illicò intolerabilis cruciatûs ardore combuſtus terribiles emittendo latratus de domo concitus proſilijt: diligentiſſimè obſervare ſtudens, nè aliquam ultra pede contingeret, ex cujus tactu cruciatum perſenſerat tam intolerabilis pœnæ. *pag: 269.*

Capite 63. Dominus ei dixit. Quemadmodum Mater habens puerulum tenerrimè sibi dilectum, quem semper sibi adesse desiderans, cùm puer ad contubernales gratiâ collusionis vult discurrere circa quælibet vicina larvas, vel aliqua apponit horrenda, unde puer territus, currat in sinum suum; sic ego desiderans te lateri meo nunquam deesse, permitto ut amici tui tibi in aliquo contrarientur, ut dum in nulla creatura plenam fidelitatem reperis, eò ardentiùs ad me recurras, quantò apud me omnium delectationum, fidelitatum abundantiam stabiliorem recognoscis. Hinc assumpsit eam Dominus in sinum suum, quasi tenellum infantulũ & multis modis illi blandiebatur, apponénsque os suum Deificum auri ejus & diversimodè ipsam demulcens ait: sicut Mater benigna tenello infantulo, per oscula lenire solet quæque sibi adversa: sic ego per blandissimum susurrium amatoriorum verborum tenere tibi desidero universa gravamina tua & contrarietates. Cúmque sic per moram in sinu Domini infinitis Divinarum consolationum blanditijs multipliciter fuisset delectata, præbuit ipsi dominus Cor suum dicens: perspice nunc, Dilecta mea, omnia Cordis mei interiora, & perpende diligenter, quàm fideliter omnia, in quibus mihi unquam intendisti, disposui & ornavi, ad utilissimum & saluberrimum Animæ tuæ profectum: & considera si vel saltèm unius verbi contra me causari potes infidelitatem. *pag: 275.*

Dominus quasi ingenti gaudio & amicissima blanditate se de patibulo Crucis demittens, in amplexus svavissimos eam suscepit, ineffabiliter exultans, eámq; blandè vulneri lateris sui sanctissimi applicans ait: bene venias mihi Charissima, vulnerum meorum Emplastrum lenissimum omniúmque dolorum meorum Relevamen svavissimum. *pag: 277.*

CAPUT

CAPUT V.

Blanditiæ Cœlestes ex Libro 4. Revelationum Sanctæ Gertrudis selectæ.

I.

C*Apite 3.* Dixit Dominus ad S. Gertrudem: Quoniam tu à me Imperatore Imperatrix effecta es, omnes Principes Cœlestes ità obtemperant tuæ voluntatì, quòd si tu aliqua eos facere jubes, statim ad verificandum verba tua summopere studerent ea, cum summa festinatione complere. *pag: 345.*

Capite 7. Et adjecit Dominus: In veram emendationem omnium delictorum tuorum suscipe à me hanc tibi injunctam satisfactionem, ut scilicet per circulum totius anni istius, diebus singulis semper perficias aliquod opus bonum in unione pietatis illius, quâ ego remisi tibi omnia tua peccata. Quod cùm illa gratanter susciperet, hæsitans tamen aliquantulùm ex humana fragilitate, dixit: Et quid faciam Domine, si hoc aliquomodo neglexero, cùm occasio se præberet? Ad quod Dominus: Quare velles hoc negligere, quod tam leviter potes perficere? Nam benignitas mea acceptabit, si unum vestigium tali intentione calcaveris, seu calamum de terra levaveris, vel verbum unum locuta fueris, vel alicui gestum amicabilem exhibueris, vel etiam si requiem æternam pro defunctis, sive quodcunque verbum pro peccatoribus, vel etiam justis dixeris. Et in his illa nimium consolata, orare cæpit pro amicis suis specialibus, ut ipsi etiam à Divina Misericordia talem acciperent consolationem. Cujus precibus Dominus annuens, sic ait: Omnes qui volunt tecum persolvere satisfactionem tibi injunctam, simul tecum habeant remissionem omnium peccatorum suorum ex hac mea benedictione: & sic iterum longè

extensa venerabili manu, dedit benedictionem. Deinde subjunxit Dominus: O quàm uberrimæ benedictionis affectu suscipere vellem illum, qui post circulum anni reverteretur ad me reportans mihi talem fructum, quòd per totum annum sic studuisset operibus charitatis, quòd opera illa excederent numerum omnium peccatorum suorum, in quibus eodem anno deliquit! Ad quod cùm illa, quasi diffidens diceret: Quomodo hoc fieri potest, cùm sensus hominum sint proni ad malum, in tantum, quòd homo singulis horis multipliciter delinquat? Dominus respondit: Et quare videtur hoc tibi tam difficile, cùm ego DEUS tantùm delecter in ea re, ut si homo vellet aliquantum studij adhibere, ego DEUS omnipotens paratus sum illi cooperari adeò, ut mea divina Sapientia deberet prævalere. Et cùm illa diceret: quid tunc Domine proponis illi dare qui hoc ipsum tuo auxilio perfecerit? Dominus respondit: hoc tibi aptius non potest dici, quàm his verbis: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. O quàm felix esset, qui ante exitum suum vel unum perficeret annum in tali studio pietatis, vel ad minùs unum mensem! quia certè & ipse posset sperare se similia de manu Domini benignissimi accepturum.

Capite 9. Dixit Dominus: tota Divinitas mea salutat te, delectamentum Animæ meæ, mittens tibi obviam omnem fructum sanctissimæ Humanitatis meæ. *pag: 376.*

II. *Capite 14.* Dominus mirâ blanditatis exhilaratione astans coram Anima dixit: Eja Domina Regina, consolare me tunc, sicut ego sæpius te consolatus sum. Sicque in his verbis Dominus Omnipotens fidelis Animæ zelosus Amator ultra modum delicatè nimis se inclinabat tanquam osculum ab ea accepturus. Tunc Anima ad tam inauditæ dignationis Domini propositionem stupefacta, cum humillima devotione, respondit, quasi ex intimis cordis medullis proferens hæc verba:

ra: Eja tu DEUS Creator & ego Creatura. In quibus verbis mox mira diſpenſatione Anima, Divina virtute DEI videbatur cum Domino ſuo feliciter jucundari. Tunc dixit ad Dominum: Dignare nunc Pater miſericordiſſime, mihi ancillæ tuæ, ſaltèm parvam ſomni quietem præſtare poſt ſumpta ob nimium Cordis defectum aromata, ut poſſim hodie tua vivifica percipere Sacramenta. Ad quod Dominus: iſta unio, qua modò Anima tua mihi eſt unita, multò magìs te reddit ſobriam, quàm ullus ſomnus corporalis efficere poſſet. Hinc ſub Miſſa, quâ erat cōmunicatura, videbatur ſe adſtare Domino querulans, quòd propter infirmitatem opporteret eâ Miſsâ carere. Cui Dominus ait: lege *Confiteor*; quod dum illa humili devotione compleſſet adjunxit Dominus: *Miſereatur tui Divinitas mea, & dimittat tibi omnia peccata tua:* extensáque venerabili dexterâ ſuâ dedit illi benedictionem ſuam. Ad quam dum anima inclinaretur, ſuſcepit eam Dominus in ſinum, ſícque inter ſtrictos amplexus ſvaviter illi blandiens decantavit: *Ad imaginem quippe DEI factus eſt homo.* Sícque oculos ipſius & aures, os quoque & cor, manus & pedes conſignans, & ad ſingula dulciter decantando eadem verba repetens, per ipſa in anima divinam ſuam imaginem, ſimilitudinem dignantiſſimè innovabat. Hinc feriâ quintâ, quâ mundani magìs in crapula, & ebrietate ſolent ſævire, dum manè poſt matutinas in coquina pulſaretur ſervis, laboraturis ad prælibandum, iſta ingemiſcens dixit ad Dominum: Heu me! mi Domine, quàm manè ſurgunt homines ad infeſtandum te cibo: Ad quod Dominus blandè quaſi ſubridens dixit: Noli ingemiſcere, chariſſima, quia hi, quibus modò pulſatur, non ſunt de numero illorum, qui contra me crapulæ ſerviunt, quia per hanc prælibationem ipſi vocantur ad laborem. Unde & ego delector in eorum cibo: quemadmodum quis delectatur in refectione ſui jumenti, quod pabulo paſcit ad miniſtrandum ſibi. *pag: 400.*

III. *Capite 15.* Sabbato præcedente Dominica: *Esto mihi* (quæ est quinquagesimæ) dum se ab omnibus exterioribus abstractam in interioribus recollegisset, suscepta est in sinum Divinæ Benignitatis, ubi in tanta spiritus tranquillitate fruebatur in fluxionibus divinarum delectationum, quòd videbatur cum Domino quasi disponere omnia Regna cœli & terræ. *pag: 402.*

Ad Missam Dominicæ Quinquagesimæ, dum per Introitum invocaret Dominum, Dominus hoc ipsum sibi usurpans (eo quod quasi propter instantis temporis exacerbationem, hoc sibi magis congruere videretur) dixit ad eam: sis mihi tu dilecta, in Protectricem, proponendo, quod si tu prævaleres, libenter me præmunire velles ab injurijs, quibus specialiter isto tempore infestor: quia tunc à cæteris fugatus pausare desiderans ad te confugi. *pag: 402.*

Capite 22. Dominicâ Judicâ, dum sub Missa legeretur in Evangelio: *Dæmonium habes;* ista medullitus super contumelia Domini sui commota, nec sustinens, ut dilectus Animæ suæ tam indebitè sibi objecta verba adverteret, ex intimo cordis affectu his verbis vice versâ ipsi blandiebatur dicens: *Ave vivificans gemma divinæ Nobilitatis. Ave immarcescibilis flos humanæ dignitatis JESU amantissime: tu mea summa & unica salus.* Cui benignus amator more solito vicem dignantissimam recompensans, manu suâ benignâ mentum ejus apprehendens, séque ad ipsam blandè inclinans, auri Animæ ejus hæc verba svavissimo susurrio instillavit dicens: Ego Creator Redemptor & Amator tuus, per angustias mortis relictâ omni beatitudine meâ, acquisivi te.

Capite 25. In festo Cœnæ Domini, cùm ad Laudes cantaretur Antiphona: *oblatus est.* ait Dominus: si credis me in Cruce oblatum Patri, eò quod ipse volui tali modo sibi offerri, crede etiam indubitanter, quòd adhuc quotidie desiderem eodem

idem amore pro quolibet peccatore DEO Patri offerri, quo me in cruce pro salute totius Mundi obtuli. Unde quicunque (quamlibet gravi pondere peccatorum se senserit depressum) respirare poterit in spem veniæ afferendo DEO Patri meam innocentissimam Passionem & mortem. *pag: 440.*

IV. Octavo die Resurrectionis Dominicæ, dum in Evangelio legeretur, quòd Dominus Discipulis suis per insufflationem dedit Spiritum sanctum, istâ devotâ intentione Dominum orabat, ut etiam sibi svavissimum spiritum largiri dignaretur. Hinc insufflavit Dominus, & dedit illi etiam Spiritum Sanctum dicens: accipite Spiritum Sanctum in vobis, quorum remiseritis peccata remittentur eis; ad quod illa: Domine, quomodo potest hoc fieri; cùm hæc potestas ligandi, & solvendi solis data sit sacerdotibus? respondit Dominus: cujuscunque causam tu per Spiritum meum discernendo judicaveris non esse culpabilem, ille certè innoxius apud me reputabitur; & cujus causam discernis esse culpam, reus coram me apparebit, quia ego loquar per os tuum. *pag: 461.*

Capite 35. Ante Festum celeberrimæ Ascensionis Domini, cùm in psalmo: *Ad te Domine clamabo* in illo versu: *Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ*, desideraret, ut Dominus largam benedictionis gratiam porrigeret super universam Ecclesiam; Dominus respondit: quid vis, dilecta mea, ut faciam, nam ego me tam dignanter modò in tuam dedi potestatem, sicut in patibulo Crucis Charitatis Imperio me Patri totaliter mancipavi! Unde sicut tunc contra placitum Patris nequivi descendere de Cruce, ità & nunc nihil aliud velle possum, quàm quod tuæ placuerit dilectioni; ergo quæcunque desideria ex Virtute Divinitatis meæ, tu cuilibet distribue largè. *pag: 468.*

Cùm oraret: ut in die deliciosissimæ Ascensionis suæ sibi apud DEUM Patrem omnium negligentiarum ac defectuum su-

ſuorum obtineret emendationem. Dominus hoc benignum dedit reſponſum: Tu es illa amabilis Eſthær, quæ incredibili pulchritudine oculis meis es gratioſa; pete ergo quod vis dabitur tibi. *pag: 469.*

Capite 49. In Feſto Aſſumptionis ſub Miſſa, dum Beatam Virginem oraret, ipſa ad invocationem ſui exurgens, ſtetit in conſpectu fulgidæ, ſemperque tranquillæ TRINITATIS, offerens pro ea merita placidiſſimarum dignationum earum, quibus ipſa in die Aſſumptionis ſupra omnem humanam, imò Angelicam dignitatem præparata Sanctiſſimæ TRINITATI ſummè complacuit. Sicque cum maxima blanditate, quaſi cedens loco, innuit Animæ dicens: Veni electa, & ſta in loco meo, cum omni perfectione virtutum, quibus ego aſpectum ſemper Venerandæ TRINITATIS in mei placentiam inclinavi, ut & tu ſimiliter, quantum eſt tibi poſſibile, complaceas ipſi Beatiſſimæ TRINITATI. *pag: 518.*

V. *Capite 62.* Dominicâ *Gaudete in Domino*, dum hæc Virgo eſſet communicatura & ſub prima Miſſa quæ erat *Rorate* mœſta querularetur Domino, quòd audire non poſſet Miſſam: pauperis ſuæ miſertus omnipotens DEUS blandè ipſam conſolabatur dicens: Viſne, dilecta, ut ego ipſe decantem tibi Miſſam? quæ ſtatim rapta in ſpiritu reſpondit: etiam ô dulcor animæ meæ, hoc toto cordis affectu ſupplex oro. Et qualem Miſſam ait Dominus, delectat te audire? Reſpondit quamcunque tu cantare deliberas. Num inquit Dominus audire vis: *In medio Eccleſiæ?* reſpondit non. Cùmque Dominus plures Miſſas ſibi nominatim propoſuiſſet, & illa nullam illarum deſideraret, poſtremò requiſivit ab ea Dominus: An Miſſam *Dominus dixit* delectaretur audire: quam cùm ſimiliter non poſtularet; dixit illi Dominus: Ego in ſingulis verbis Introitûs bene poſſem te tali intellectu donare, ut exinde conſolareris mirificè; illâ verò intrà ſe cogitante? qualiter hoc fieri poſſet, eò quòd

quòd verba illius Introitûs, ſolummodo DEI Patris Unigenito congruere viderentur. Dominus unà cum omnibus Sanctis inchoavit altâ voce Introitum Dominicæ tunc inſtantis, dicens: *Gaudete in Domino ſemper*: in his verbis mirè eam incitans ad lætandum & delectandum in ſe, ſedebatq; Dominus in Throno Regiæ Majeſtatis ſuæ & Anima procidens ad pedes ejus dulciter deoſculabatur eos.

Reliquus totus & admirabilis proceſſus totius Miſſæ legi poteſt loco citato. pag: 567.

Finito *Gloria in excelſis DEO* Dominus JESUS ſummus Sacerdos, & verus Pontifex exſurgens, Animam dulciter ſalutando, decantabat, dicens: *Dominus vobiſcum dilecta;* cui Anima vicem recompenſans lætanter reſpondit: Et Spiritus meus tecum prædilecte. Ad quod Dominus cum maxima gratitudine, ſe inclinans, grates agebat Animæ pro eo, quod ipſa ſe ad hoc aptaverat, quòd Spiritum ſuum counire potuit Divinitati ſuæ, cujus deliciæ ſunt eſſe cum Filijs hominum.

Poſt dictum *Pater noſter*, iterum innuit Dominus Animæ, ut oraret pro Eccleſia, cúmque devotiſſimè oraret pro omnibus generaliter, & pro ſingulis ſpecialiter, Dominus illam orationem in unione omnium orationum & operum ſanctiſſimæ Humanitatis ſuæ Univerſali Eccleſiæ communicavit cum tanto fructu, quantus unquam per aliquam orationem poteſt obtineri, dicens: oratio iſta mihi modò per te oblata pro Eccleſia, erit ipſi incomparabiliter *ſalus ſalutum* ſuperabundans pro ſui ſublimitate, ſicut dicitur *Canticum Canticorum.* Tunc illa. Eja mi Domine, quæ jam debet eſſe Communio? cui Dominus blandè reſpondit; hoc non ſolùm aure percipies cordis, ſed etiam in omnibus medullis animæ ſvaviter perſenties. Et advocans eam ad ſe, & in ſinu ſuo delicatis eam ſtringens amplexibus, & oſculis prædulcibus demulcens tantâ dignatione, ipſam ſuæ divinitatis virtute mirabiliter penetrando influxit,

eâmque vice versâ retrahens, & in se transmutans, secúmque unum efficiens beatificavit, quantum possibile creditur hominem fragili carne gravatum experiri posse. Et sic in tali unione ipsam etiam sacramentaliter Sanctissimi Corporis & Sangvinis sui perceptione counivit. Dúmque communicata esset, tunc Cantor Cantorum, imò Zelator ardentissimus suorum dilectorum penetrativâ sonoritate inchoavit: *Ecce quod concupivi jam video: quod speravi jam teneo; illi sum junctus in spiritu, quam in terra positus totâ sinceritate dilexi.* In illo verbo: *in terra positus* palàm protestans, quòd omnes labores, tribulationes, & adversitates, quas pertulit in terris adeò singulariter pro salute hujus Animæ perfecit, quod si nullum alium totius suæ sanctissimæ conversationis, innocentissimæ Passionis, & amarissimæ mortis potuisset obtinuisse fructum satis sufficienter judicaret sibi satisfactum in tam præcellenti unione, quam illâ horâ perfecerat in ista Anima. O inæstimabilis divinæ dignationis svavitas! quæ tam avidè desiderat delectari, in anima humana, quod omnem suæ dignissimæ Passionis & mortis dolorem judicat, recompensatam ex unione unius, cui tam justissimè pro una gutta sui pretiosissimi Sangvinis jure obligatur totus Mundus. *pag: 578.*

CAPUT VI.

Ex Revelationibus Sanctæ Mechtildis.

I.

LIbro 1. cap. 1. Cùm appropinquaret hora nobilissimi convivij, in quo anima B. Mechtildis JESUM dilectissimum per Communionem Sanctissimi Corporis, & Sangvinis suscipere debebat, audivit eum dicentem sibi: *Tu in me, & ego in te, & ego non deseram te in æternùm.* Illa autem nihil aliud

ud desiderabat, nisi laudem DEI. Tunc Dominus dedit illi Cor suum Deificum, in forma aurei calicis, mirum in modum exornati, ità eam alloquens: per divinum Cor meum semper me laudare debes. Et ulterius sic: vade & propina cunctis Beatis & Sanctis haustum vivum de corde meo, ut omnes ex hoc æternum inebrientur. Ivit demum hæc dilecta Domini, primò ad Angelos, tradens ei potum salutarem; illi verò non biberunt; nihilominus ex eo mirabiliter reficiebantur. Deinde venit ad Patriarchas & Prophetas, quos haurire jussit, dicens: accipite, quem tanto tempore desiderâstis, & expectâstis, & facite me etiam secundùm vires omnes meas, ex intimo affectu eum desiderare, & diu noctúque eum solum suspirare. Postea venit ad Apostolos. Post hoc venit ad Sanctos Martyres: & dum ità circumìsset universum Cœli Palatium redijt ad Dominum, qui mox ab illa recepit Calicem, & imposuit Cordi dilectæ suæ, & ità tota uniebatur DEO.

Capite 260. In festo S. Joannis Apostoli & Evangelistæ dato primo signo ad Matutinum videbatur sibi, quòd Infans JESUS instar decennis Juvenis sorores cum gaudio excitaret; simúlque à se visus est sanctus Joannes in dormitorio stans ante lectum cujusdam personæ, quæ illum tenerrimè amabat. Præterea vidit magnam multitudinem Angelorum, qui omnes præsentes erant, ut candelis sorores ad chorum ducerent.

II. *Capite 7.* Cùm B. Mechtildis ægrotaret, vidit quædam, sanctæ itidem Vitæ in eodem Monasterio Monialis ejus Animam in conspectu Sanctissimæ TRINITATIS, quam DEUS Pater salutavit dicendo: *Ave dilecta mea*, quæ per exempla sanctæ conversationis verè dici poteris. *Lampas Ecclesiæ*, rivos fundens olei, id est orationum in totam latitudinem mundi. Tunc Filius DEI subjunxit, dicens: *Gaude Sponsa mea*, quæ justè diceris: *Medicina gratiæ.* quia diversis hominibus gratiâ privatis copiosior restituetur tuis precibus. Hinc Spiri-

tus Sanctus concinuit. *Ave immaculata mea*, quæ meritò *Nutrimentum Fidei* vocaberis: quia in omnium Cordibus, qui piè credunt divinæ operationi meæ, quæ in te non corporaliter, sed spiritualiter operor, fidei virtus nutrietur & stabilietur. Deinde DEUS Pater donavit illi de potentia sua, ut omnibus ex humana fragilitate paventibus, & non dum de divina bonitate plenè confidentibus tutelam præstaret securitatis. Spiritus quoque Paracletus contulit illi, ut ex fervore, suæ divinæ Charitatis tepidis calorem fervidum ministraret. Deinde Filius DEI concessit illi, ut in unione sanctissimæ Passionis & mortis suæ omnibus in peccato langvidis conferret medelam. Tunc multitudo Angelorum & Sanctorum coram Domino ipsam honorificè elevantes, clara voce insimul resonabant. *Tu DEI saturitas, oliva fructifera, cujus lucet puritas, & resplendent opera.* In illo verbo *cujus lucet puritas* collaudabant svavissimam quietem quâ Dominus in ipsius anima dignanter quievit, & in illo verbo, *resplendent opera*, omnium ejus operum laudabilem, & puram intentionem. Hinc omnes Sancti altissimè intonabant, Antiphonam DEUS palàm omnibus. Sub Præfatione verò summæ Missæ iterato, velut novæ gloriæ indutus decore Floriger Sponsus JESUS, svavissimâ quadam blanditate, vultum sponsæ suæ, versus faciem suam tam directè convertit, quòd statum infirmæ recto tramite afflatu suo intrahere videbatur, oculósque suos Deificos ipsius opponens oculis ipsos mirificè perlustravit, sicque eam feliciter sanctificando futuræ beatitudinis gloriæ coaptavit.

Capite 12. Vidit sanctum Joannem quiescentem in sinu Domini & multitudinem Sanctorum circa Dominum, choreas ducentem, & CHRISTUM per sanctum Joannem laudantem.

Capite 15. Beata Mechtildis rogavit Dominum his verbis: Amantissime Domine & Frater mi.

Capi-

Capite 17. Orabat DEUM. O unice Amor, in quo maximè complacet tibi, ut ab hominibus agnoſcaris! Cui Dominus in bonitate, quâ miſericorditer hominem expecto, uſque quoad pœnitentiam convertatur. Inſuper continuè eum ad me mea gratiâ traho. Cùm nullo modo voluerit converti, exigente juſtitiâ, oportet illum damnari.

III. *Capite 33.* Dominicâ Reſurectionis oſtendit ei Dominus domum pulcherrimam, altam & valde latam, in aqua videbat alteram domunculam ex lignis cedrinis factam, intus argenteis & ſplendicantibus laminis ſtratam; in cujus medio ſedebat Dominus, & illa agnovit, quod domus hæc eſſet cor DEI, quod ſæpius in tali ſpecie videbat. Veterior verò domuncula ſignificabat Animam. Sicut enim lignum cedrinum eſt incorruptibile, ità Anima eſt immortalis. Et Dominus dixit illi; ità in Corde meo clauſa eſt Anima tua, & ego in Corde Animæ tuæ. Poſt hoc intravit Anima domum: cecidit ad pedes Domini, quam ille beneficentiſſimè elevavit, & in ſinum ſuum repoſuit, oſculando eam ter dixit: hoc oſculum datum eſt tibi ob meam Omnipotentiam, Sapientiam & inexplicabilem Bonitatem. Anima verò ob tantam bonitatem ſibi à DEO exhibitam, obſtupefacta, humili reverentiâ à Domino longiùs aliquantum ſtare volebat, quam Dominus ſibi propinquiùs attraxit dicens: fave mihi, ut ſim apud te, & fruêre delicijs meis.

Feriâ 2. Paſchæ, cùm legeretur in Evangelio: *Mane nobiſcum Domine;* illa ait ad Dominum: ô dulcor unice, mane quæſo mecum, quia dies vitæ meæ inclinata eſt uſque ad veſperam. Reſpondit; ego tecum manebo, quâ Pater cum Filio, dividendo tecum Cœleſtem hæreditatem, quam tibi meritus ſum pretioſo meo ſangvine, cum omni bono, quod tibi operatus ſum in terris 33. annis: hæc omnia tibi propriè dabo.

2. Tecum ero, qua amicus cum amico, & ſicut homo, qui fide-

fidelem amicum habet, ad illum in omni necessitate confugit, illi specialiter adhærens: ità & tu ad me, qui tibi sum amicus præ omnibus fidelissimus, specialiter in omnibus tutum habebis refugium, & invalidam te dimitte ad me, quia fideliter in omnibus juvabo te.

3. Ero tecum sicut sponsus cum sponsa, inter quos nulla potest esse divisio, nisi infirmitate disjungantur; sed si tu infirmaberis, ego sum Medicus peritissimus ab omni infirmitate te sanans, & inter nos nulla poterit esse divisio, sed æterna copula, & inseparabilis unio.

4. Tecum manebo, velut socius cum socio, quorum si unus grave portaverit Onus, statim alter onus ejus tollit, & cum eo supportat: sic ego omnia onera tua portabo tam fideliter, ut omnia tibi sint levissimè sustinenda. Tunc incidit menti ejus, quòd aliquando dixerit ei DEUS: ecce animam meam do tibi in sociam, & ductricem: illi omnia tua committe, & cùm tristaris, illa te consolabitur, & in omnibus fideliter te juvabit. Et ait ad Dominum: Eja mi Domine, Vita animæ meæ, ignosce mihi, dux mitissime, quia tam nobilissimam sociam, heu tam raro ad opera mea invitavi, nec ejus auxilium in omnibus; ùt debui requisivi. Respondit: ego tibi indulgeo, & Anima mea tecum manebit, usque in finem vitæ tuæ: tunc suscipiet te in illa unione, quâ spiritum meum in manu Patris moriens in Cruce commendavi, & Patri meo Cœlesti te præsentabit.

IV. *Capite 35.* Cùm B. Mechtildis procidens gratias ageret, CHRISTUS D. eam dignanter alloquens ait: *Surge Regina mea.* Ulterius rogabat DEUM, ut ad sui honorem & laudem communioni sanctorum faceret convivium; & mox vidit lautissimum paratum convivium, & Dominum viridi Nuptiali veste vestitum, quæ aureis Rosis ornata erat. Dum itáque convivium paratum esset, dixit Dominus: quis in hoc con-

vivio

vivio musicum aget? quò dicto: accepit animam in manus suas, eámque totam quantam exhilaravit; ob quod omnes hospites novâ lætitiâ affecit, laudantes DEUM, quòd tam lætum se animæ demonstraret. Anima verò appressit sibi dilectum suum amplectendo & basiando intimo amore, duxit illum ad mensam ad hospites, & vidit inexplicabilem claritatem & admirabilem splendorem exeuntem à facie Domini qui illuminabat cœlestem aulam, & inexplicabili gaudio mensæ assidentes implebat.

Lib: 2. Cap: 5. Contristata vice quâdam B. Mechtildis solito more confugit ad Dominum, ipsi cor suum & voluntatem offerens; ità ùt non solùm hoc, sed etiam quæque pro ejus amore libenter sufferret adversa; ad quam Dominus dulciter se inclinans os suum roseum ei præbuit osculandum. Sentiens autem ipsum barbam non habere, cogitare cœpit, si aliquod præmium à DEO Patre pro evulsione barbæ in Passione accepisset, cui Dominus: Ego Creator Universorum non indigens ullo præmio: sed tu es præmium meum, te Pater meus Cœlestis in sponsam mihi, & filiam donavit.

Lib: 3. Cap: 11. Cùm B. Mechtildis semel in Orationibus pro operibus nostræ Redemptionis gratias ageret, & pervenisset ad illum Articulum, ubi gratias egit, quòd pro nobis dignatus est baptisari, dixit illi Dominus: Ego te volo baptisare, statímque rivus magnus de Corde DEI cum impetu erumpens Animam ejus abundè perfudit. Et Dominus adjecit: Ecce & ego volo esse Matrina tua,& sicut Matrinæ instruunt filiolas suas, ità ego te tria docebo. Primum est, quòd omnia quæ pateris adversa tam mentis, quàm corporis non tibi, sed mihi, acsi ego in te omnia sustinerem; patiaris. Secundum est ut omnia beneficia hominum, sive ministeria cum hilaritate & gratitudine suscipias, acsi non tibi sed mihi ab eis impendantur. Tertium est, ut totaliter mihi vivas, ità ut omnia opera tua non tibi

tibi

tibi, sed mihi adscribas, acsi nihil aliud sis, quàm vestimentum, quô ego opertus omnia opera tua in te & agam & disponam.

CAPUT VII.

Exempla variarum cælestium blanditiarum diversis Sanctis exhibitarum.

I.

POstquam duarum Sanctarum Virginum Gertrudis & Mechtildis Cælestium ejusmodi favorum feraciores vitas speciminis causâ percurrimus, de reliquo carptim cœlestium familiaritatum exempla colligemus aliqua.

Joannes Bollandus Tomo 1. 7. Aprilis, paginâ 688. c. 1. n. 4. narrat à sanctissima Virgine DEIpara datam fuisse Beato Hermano Joseph, tunc etiamnum puero, licentiam cum puero JESU colludendi ipsa sedente, & ludos pueriles familiariter inspectante. Et paginâ sequente refert n. 6. Cùm die quâdam secundùm consvetudinem suam, Ecclesiam B. Virginis Puer intrâsset, & in asperitate brumali nudis incederet pedibus; eundem puerum Mater Misericordiæ in tanto frigore corporali à cordis fervidi devotione minimè timuisse videns, consvetâ sibi misericordiâ mota est, & ei statuto coram facie sua ait: quare in tanto frigore nudis incedis pedibus? Respondit puer: non habeo calceos. Sciens autem beata Mater, parentes pueri ejus familiari inopiâ laborare, dixit illi: vade ad lapidem istum (& lapidem digito demonstravit) & sub eo quatuor denarios invenies, quos tolles, & cum eis tibi calceos comparari facies. Credidit puer fidelis, & paruit jussis, & sicut fuerat demonstratum inveniens, ad altricem suam Beatam Matrem rediit cum denariis lætabundus. At illa subjecit: quotiescunque aliquo indigueris, tabulis aut aliis necessariis; ad locum ac-

accedes eundem, & invenies denarios, quibus tua necessitas sublevetur. Addit Author Coævus apud Bollandum citatus: quis hæc referre, scribere, credereve præsumeret, si non paucis diebus ante mortem suam, piâ calliditate inductus à nobis, hæc nobis confessione propriâ prodidisset?

Idem Author de eodem recenset: Cùm se ad nomen MARIÆ in terram prosterneret, odorem omnium florum & aromatum solitum esse sentire. Quin & sub Cantico: Benedictus. Fragrantiam incensi, quod à duobus Angelis videbat ministrari. Ibid.

Et post pauca: Frequentiùs illi audivimus accidisse, quòd cùm in una abside Monasterij Orationibus esset ac Meditationibus occupatus, vocem Dominæ & amicæ charissimæ in opposita parte stantis audivit, & non dubius, à qua vocaretur (vocem enim vocantis ex consvetudine frequentata cognovit) transivit ad illam, & in aliquo secretiori loco pariter considentes, ille Beatæ Matri de statu suo singula requirenti respondit, & ab ea vicissim, quæcunque voluit, requisivit.

Et rursus *pag: 694.* Phlebotomatus aliquando hic Juvenis speciosus incautè se ad dormiendum super lectulum reclinavit; ità ut super brachium vulneratum totô corpore periculosè jaceret, & si illum Procuratrix fidelissima non munivisset, salutem corporis, quam sangvinis minutione quæsierat, cum ipso forsitan sangvine minuisset. Sed non passa, ut suus unanimis vitæ detrimentum casu tam miserabili pateretur (quod leviter potuerat dormiendo) festinanter advenit, & jam dormitantem verbis hujuscemodi excitavit: Cautelam tibi adhibere curato, quia minùs cautè subtus te minutum brachium posuisti, & post hæc brachium vulneratum beatis manibus apprehendens, docuit dormiturum, quomodo & illud, & totum corpus, nè aliquod pateretur periculum, collocaret.

Non possum hic mihi imperare, ut à plusculis lineis ab-

ſtineam calamum, quæ Author vitæ Beati hujus, narrationi ſuæ intexit; quoniam & ad propoſitum meum magnoperè ſerviunt, & ijs fortaſſis ex parte facient ſatis, qui, quidquid in Vitis Sanctorum inveniunt, quod nequeas imitari, confeſtim rejiciendum exiſtimant. Sic igitur ille: Antequam cætera contexam, neceſſarium puto, commonere Lectorem, nè cuncta, quæ de Fratre noſtro proponimus explicare, in conſequentiam ſibi trahat: magìs autem ſciat, quædam ſic eſſe ſcripta, ut ea tantùm miremur in eo, qui fecit, & qui ea per hominem facere voluit, Dominum collaudemus. Quædam verò ſcriptis noverit exarata, ut ea etiam imitemur. Si enim ea, quæ ſuper Naturam ſunt, Sanctorum exemplis incitati voluerimus imitari, non ædificationem, quam quærimus, ſed ruinam potiùs inveniemus in illis. Item ſi in Sanctis omnia, quæ de eis ſcribuntur, tantùm voluerimus admirari, in noſtra tarditate manebimus, & ſinè fructu noſtro Sanctorum ſcribentur & legentur exempla. Proinde Lectorem moneo, diligenter attendere, & diſcernere ſapienter, quid admirandum, & quid imitandum ſit: ut in admirandis, Deo mirabili in Sanctis ſuis digna gratiarum actio referatur; in imitandis verò per exempla virtutum vita legentium emendetur. Hæc ille. Sed nos redeamus in viam, & ſingulares favores, blanditiáſque Cæleſtes, cùm Hermanno, tum alijs etiam Sanctis utriuſque ſexûs exhibitas carptim proſequamur.

Igitur Hermannus, jam ſæpe nobis nominatus, nocte quadam mediâ, cùm in conſvetis Orationibus vigilaret, ſtans in extremis ſedibus juxta ſtallum Abbatis, reſpexit in medio Chori Virginem inenarrabilis pulchritudinis, regali ſchemate inſignitam. Duo juxta illam Juvenes pulcherrimi dextrâ lævâque videbantur aſſiſtere, quos eſſe Angelos intellexit. Unum porrò Angelorum audivit ad alterum ſic dicentem: Cui deſponſabimus Virginem iſtam? Reſpondit alter: Cui deſponſemus

femus eum, nisi Fratri præsenti? At ille: Veniat ergo, inquit. Vocatus processit cum pudore verecundiæ. - - Verùm ubi usque ad præsentiam Reginæ processit, unus illum Angelorum affatus est: Oportet, inquit, ut tibi hæc puella clarissima desponsetur. - - - Cúmque cœpisset in obediendo morari manum ejus dexteram Angelus apprehendit, & manui sacratissimæ Virginis copulavit, & sub his verbis desponsationem perfecit: Ecce, inquit, hanc Virginem tibi trado in Sponsam, sicut fuit desponsata Joseph, ut nomen Sponsi pariter cum Sponsâ accipias: & de cetero Joseph erit nomen tuum.

Idem, cùm semel Beatissimam Virginem sibi videretur videre, puerulum pulcherrimum inter brachia bajulantem: Charissima, da mihi filium tuum, inquit. Protrahens illa petentem aliquantulum (puto, ut magìs accenderetur desiderium) tandem illi summè desideratum porrexit Infantem, & adjecit: Porta filium meum, sicut ab Sponso meo Joseph portatus est in Ægyptum, &c.

Ibidem refertur, quomodo ob modicum quendam torporem DEIpara illi se exhibuerit in forma vetulæ, rugis habens faciem deformatam. Quam cùm vidisset, & ex voce agnitam stupens interrogasset: Tunc es, ô Rosa? sic enim ex nimia familiaritate eam vocitare consueverat. Respondit: Ego sum. Stupefactus ille: Quæ causa est, ait, quòd tam vetulæ vultum tibi assumere voluisti? Cui illa: Talis, ait, oculis tuis appareo, qualem me in corde tuo delegeris retinere. Ego enim jam tibi vetula facta sum. Ubi enim est repræsentatio gaudiorum meorum? ubi ille fervor devotionis, &c.

Cùm aliquando minùs cautè procedens pedibus offendisset, cadens in faciem, duobus dentibus orbatus est. Quos cùm evulsos manu portaret, occurrens ei Mater Misericordiæ: Quid, inquit, habes? Cui ille, quantum potuit loquens: dentes, ait, meos perdidi, cruciórque dolore. At illa subjecit:

Da mihi ipſos dentes evulſos. Quos cùm de manu dilecti acceपिſſet, in gingivas ſangvinolentas illos repoſuit locis ſuis, & omni dolore remotô, vulnereq; ſanatô dentes ſolidavit eosdem, ut nullum omnino doloris, aut vulneris veſtigium remaneret. Hæc omnia de Hermanno Author Vitæ apud Bollandum.

Dignæ ſunt admiratione Cœleſtes blanditiæ, quas idem Bollandus ad diem Januarij IV. in vita B. Angelæ de Fulginio memorat. Sed quia multæ in idem recidunt, ſum parcus in delibandis. Do verba ſpiritûs Sancti ad Ipſam, in itinere, inter ſpeluncam & viam versùs Aſſiſium: Filia mea, dulcis mihi; filia mea, templum meum; filia mea, delectamentum meum; diligas me, quia tu es multùm dilecta à me; multò plùs, quàm tu diligas me. Et ſæpiſſimè dicebat mihi, inquit illa: Filia & Sponſa dulcis mihi. Et ſubinferebat: Ego diligam te plùs, quàm aliquam, quæ ſit in valle Spoletana; ergo poſtquam ego collocavi, & pauſavi me in te, modò colloca te in me, & quieſce in me, &c. que ibi ſequuntur.

Et infrà: Dicebat mihi iterum: Filia mea, dulcis mihi, ama me, quia tu es multò plùs amata, quàm tu ames me. Amata mea, ama me, &c. Iterum dicebat mihi: Amata mea, Sponſa mea, ama me; tota enim vita tua, comedere & bibere, & tuum dormire, & omne tuum vivere, totum placet mihi, ſi diligas me, &c.

Iterum anima mea dicebat: ſi tu, qui ab initio mihi locutus es, eſſes Spiritus Sanctus, tu non diceres mihi tam magna; & ſi tu eſſes in me, deberet eſſe tanta lætitia in me, quòd ego vivens non poſſem ſuſtinere, & reſpondit mihi: Nunquid eſſe vel fieri poteſt, niſi ſicut ego volo? Ideo non do tibi aliam lætitiam, neque plus, niſi ſicut habes; Et ego jam minus iſtâ dedi alij, & ille, cui dedi, jacuit non ſentiens, nec videns, &c.

Et quomodo viderit Deum, deſcribens: Si quæras, inquit, quid

quid vidi? Vidi veracem rem, plenam Majestate, immensam, quam nescio dicere, sed videbatur, quòd esset bonum. Multa autem verba dulcedinis dixit mihi. - - Filia mea, dulcis mihi, multò plùs quàm ego tibi; templum dilectum meum, tu habes annulum mei amoris, & es arrhata à me, & de cetero non discedes à me, & benedictionem Patris & Filij & Spiritûs Sancti habes tu, & consocia tua.

Et: Quodam tempore eram in Oratione, & elevata in Spiritu; loquebatur mihi DEUS verba multùm placibilia, & plena; & respiciens vidi DEUM mihi loquentem. Si autem quæras, quid vidi? dico, quòd vidi ipsum, & aliud nescio dicere, nisi quòd videbam unam plenitudinem, unam charitatem, de qua sentiebam in me tantum implementum, quòd ego nescio dicere, nec scio dare aliquam omnino similitudinẽ, &c. Dixit autem mihi DEUS: Filia amantissima, dulcis mihi, omnes Sancti Paradisi habent ad te specialem amorem, & Mater mea similiter, &c.

B. Veronica de Binasco, uti ad diem XIII. Januarij refert Bollandus ab Angelo omnem psalmodiam, modúmq; decantandi Officium didicit. Vidit CHRISTUM formâ pueri, albis indutum, medium inter geminos Angelos inambulantem super altariolo. Bis ei panis ab Angelo delatus est, & ultimò trienniô vitæ, singulis diebus jejuniorum, unicô pane candidissimô & recenti, mediocrisq; magnitudinis ab Angelo delato contenta, cibum omnem fastidiebat. Infusa est ei à DEO scientia legendi & intelligendi Psalterium Davidicum. Octo dierum spatiô Officium Romanum, seu Breviarium orare, ab Angelo est edocta; & plenè ab eo instructa, habuit eum nonnunquam in eodem recitando socium, alternando cum illo versus, Responsoria, & Antiphonas. Composuit librum dictante Angelo. Ægrotanti adfuit Angelus, Matutinásque horas unà persolvebant. Peractâ Divinarum laudum particu-

lâ ajebat Angelus Domini: Quiesce paululùm Filia, quoniam acerrimô dolore langvens summopere affligeris. Mutuò quoque fabulabantur pro Angeli beneplacito. Mos itidem fuit Divino Nuntio subinferre: Eja Filia, Divinum Officium prosequamur!

Eidem die Nativitatis Dominicæ Anno 1495. CHRISTUS in raptu significavit, dicens: Hodie, Filia mea, præclarissimô munere te prosequi volo. Quod quale esset, eventus probavit. Virgo enim ad sensus regressa, quidquid in Romano Breviario legitur, ejus se memorem esse dignovit. Quamobrem opus nunquam illi fuit librô uti, aut in Officiorum mutationibus, aut in quovis discrimine ad Divina Officia spectante.

Festo Paschæ CHRISTUM gloriosum sibi conspicuum intuita, elevata est ad usque cellæ testudinem, & jussa, altiori voce Antiphonam: Regina Cœli lætare, Alleluja. Svavissimè concinuit. Alià vice horam Nonam Breviarij cum CHRISTO recitavit.

Eadem toto anni circulô à Nativitate B. Joannis Baptistæ per singula solennia præterlabentia, Cælestes Sanctorum eorum, qui tunc colebantur, collocutiones habere promeruit. Et ijs quidem diebus, qui Sanctis pluribus dicati sunt, unà ipsi Mentes illæ apparebant, colloquebantúrque dulciùs. Quæ quidem apparitiones sub obtutibus corporeis Virgini Veronicæ evenerunt.

Nocte Sabbati infra Octavas Corporis CHRISTI, Hostiam è manu Angeli accepit. Et aliâ vice ab ipso CHRISTO, Hostià videl: ipsâ ad eam veniente. Et aliàs etiam sæpe ad eam particula Hostiæ à sacerdote divisæ ad eam delata est, fenestram Chori subintrans, & in os ejus volitans.

Vita Henrici Susonis est mera Cœlestium hujusmodi illecebrarum Historia. Accidit in Conversionis ejus initio, ut

ferijs

ferijs D. Agnetis V. & M. factô prandiô in chorum ingressus, solus illic maneret, stans in infimis dextri chori sedibus. Erat tum gravi quodam angore correptus, & acerba, quá laborabat, Cruce & afflictione. Cùm autem sic staret omni consolatione destitutus, nec quisquam illi adesset, rapta est anima illius, sive in corpore, sive extra corpus; viditque & audivit, quod nec omnes possint lingvæ eloqui. Erat id formæ ac modi expers, & tamen formarum ad modorum omnium jucundas in se continebat oblectationes. Cor illius & æstuabat desideriô, & tamen exsatiabatur: animus planè jucundus & amœnus erat: Optio & appetitio in ipso consopitæ erant. Tantummodo aciem mentis intendebat in lucidum, ac illustrem illum fulgorem, &c. &c.

Aliâ vice, dum calentissimis sapientiæ Divinæ desiderijs ex lectione in triclinio ad mensam audita conceptis accensus esset, ea tali schemate visendam se illi præbuit. Longè supra ipsum ferebatur in columna Nubis, residens in throno eburneo, micans instar Luciferi, & tanquam Sol lucens in virtute sua. Corona ejus erat Æternitas, amictus felicitas, sermo svavitas, complexus omnis boni satietas. Propè erat, & longè aberat; sublimis & humilis, præsens & occulta; familiarem se præbebat, nec tamen apprehendi poterat: excelsis Cœli fastigijs erat altior, & tamen abyssô profundior: attingebat à fine usque ad finem fortiter, & disponebat omnia svaviter. Dum elegantis puellæ specie teneri videbatur, mox pulcherrimi Juvenis præ se ferebat imaginem. Nonnunquam ceu artium omnium peritissimam se præbebat amicam, cunctis amabilem. Itaque dulcissimè ad eum se convertens, & comiter, non tamen sine quadam Divina Majestate, illi arridens, benignè his cum verbis affata est: Præbe, fili, cor tuum mihi. Dum verò vestigijs illius advolutus, medullitus ac humillimè gratias illi egit, &c.

Acci-

Accidit aliâ vice, ut quieti se traderet, audirétque in anima sua mirificum resonare clangorem. Hæc autem verba personabat: Stella MARIA Maris hodie processit ad ortum. Cantio isthæc supra naturam in illo percrebuit, ità ut totus animo exhilaresceret, unàq; ipse cantaret. Cúmque cantum hunc pariter absolvissent, ineffabili quodam modo circumplexus est, audivitq; vocem ejusmodi: Quantò me amabiliùs amplexaris, & puriùs sinè materiæ admixtione oscularis, tantò in æterna claritudine mea jucundiùs & amabiliùs circumplecteris, &c.

Manè quodam, Spiritus Angelici aliâ voce dulcissimum illud Responsorium: Surge, illuminare Jerusalem. Psallere cœperunt, cantúsque ille ineffabili svavitate in anima ejus resonabat, &c.

Sedens aliquando quietis captandæ causâ, in visione sibi in exteram Regionem transferri videbatur, & ecce Angelum suum à dextris sibi placidô ac serenô vultu assistere conspexit. Subitò exsiliens dulcissimum illum Angelicum Spiritum concludens circumplectebatur, animæq; suæ quàm potuit arctissimè & amicissimè adstringebat, ità ut nullum inter ipsos medium intercedere putaret, vocéq; lugubri, plenô cordis affectu ait ad Angelum: ô svavissime Spiritus, qui mihi Divinitus es assignatus Custos & Consolator, obsecro te per amorem illum, quô ferves erga DEUM, nè me deseras. Respondit ei Angelus: Non es ausus fidere DEO? Crede mihi, tantâ te benignitate & charitate ex omni Æternitate complexus est DEUS, ut te non velit unquam relinquere.

Aliâ vice cum Cœlicis Spiritibus in visione familiariter degens, ab uno ex illis splendidis Cœlestis Patriæ Principibus petijt indicari sibi, quâ ratione DEUS secretò in sua anima commoraretur. Et ait ad eum Angelus: Age jam hilariter in te ipsum respice, & vide, ut DEUS cum amante anima tua suum

ſuum exerceat ludum. Nec mora: introrſus reſpiciens, vidit corpus ſuum eo locô, ubi eſt cordis ſedes, velut cryſtallum perſpicuum fieri, atque in ipſo cordis ſui meditullio æternam ſapientiam amicabili ſchemate quietiſſimè reſidere, & juxta eam aſſidere animam ſuam Cæleſti beatitudine fretam, atque ejus lateri ſvaviter innixam, illiúſque ſtrictam amplexibus, & Divino cordi appreſſam, inibique in ecſtaſi & abſorptione quadam inter amantiſſimi Salvatoris ulnas deliteſcentem & obdormientem.

Aliàs paſſus eſt mentis exceſſum, videbatúrq; ipſi quidpiam luminis ex ejus corde emergere, reſpiciénſq; vidit in corde ſuo Crucem auream multis gemmis intertextam, in quibus mirô decore nomen JESU luculenter apparebat.

Narratur ibidem, quomodo Angeli eum præſentiâ ſuâ recreaverint, unúſque, qui dignitatem Archangeli præ ſe ferre videbatur afflicto dixerit: Miſsô cordis dolore notis ſocium te adjungas oportet, nobiſcúmque Cæleſtes ducas choreas. Simul autem per manus eum trahentes ſibi junxerunt. Mox Juvenis (id eſt Angelus) antè dictus, dulciſſimam de puerulo JESU cantilenam exorſus eſt, iſtam videlicet: In dulci Jubilo &c. Cernebátq; Henricus magnâ animi voluptate beatos illos Spiritus, altiſſimos & elegantiſſimos dare ſaltus. Præcentor ille noverat cuncta optimè moderari, cujus præcinentis dulces moøulos cæteri proſeqūebantur, canentes ac ſaltantes cum cordis jubilo. Non erant autem choreæ iſtæ, quales ſunt hujus vitæ: ſed erant Cæleſtes quidam effluxus & refluxus in vaſtiſſimam Divinitatis abyſſum. Hujus generis innumeræ illi Cæleſtes conſolationes aliquot annis præſtabantur.

Quidam amicus DEI in viſione perſpexit, cùm Henricus acceſſiſſet ad altare, Miſſæ ſacrificium facturns, clariſſimæ charitatis ornamentô illuſtrari, Deíque gratiam roris inſtar in illius animam delabi, atque unum illum fieri cum DEO. Simul

autem perplures à tergo illi adstare parvulos formâ venustâ & amabili, cereos ardentes manibus gestantes circa altare, alios post alios, eósq; singulos expansis brachiolis, quàm possent dulcissimè illum complecti, & suo pectori applicare. Cúmq; Sanctus ille homo, qui hæc in spiritu vidit, dixisset ad Angelos: Quid sibi vult, quòd Fratrem hunc tam svaviter estis amplexati? dixerunt illi: Frater iste nobis longè charissimus est, & multa nobis cũ illo intercedit consvetudo & familiaritas, &c.

Delectabatur admodum pomis Henricus. In visione igitur quadam videbatur sibi pomum porrigi à quodam cum his verbis: Accipe, & fruere; id est enim, in quo tù voluptatem aucuparis. Respondit ille: se non nisi in æterna sapientia delectari. Contrà ille eum mendacij arguit, dicens immoderatiùs eum oblectari pomis. Quamobrem pudore suffusus totô bienniô poma nec attigit qùidem. Quibus non sinè desiderio evolutis, cùm sequenti anno poma malè crevissent, ità ut Fratribus non apponerentur, atque ipse quamvis non sinè acri ac multiplici concertatione id à seipso extorqueret, nè quid privatim in mensa de pomis expeteret, rogavit DEUM, siquidem ipsi placeret, ut pomis vesceretur, ut cunctis Fratribus subministrari faceret. Quod etiam ità evenit. Manè facto, homo quidam ignotus multos illi Cænobio numos recentes attulit, eâ solâ conditione, ut poma illis mercarentur. Fecêrunt id Fratres, & longô temporis spatiô poma illa eis ad usum satis fuêre. Tum demum cœpit Frater iste pomis gratô vesci animô, &c.

Ipsis Bacchanalibus ante Completorium in hypocaustum calidum sese receperat, quò se calefaceret; admodum enim frigore & fame laborabat: sed longè infestior illi sitis erat, quam tunc patiebatur. Cúmq; cerneret alios vesci carnibus, & potare vinum, se interim fame & siti confectô, intus se moneri sentiens foras mox abijt, miseransque seipsum ex alto corde traxit

xit suspiria. Eâdem verò nocte in visione sibi esse videbatur in valetudinario quodam, audivítque foris Cœlestem concini cantilenam, tantâ vocis svavitate, ut nulla possit cithara eam æquiparare melodiam: erátque vox tanquam pueri Scholastici annorum duodecim. Igitur oblitus Henricus cibi ac potûs, melodiam hanc arrectis audiebat auribus, dicens magnô cordis æstu: Ecquis cantat foris? equidem in terris nunquam melos ejusmodi percepi. Respondit illi eximiâ formâ Adolescens, qui tum fortè aderat: Noveris melodem hunc puerum tibi modulari, téque hoc cantandi officiô spectare. Ait Henricus: ô si mei meminerit DEUS! Oro te Cœlice adolescens, jube illum ampliùs canere. Rursus ergo cantare cœpit altissimô vocis sonô, absolvítque tres integras planè Cœlestes cantiones. Quibus finitis puer ille, ùt ipsi videbatur, per aëra accessit ad domicilij illius, ubi erat Henricus, fenestras, porrexitque ei ramusculum rubentibus admodum confertum granis similitudine fragorum. Tulit autem adolescens antè dictus ramusculum è manibus pueri, lætúsque eum obtulit Henrico cum his verbis: Age mi Frater & Consodalis, cape rubros hos fructus à tui amantissimo Domino, hoc ipso speciosissimo adolescentulo, Regis æterni Filio, quem hactenus cantantem audîsti, tibi dono datos. O quantopere is te amat! His auditis, Frater ille præ gaudio, rubore vultûs infusus, excepit hilariter sportellam cum fructibus, aitq;: ô me felicem, cui tam optatum contingit munus à præclaro Divinóque hoc adolescentulo, quod me sanè non potest non perpetuâ animi exultatione afficere. Versúsq; ad adolescentem, reliquósque beatos Spiritus illis præsentes: Amici, inquit, charissimi, æquúmne est, gratiosum hunc & Cælestem juvenculum à me impensè amari? meritò profectò mihi diligendus est. - - Convertítque se ad memoratum adolescentem, & ait: Dic mihi charissime, recténe tibi sentire videor? Subridens ille svaviter: Planè, inquit

quit, rectè ſentis, ac jure illum amare debebis, qui te præ multis alijs benigniùs ſpectat & amat. Quamobrem ingenti illum fac amore proſequaris. - - Ait ille: Faciam id libentiſſimè, precórque ut mihi illius viſendi copiam obtineas, quò gratias illi agam pro ipſius præclaro munere. Perge, inquit adoleſcens, ad feneſtram, & proſpice. Aperuit ille feneſtram, & vidit illic puerum Scholaſticum tantæ venuſtatis, ut non ſit illi unquam quiſquam viſus ſimilis: cúmq; vellet per feneſtram ad illum egredi, blandè illi ſe inclinans ſvaviter illi benedixit, & è veſtigio ab ejus evanuit oculis. Sicq; viſio finita eſt. Redditus ſibi ipſi, gratias egit DEO pro ejuſmodi Divinis Bacchanalibus ipſi præſtitis.

Cùm vice quadam ſiti admodùm cruciaretur, in viſione contuitus eſt Virginem Matrem cum puerulo JESU, eâ ſpecie, quâ erat ſeptennis, in terris ad ſe venire, eundemq; infantulum habere in manibus poculum aquâ plenum, paulò majus, quàm erat ſcyphus Cœnobio uſitatus. Porrò idem poculum Beatiſſimam Virginem in manus ſumere, atque ipſi offerre, ut biberet. Quod ille accipiens avidè bibit, & ſitim omnem profligavit.

Aliàs potum ex ipſo DEIparæ corde manantem accepit, eoq; abunde recreatus cùm eſſet, manſit ei in ore quaſi molle granum quoddam nivei coloris, cujusmodi manna fuit; idq; in veritatis argumentum diu ſatis in ore retinuit.

Nocte quapiam Virgo cum puerulo ſuo ei per viſum apparuit, habens in manu elegans poculum aquâ plenum. - De inde Mater Filio obtulit poculum, rogans ut illi benediceret. Fecit ille ùt Mater voluit, & confeſtim aqua tranſijt in vinum. Dicitque: Sufficit jam; nolo ut deinceps Miniſter meus hoc genus exercitij proſequatur, ut vinô abſtineat. Utatur poſthac vinô ob naturam ſuam exhauſtam & confectam. Hac igitur illi poteſtate factâ à DEO, deinceps, ùt antè ſolebat, vinô uſus eſt.

Ad

Adhæc apparuit vice aliquâ Dominus JESUS cuidam amico suo, ferens pyxidem in manibus. Interrogatus ab eodem Sancto homine, quid sibi vellet illâ pyxide: Ex hac, inquit, mederi volo Ministro meo (Henricum designans) ægre affecto. Et ecce ipsum adijt Henricum, apperuítque pyxidem recenti plenam sangvine, eodem tinxit, sive linivit cor Henrici, adeò ut prorsus cruentum redderetur: deinde manus, pedes, cunctáque ejus membra eodem sangvine perunxit. Tum Sanctus ille homo, qui hæc in visione conspiciebat: Quamobrem, ait, Domine, ità eum sangvine consignas? Visne illi quinque vulnerum tuorum similitudinem imprimere? Respondit Dominus: Ità nimirum: siquidem cor, totámque naturam ejus cruce & afflictione signabo, cúmq; adhibitis medicamentis curabo, faciámque eum hominem juxta omne cor meum, &c.

Aliquando contigit, ut peteret à DEO festa sibi Bacchanalia exhiberi, eò quòd nollet ea à quavis mortali creatura recipere. Itaque à sensibus subductus videre sibi visus est Dominus JESUS intrantem eâ formâ, quâ erat, cùm esset triginta annorum, ut ipsius expleret desiderium, & Cælestia ei Bacchanalia efficeret. Accepit autem idem Dominus JESUS scyphum vinô plenum in manus, obtulitque eum tribus illis ad mensam inibi assidentibus, alij post alium. Primus haustô vinô cecidit, viribus destitutus. Alter nonnihil debilis effectus est. Tertius nihil sensit incommodi. Quid verò hæc sibi vellent, Dominus Henrico exposuit, indicans illi, quid inter inchoantem, progredientem, & perfectum hominem interesit, & ut ei diversâ se ratione gerant in Divinæ svavitatis affluentia.

Vita B. Margaritæ de Cortona plena est hujusmodi favoribus ad XXII. Februarij: Ibidem.

Nec solùm illius, sed aliorum, aliarúmque multarum, & Virginum præsertim DEO dicatarum, his delicijs ità pleni sunt fasti, ut pluribus abstinendum existimem, nè rerum mole ultra

modum hoc Caput excrescat. Ex una Divæ Catharinæ Senensis Vita, Authore Raimundo Capuano, Ordinis Prædicatorum Magistro Generali, in compendio nonnulla subjungo.

Sexennis circiter erat hæc Virgo, cùm DEO ab ipsa infantia favoribus insolitis eam præveniente, vidit illa supra Caput Ecclesiæ Fratrum Prædicatorum, in aëre quendam pulcherrimum thalamum, in quo Salvator Mundi Dominus JESUS Christus in Throno Imperiali sedebat indutus Pontificalibus vestibus, habens, in capite tiaram, seu Monarchicam & Papalem mitram; erántq; cum eo Apostolorum Principes Petrus & Paulus, & beatissimus Evangelista Joannes. Ipse verò Majestatis suæ oculos defigens in eam, amorosissimè subsidens, extentâ dexterâ super eam, munus ei benedictionis suæ æternæ, factô signô salutiferæ Crucis, juxta Prælatorum consvetudinem, contulit gratiosè.

Cùm autem adultior aliquantò fuit Catharina, & in Ordine Religioso jam constituta, ità cœperunt Visiones Cœli ac revelationes multiplicari, simúlq; ipsa frequentari à Domino in tantum, ut vix duo possint homines inveniri (scribente sic & affirmante ejusdem Confessaria memoratô Raimundô) qui tam assiduam Conversationem haberent ad invicem, quàm continuam habebat hæc sacra Virgo cum Sponso suo, Salvatoréque omnium Domino JESU Christo. Et cùm vice quadam Raimundus ex ea audiret tam ingentia, & alijs insveta, dubitarétque proinde, & in quibusdam intra se cogitaret: Putásne sint omnia vera, quæ dicit? Sícque cogitans in faciem loquentis intenderet oculos, subitò facies ejus (Catharinæ nimirum) transformata est in faciem viri barbati, qui fixus oculis Raimundum intuendo, nimiùm terruit: erátq; facies oblonga ætatis mediæ, non prolixam habens barbam coloris triticei, Majestátemq; præferens in aspectu, ex qua se manifestè Dominum ostendebat: nec alia pro tunc ibi facies discerni poterat, præter

ter illam. Cúmq; pavefactus Raimundus exclamaret: O quis est, qui me respicit? Respondit Virgo: Ille, qui est. Quo dictô mox facies illa disparuit, & facies Virginis, quæ priùs discerni non potuit, claré apparuit.

Lectionem latinam Officij Canonici divinitus & absque hominis instructione Catharina didicerat, ùt ibidem in Vita refertur. Veniebátq; ad eam frequenter Dominus, cum eáq; confabulabatur, sicut amicus cum domesticissimo amico: in tantum, quód ipse, & ipsa simul dicebant psalmos, ambulando per cameram, sicut solent duo Religiosi vel Clerici simul Officium dicere. O inaudita à sæculis nostris familiaritatis ostensio, exclamat Vitæ Scriptor. Et tamen incredibile esse non debet, inquit idem, si abyssum Divinæ bonitatis attenté pensaveris. Cuilibet enim Sanctorum suorum confert aliquod singulare, quòd præ alijs gaudeat se possidere, ut non tantùm in omnibus, sed in singulis Sanctis appareat suæ supermaximæ magnificentiæ altitudo, dicente Propheta: secundùm altitudinem tuam multiplicâsti filios hominum. Secundùm altitudinem propriam. Filios hominum multiplicat Dominus: quia sicut ad sensum apparet, quòd quilibet homo ab omnibus alijs per aliquod singulare dissimilis est, sic quilibet Sanctorum ab omnibus alijs per aliquam singularem gratiam separatur. Quapropter mirandum non est, si aliquid de aliquo dicitur, quod de alijs nequaquam inventum est. Itá ipse.

Cùm sanctô desideriô laboraret, habendi & attingendi perfectum fidei gradum cœpissétque idipsum à Domino petere. Dominus sic ei respondit: Desponsabo te mihi in fide. Cúmq; Virgo sæpe ac diu orationem eandem repeteret, & Dominus responsum semper idem reiteraret, accidit, ut tempore, quo Quadragesimalia jejunia appropinquabant, & homines vanum festum quodammodo ventri celebrant, Virgo sacra in suo reclusorio, vultum Sponsi æterni orationibus & jejunijs quæ-

quæritans, præfatam Orationem instantissimè replicaret. Cui Dominus: Quia vanitates omnes propter me à te abjiciendo fugisti, & contimptis delectationibus carnis, in me solo tui cordis delectationem fixisti; hoc in tempore, quo ceteri de domo tua in suis gaudent convivijs, ego festum Desponsationis animæ tuæ solemniter celebrare tecum decrevi: & sic, ut promisi, mihi te sponsare volo in Fide. Adhuc eô loquente, apparuerant Virgo gloriosissima Mater ejus beatissimus Joannes Evangelista, gloriosus Apostolus Paulus, sanctissimúsque Dominicus Pater suæ Religionis, ac cum his omnibus David Propheta, psalterium Musicum habens in manu sua. Quô supersvavissimè, ac sonorè pulsante, Virgo Dei Genitrix, Virginis dexteram sacratissimâ suâ cepit manu, digitósque illius extendens ad Filium, postulabat, ut eam sibi desponsare dignaretur in fide. Quod DEI Unigenitus gratissimè annuens, annulum protulit aureum, habentem in circulo suo quatuor Margaritas, ac adamantinam gemmam superpulcherrimam, etiam suâ summitate inclusam. Quem digito annulari dexteræ Virginis, dexterâ suâ supersacrâ imponens: Ecce, inquit, desponso te mihi Creatori & Salvatori tuo in Fide, quæ usquequò in Cœlis tuas mecum nuptias perpetuas celebratis, semper conservabitur illibata, &c. His dictis disparuit visio, sed semper remansit annulus ille in digito, non quidem secundùm visionem aliorum, sed tantùm secundùm ipsius Virginis visionem.

Semel existente ipsâ in Ecclesia, venit quidam pauper ad eam, & petivit pro DEI amore suis necessitatibus subveniri. At illa nihil habens ibi, quod pauperi posset dare, quia non consveverat aurum vel argentum deferre; movebat pauperem, ut præstolaretur, quousq; domum ipsa rediret, quia libenter ei, & copiosè de his, quæ ibidem essent, eleemosynam faceret. Sed pauper ille: si habes, inquid, aliquid, quod mihi des, hìc illud peto, quia tantum expectare non possum. Illa verò nolens

lens eum desolatum dimittere, cogitavit anxia, quid pauperi elargiri valeret, unde necessitati ejus subveniretur. Et cogitanti occurrit Crux quædam argentea parvæ quantitatis, quæ juxta consvetudinem solet inseri filo inter nodulos illos, qui Pater Noster vulgariter appellantur. Hoc igitur Sacra Virgo habens in manibus, & ibidem Crucem parvam argenteam, filum festina fregit, & eam pauperi cum lætitia est largita. Qui cruce habitâ totus jucundus abscessit, nec à quoquam alio eleemosynam petijt, ac si tantùm pro illa Cruce habenda venisset. Nocte autem sequente, orante juxta suam consvetudinem Virgine Domini; apparuit ei Salvator Mundi, habens Crucem illam in manibus, ornatam multis lapidibus pretiosis, & dixit: Agnocisne Crucem istam filia? Et illa: Optimè agnosco, sed non fuit apud me itá pulchra. Et Dominus: Tu mihi hanc hesternâ die dedisti, cum charitatis, & largitatis amore, qui amor designatur per hos lapides pretiosos. Et ego promitto tibi, quod in die Judicij, coram Universo Angelorum & hominum conventu, tibi eam talem, ùt vides, ad tui culmen gaudij præsentabo; nec occultabo, nec occultari permittam opus Misericordiæ mihi per te impensæ, in die, quâ Patri Misericordiam & Judicium decantabo. His dictis disparuit, mentem Virginis ad similia præstandum accensam relinquens.

Aliàs horâ Tertiarum jam in prædicta Ecclesia decantatâ, cùm domum rediret, apparuit Dominus Sponsæ suæ in forma Juvenis denudati, & pauperis ac peregrini, & petivit, ut sibi pro DEO succurreret aliquo indumentô. At illa, jam ad Misericordiæ opera solitò plùs accensa: Exspecta, inquit, charissime, paululùm hic, donec de capella illa revertar, & statim tribuam indumentum. Retrogressâq; ad capellam, unde descenderat, tunicam, quam sinè manicis sub exteriori tunica propter frigus interius deferebat, per pedes sociâ juvante deposuit, cautè pariter & honestè, ac cum grandi lætitia paupeij

tribuit. Quâ receptâ, repetit plus ille pauper, & ait: Eja orò Domina, ex quo mihi de indumento laneo providiſtis, ut de lineis tegumentis etiã mihi providere velitis. Quod illa libentiſſimè annuens: Veni poſt me, inquit, chariſſime: quia quod petis, integraliter tibi dabo. Præcedit igitur Sponſa, & Sponſus ignotus ſubſequitur. Illáque paternam domum ſubintrans, accedit ad locum, ubi panni linei patris & Germanorum erant reconditi: acceptáq; camiſiâ unam, & femoralibus, lætanter pauperi tribuit. Sed ille his habitis, adhuc non deſtitit à petendo, ſed obſecro, inquit, Domina, quid faciam de tunica iſta, quæ manicas ad brachia tegenda non habet? Date mihi aliquas manicas, ut recedam à vobis totus indutus. Quod illa percipiens, in nullo attediata, ſed magis accenſa, domum circuivit, & diligenter quærit, ſi poſſit aliquas manicas invenire. Caſúq; reperit tunicam ancillæ domûs patenæ novam, quam necdum induerat, ad perticam pendentem, quam feſtinè deponens, & manicas indè velociter diſſuendo auferens, gratiosè tribuit pauperi prælibato. Quo pactô adhuc inſtat ille, & ait illi: Ecce Domina, induiſtis me, de quo vobis gratias referat ille, pro cujus amore hæc feciſtis: Sed ego habeo adhuc ſocium unum, qui degit in hoſpitali, qui etiam multùm indiget veſtibus, ſi velitis ei veſtem aliquam mittere, deferam ei ex parte veſtra libenter. Cui illa: Verè chariſſime, ſi liceret mihi abſque hac tunica remanere, libentiſſimè traderem eam tibi: ſed quia non licet, nec aliunde nunc poſſum veſtem habere, rogo, ut non hoc grave feras: ſuperlibenter enim tibi quæcunque petis tribuerem. At ille ſubridens: Bene, inquit, aſpicio, libentiſſimè mihi dares, quæcunque poſſes. Bene vale! Nocte autem ſequenti Salvator Mundi ei oranti, manifeſtè in forma pauperis illius apparuit, habens tunicam illam ſibi per Virginem datam in manu, ornatam Margaritis, & vernantibus, ac coruſcantibus gemmis, & dixit: Agnoſciſne, dilectiſſima Filia, tunicam iſtam? Quæcùm dixiſſet ſe ipſam agnoſcere, ſed non tali-

taliter dedisse eam ornatam, subintulit Dominus: Tu mihi tunicam hanc heri cum tanta liberalitate dedisti, meque nudum tam magna cum charitate vestisti, ut frigoris ignominiæ pœnas à me fugares. Et ego nunc tibi vestem, invisibilem quidem hominibus, sed tibi etiam sensibilem de meo corpore sacro dabo; quâ uterque homo tuus ab omni nocivo frigore protegetur, quousq; cum gloria & honore coram Sanctis & Angelis suô tempore vestietur. Móxque de vulnere & cicatrice proprij lateris, suis sacratissimis manibus, traxit quandam vestem coloris sangvinei, undique radios emittentem, ad mensuram Virginalis corpusculi, quâ Virginem eisdem Sacris manibus induit, dicens: Hanc vestem tibi trado dum es in terris, cum ejus effectibus, in signum & arrham vestimenti gloriæ, quô tempore suô vestieris in Cœlis. Sicque disparuit visio. Hujus autem muneris adeò fuit efficax gratia, non modò in anima, sed etiã in corpore Virginis sacræ, quòd ex illa hora nunquam plures tunicas hiemali tempore deferret, quàm æstivô: sed unicâ super tunicellam interiorem tunicâ exteriori contenta semper fuit. Imò vestem illam semper sentiens super se, nullâ aliâ tunicâ se indigere, etiam ad sensum percipiebat.

Cùm ægrotæ cujusdam Ministerio se addixisset, & vice quadam, graveolentissimam aquam, quâ abominabile infirmæ ulcus laverat, ad sui ipsius heroicam victoriam ebibisset; apparens ei Dominus cum S. vulneribus, & factum ipsius apprimè dilaudans: Ego inquit dabo tibi potum, qui omnem excedit humanam naturam & consvetudinem; applicánsq; dexteram ad collùm Virgineum, & ipsam ad lateris proprij vulnus approximans: Bibe, inquit, filia, de latere meo potum, quo anima tua tantâ svavitate replebitur, quôd etiam in corpus, quod propter me contempsisti, mirabiliter redundabit. Quæ sacratissimo vulneri os applicans, ineffabilem indè potum hausit per moræ parvæ spatium, tam avidè, quàm abundè.

Alia

Alia adhuc suppeditat hujus Virginis Vita mirabilis, quæ brevitatis, gratiâ diffusè se isthuc inseri non patiuntur. Qualia sunt, quòd Sponsus æternus ei vice quadam latus sinistrum aperuit, cor indè abstraxit, & Catharinam sinè corde reliquit; aliâ autem vice Cor, suum sanctissimum, in cordis ablati locum benignissimè es dignatus inserere. Quód idem Christus Virginis dexteram clavô mira quadam ratione perfoderit: Aliàs eidem stigmata quinque impresserit, invisibilia quidem, sed tamen dolorem causantia: Aliàs etiam visibiliter Catharinæ conspicuus, ei Sacram Communionem sub Missæ sacrificio, flagrantissimè desideranti, particulam Hostiæ conspectu sacerdotis ablatam, ut ipsa sumeret, & communicaret, porrexerit. Et alia. Ex quibus omnibus & ante enumeratis illud clarè conficitur, non tam exoticas esse Marinæ nostræ de Escobar, Cœlestes illecebras, ut paria, aut etiam fortassis majora favorum Divinorum exempla jam antè in Ecclesia DEI erga varias DEO dilectas animas haudquaquam exstiterint: DEO se his modis communicante cui vult, & quantum vult; & manum suam minimè abbreviatam, diversis temporibus erga varios homines extendente, ut alij habeant, quod admirentur, & laudent Magnalia ejus, qui facit Mirabilia magna solus; quod erat hoc tractatu demonstrandum.

Digitized by Google